BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
166
D
25
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMINI FIMIANI

IN REGIO NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO

ORDINARII IVRIS CANONICI PROFESSORIS

DE ORTV ET PROGRESSV

METROPOLEΩN ECCLESIASTICARVM

IN REGNO NEAPOLITANO ET SICVLO

Qua & doctrina PETRI DE MARCA lib. I. Concord. Sacerdot. & Imp. cap. VII. num. IV. ad examen evocatur, & variae Regni utriuſque antiquitates quum civiles, tum eccleſiaſticae paſſim explicantur.

Opportune accedit ΠΑΡΕΡΓΟΝ DE EPOCHA ET CAVSSA NOMINIS CALABRIAE AD BRVTTIOS TRANSLATI, quo ipſius MARCAE ea de re ſententia expenditur.

NEAPOLI CIƆIƆCCLXXVI.

EX OFFICINA MICHAELIS MORELLII.

AVCTORITATE PVBLICA.

Digitized by Google

Res enim ardua eſt vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem. Plinius in praef.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

SERAPHINO FILANGERIO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

ORDINIS S. IANVARII EQVITI TORQVATO

CARMINVS FIMIANVS

FELICITATEM.

ITA ſum natura comparatus, optimorumque hominum conſuetudine innutritus, ARCHIPRAESVL AMPLISSIME, nulla ut re capiar magis, quam vi eximiae ſapientiae, ſi quam in aliis animadverto cum virtute pietateque raro admodum foedere copulatam, inque o-

Digitized by Google

mnes me partes agam, ut viris meritorum magnitudine commendatis publicam obſervantiae ſignificationem expromam, quamque iis obſtrictus ſim futurus, velut in tabula profitear. Quum enim magni nihil conari, nihil ingenio perficere poſſim, in quo aut aliis, aut certe mihi ipſe placeam; eam tamen laudis particulam, vel moroſioribus ultro deferentibus, in quibus animi aequitas elucet nulla inſuſcata inſolentia, facile mihi vindico, quae in aliorum contemplatione admirationeque virtutum eſt poſita. Mirum itaque videri nemini debet, qui vitae meae rationes ſatis perſpectas habet, ſi depoſito ſubruſtico illo pudore, quo potentiorum limina reformido, ad Te virum principem, in ſublimi hac chriſtianae rei ſpecula conſtitutum, virtute tua florentiſſimum accedere, Tibique intentatam hactenus operam eo lubentius nuncupare decreverim, quo Te non tam ſumma dignitas eruditionis arbitrum, quam bonarum rerum aequiſſimum aeſtimatorem ſumma facit eruditio. Te autem quum dico, non reſpicio virum ſummo vetuſtoque genere ſatum, Maiorumque rebus domi militiaeque praeclare geſtis emicantem; non Antiſtitem ad ampliſſimum eccleſiaſtici ordinis gradum, virtutibus licet praeeuntibus, evectum; ei enim ornando, qui ſua nixus virtute ac labore famam decuſque ſibi peperit, adſcititium exquirere ſplendorem, abſurdum eſt: nec porro mihi propoſitum ea perſequi, quae etſi cum paucis, tamen cum quibuſdam aliqua ſaltem ex parte communia habes. Virum unice ſpecto, in quo congeſta ſimul quae in unum raro coeunt ornamenta illa, quibus vere homines aliis hominibus praecellunt, doctrina ſcilicet, virtus,

tus,

Digitized by Google

tus; ac pietas. Doctrina ſine virtute caſſa eſt & umbratilis: virtus doctrinae conſortio deſtituta, prorſus imperfecta & manca videtur, quippe quae aliis prodeſſe vix poteſt: virtutum vero maxima & in primis praedicanda, religio eſt.

Atque iam in eum me locum adductum ſentio, ut unde incipiat, aut quo deſinat oratio, plane non ſuppetat: tot ſcilicet ac tanta confertim ſe ſe mihi offerunt ſplendidiſſima ingenii animique Tui ornamenta! Agmen ducat doctrina, quo firmiſſimo ſuſtentaculo praecelſam virtutum tuarum molem ſuperſtruxiſti. Praeditus ingenio, vividoque impetu ad ſumma quaeque tendente, ea ope atque labore litteris enitendum putaſti, nullum ut gravioris diſciplinae genus numeretur, in quo non es ita verſatus, ut in uno illo verſatus videaris. Sed quemadmodum vitae, ſic etiam eruditionis genere cuſtos, & tenax propoſiti humana fugitantis, eam ſapientiae partem praecipue colendam delegiſti, in qua nihil vanum fucatumque, non inaniter abſumens ingenia, non animos miſere ludificans ineſt. Ad divinam ſapientiam, e qua uberrimi exſurgunt fructus, Deum, naturam eius & opera cognoſcenda Te contuliſti, Theologica ſedulo ſpeculatus; unde & cognitio animi pulcherrima exiſtit, & facile animus contemplatione rerum divinarum ad Deum ipſum erigitur; libros divino afflatu conſcriptos perlegere; quae in Dei cultum & reverentiam Eccleſia obſervaret ſollemnia ritusque inſpicere; Patrum ſcita & ſententias de rebus divinis, de moribus chriſtiane regendis, temperandiſque ad regulam divinitus promulgatam, Eccleſiae denique res geſtas, perveſtigare:

 eiuſ-

eiuſmodi nimirum te cura continuo exercuit, ſollicitumque habuit. Haec Regem providentiſſimum perpulerunt, ut Te in publicum Anteceſſorum ordinem honorificentiſſime referret, munuſque graviſſimum alacriter obiens, magna Auditorum celebritate, difficillima quaeque copioſiſſime interpretatus es. Vel in graveſcente hac aetate tanto erga litteras amore abriperis, ut ſi qua tot curis diſtento incidunt tempora ſubſeciva, colloquiis impendas hominum vario doctrinae genere excultorum: qui quum alia in Te admirantur, tum felicitatem, qua optimis teſtimoniis, & adcommodatiſſimis exemplis, quacumque de re oboriatur oratio, numquam non abundas. Quid ego ni de Te praedicem, quod Hieronymus Nepotiano in laude ponit? qui divina & eccleſiaſtica ſic habebat in numerato, ut quavis data occaſione ſtatim reponeret: *Illud Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantii, illud Hilarii eſt. Sic Minucius Felix, ita Victorinus, in hunc modum locutus eſt Arnobius.* Nec vero in fortuna florentiſſima, ad quam per doctrinarum ſeriem, continenti laborum curſu, perveniſti, litteras promovere, litterarumque cultores impenſius ſuſpicere, ſovere & amplificare praetermittis; eamque ex lege muneris tui beneficentiam Eccleſiae princeps bonis artibus praeſtas, quam ſponte privatus adhuc exhibere conſueveras.

Ingens haec tua divinarum humanarumque rerum cognitio, cum virtute, ſine qua doctrina rite non ſubſiſtit, rariſſimo exemplo certat. Dicam paucis: in Te ſingularis virtutum conſenſio, incredibili rerum gerendarum prudentiae, conſiliorumque explicandorum dexteritati adiuncta alacritas, & invicta fortitudo; fortitu-

dini

dini ſelicitas, ſelicitati mira animi modeſtia; in ſumma fortuna amans aequi rectique tenax animus. in tantae auctoritatis ſplendore effuſa adverſus omnes humanitas. in humanitate erga honeſtos beneficentia. Quid enim? Nemini iniucunda eſt laudum ſuarum praedicatio: vel magni viri quaſi mercedem rerum geſtarum fructumque virtutis, gloriam expetunt: Tu ſingulari modeſtia non avidus modo laudis & appetens gloriae numquam fuiſti, ſed etiam virtutum tuarum praecones, qua licuit vi, compeſcuiſti ſemper. Eximia gentis claritas, quae aliis ingentes addit ſpiritus, Te nihil de conſueta animi moderatione removit. Magnam fortunam plerumque ſequitur naturae difficultas: Tu, quod rari in culmine tanto exempli eſt, comitate facilitateque naturae Te omnibus aequas. Ecquis vel tenuiſſimorum hominum Te tanta dignitate auctoritateque praeditum ſenſit dominum? Quis copiam tui aut prece impetravit, aut itu, redituque pervicit? Quis ad Te veniens, non obviam, non vocantem, non compellantem ultro habet? Blandam vero vim praeterire nullo modo poſſum. Scilicet concurrunt ad Archiepiſcopium quotidie quamplurimi, quaſi ad principem aram. Singuli quod e re ſua eſſe arbitrantur, ſummo ſtudio aſſequi conniţuntur. Tu cunctos ſereno illo vultu tuo ſuſpicis, univerſis patientem adcommodas aurem: mox percepta veritate & aequitate incipis oracula fundere. Tum rem miram cernere non raro eſt, homines ſenſim demutatos, lepore ſermonis ac rationum pondere devictos, contra ſuam voluntatem in tuam ſententiam, etſi invitos ultro concedere.

Quid nunc virtutum maximam ac praeſtantiſſimam,

mam; ſinceram omniſque fuci expertem pietatem, cui ab ineunte aetate Te totum dediſti, commemorem? Haec nimirum inter innumera quae Te undique circumfluunt ornamenta, ad ſummos eccleſiae honores Tibi ſtravit iter, feliciterque perduxit. Primum Materanum Pontificatum obire iuſſus es, ut in ſublimi loco poſitus virtutem tuam latius extenderes, lucemque morum in rem chriſtianam princeps eccleſiae diſſeminares. Mox a caſtiſſimae ſponſae amplexu legitima auctoritate bonoque publico aegre avulſus, & Panormitanae eccleſiae adminiſtrandae praefectus, mirum profecto eſt, quam gravi moerore univerſa Lucania Te ſibi erepto fuerit perculſa, & gaudio quanto maximo Sicilia Te adepto exſilierit. Tandem Neapolitana Sede paſtore viduata, ſtatim in Te conſenſere non tacita modo deſideria & voluntates, ſed palam etiam voces atque ſermones omnium; plurimum namque intererat, ſacrorum noſtrorum moderatorem ac praeſidem potius accipere magnum, quam delatis honoribus facere. Voti compotes facti, inde uſque ab exoptatiſſimo tuo in Vrbem adventu, quo maius gaudium, incredibiliſque laetitia noſtros complevit animos, quo magis de ampliſſimis fortunis noſtris gratulamur, eo maiori cura animique labore angimur univerſi, ne e ſinu complexuque noſtro aliquando divellaris. Iam vero praegrande, quod humeris tuis ſuccollaſti, epiſcopatus onus & graviſſima moles, Tibi nihil honoris addidit, quippe tantum ſpectata virtus ac probitas tua demerebatur: nobis autem id prae ceteris contulit, ut in Te tamquam in ſpeculum pellucidum intuentes, viva ſingularum virtutum ſimulacra & incitamenta perſpicere-

mus.

Digitized by Google

mus. Ecquae umquam paſtorali ſollicitudini, pietatis ſtudio, vitae integritati, morum innocentiae, quam in chriſtiana republica procuranda ab initio praetuliſti, par invenietur oratio? Teſtis eſt Lucania ſanctiſſimam eccleſiae diſciplinam canonum ignorantia labefactatam atque convulſam integritati ſuae abs Te operoſiſſime reſtitutam; divinis reverentiam conciliatam; Sacerdotio dignitatem adſertam; ſedulum ſacrorum miniſtrorum delectum; templis nitorem redditum; provinciam vel difficillimis temporibus Apoſtolico more peragratam; infelix lolium in Dominico agello ſuccretum radicitus extirpatum; ſanos ubique mores reductos; licentiam auctoritate tua coërcitam, planeque exciſam; ſimultates compoſitas; perditos e miſeranda vitiorum colluvie ereptos. Teſtis eſt Sicilia impigram tuam ad paſtoralia munia obeunda alacritatem; eccleſiaſtica negotia ad canonum amuſſim exacta; iudiciorum cum aequitate ſeveritatem; dignitates pretio & gratia exemtas, honorum ſortem virtuti addictam; publicae ſalutis tuendae ſtudium, in optimum Principem fidem; epiſcopium tuum miſeris facile patens perfugium; tot privatorum inopiam per Te ad copiam uſque ſublevatam, inopes familias ſtato victu ſuſtentatas; aegros, debiles, eiectos ſinu tuo benigne exceptos, & humaniſſime confirmatos. Teſtis tandem eſt Campania, in qua e primo temporis veſtigio, quo ad Neapolitanae Cathedrae gubernacula paucis abhinc menſibus adſediſti, ita uno tempore in omnes ſimul partes vim Apoſtolatus exeruiſti, ut divinum paene ingenium, quo tot ac tanta uno tempore pervidiſti, & miram alacritatem, qua eadem ſi-

mul

mul perfeciſti, nulla delebit oblivio. Quid primum referam, quidve poſtremum? Optimos, lectiſſimoſque Apoſtolici muneris miniſtros & adiutores deſignatos? Promulgata loquar decreta ſanctiſſima, latas regulas ſaluberrimas Sacerdotio, clerum populumque officii admonitum, & ad religionem eximie cohortatum; ſeriam ad reformanda ſi quae forte per atros dies diffluxerant indaginem; germanam, nec fucatam religionem commendatam & conſtabilitam; pietatis ſimulatores, qui non abſcindendis cupiditatibus, honoribuſque declinandis, ſed flectendis cervicibus conniterentur, in ordinem redactos? Efferam abſolutiſſimum chriſtianae pietatis exemplar, quod cunctis inſpectantibus ſimulque demirantibus praebuiſti, dum piacularibus recurrentibus temporibus domeſtica modeſtiſſime ſtipatus caterva ſemel iterumque templa reviſeres: quo paſtoris ſui exemplo excitatus & inflammatus univerſus Clerus, populus, homines cuiuſcumque gradus, dignitatis, ſexus, aetatis, talia toto hoc expiatorio tempore certatim edidit ſingularis pietatis ſpecimina, qualia ne cogitando quidem animus conſequi poteſt? Praedicem curam magno principe dignam in iuventute rite educanda & inſtituenda, enixoſque conatus ad deſidiam & inſcitiam, chriſtianae reipublicae peſtem utramque deterrimam, quam longiſſime a Tuis amoliendam; rectam ſtudiorum emendationem; Gymnaſium Archiepiſcopale oratoriae diſciplinae acceſſione adauctum; cui crebro, PATER, ades ipſe hortator, animos praeſens confirmas, certaminum ipſe iudex & laudas & ornas? Qui ſine piaculo heic praeteream mores Aulae tuae ad virtutem per Te compoſitos, ut e domo tua ad lares privato-

rum

Digitized by Google

rum aemulationes integritatis, humanitatis, frugalitatis, modeſtiae, ceterarumque pulcherrimarum rerum dimanarent? Scilicet blandiſſime iubetur exemplo, & vitia occulta quadam vi repelluntur. Ita Te tamquam Antiſtitem benignitate Numinum terris noſtris commodatum intuemur, novumque ſaeculorum ordinem cum his Apoſtolatus tui exordiis iniiſſe videmur.

Quae quum ita ſe res habeat, cauſſam teneo, cur omnium animos in Te convertas, Teque viri doctrina, genere, aut dignitate conſpicui omnibus effuſae exiſtimationis & amoris ſignificationibus proſequantur: cur tandem gloria, famaque Tua tam longe lateque omnium ordinum, ac ſapientum virorum praedicatione celebretur, ut nihil equidem acceſſionis fieri poſſe videatur; quae quidem gloriae amplitudo, ſi nonnullis fortuna commodata videtur, Tibi certe a virtute donata, partaque ſingulari probitate, magnitudine meritorum, rerumque laudabiliter geſtarum. Illud vero in primis praedicabile ac memorandum, Te Regi optimo, populorum felicitate nato, placere; Teque dignum Maieſtate ſua pontificem a Procere incomparabili, acerrimo magnorum ingeniorum aeſtimatore, Bernardo Tanucio numerari. Quare fortunis noſtris id etiam accenſemus, quod ſacerdotalis animi Rex Sacerdotem invenerit Regiae mentis, qui artam Eccleſiae cum Regno neceſſitudinem utriuſque ſalutem merito putat.

Sed quum tot ſuſtineas, ac tanta negotia, nae in publica commoda peccem, ſi longiore ſermone morer Tua tempora; prorſuſque verendum, ne Tuam laceſſere modeſtiam videar, qui recte facta ad conſcien-

tiam

Digitized by Google

tiam referre ſolitus, magnus eſſe, quam praedicari mavis. Patere itaque, PRINCEPS INDVLGENTISSIME, in effuſa omnium ordinum gratulatione ac plauſu, quo, Te ad Neapolitanae Eccleſiae ſpeculam vix admoto, univerſa perſonuit urbs, hunc etiam librum tanquam laetitiae noſtrae interpretem ac internuncium apparere, qui nomine Academiae noſtrae, in qua profeſſoris munere perfunctus perpetuum ſapientiae Tuae monumentum defixiſti, gloriam Tibi virtute pietateque Tua partam, ex animo gratuletur. Vnum vero publicae privataeque omnium beatitati reſtat, ut Pontifex poſt hominum memoriam vere Maximus, cuius res ab intelligentia, gravitate, providentia, virtute divina, qua chriſtianum orbem moderatur, profectae omnes aeternum commendabuntur, inter praeclara facinora, Te recte factis tuis unice contentum illuc bono publico quantocyus evehat, unde quantus ſis, & quanta bonitate ac doctrina, univerſae pateat chriſtianae reipublicae. Interim a praepotenti Deo enixis contendere precibus numquam deſiſtam, ut in omnibus Tibi dexter adſit, conatus tuos fortunet, Teque chriſtianae rei altius extollendae natum diutiſſime ſervet incolumem. Neap. IV Idus Quinctiles an. CIƆIƆCCLXXVI.

Digitized by Google

CARMINI FIMIANI REG. PROF.

DIATRIBA I.

De ortu & progreſſu metropoleωn eccleſiaſticarum in Regno Neapolitano & Siculo, qua doctrina Petri de Marca lib.I. Concord. Sacerd. & Imper. cap. VII. n. IV. ad examen evocatur. Opportune accedit ΠΑΡΕΡΓΟΝ *de epocha nominis Calabriae ad Brutios translati*, quo ipſius Marcae ea de re ſententia expenditur.

ANTELOQVIVM.

VNiverſa qua late a freto Siculo ad Alpium radices protenditur Italia, ab antiquiſſimis eccleſiae temporibus ad ſaeculi quarti exitum, nullum alium habuit metropolitam, praeter Romanum pontificem, cui epiſcopi omnes in ea conſtituti tamquam ſuffraganei adhaerebant. Non obſcura in monumentis priorum quatuor ſaeculorum ſuperſunt veſtigia antiſtitum totius Italiae a Romano metropolita conſecratorum, & ad ſynodum Romam evocatorum; quibus duobus metropolitica iura praecipue continentur (1). Roma itaque eccleſiaſtica totius Italiae metropolis olim extitit, adeoque metropolitica Romani antiſtitis dioeceſis ampliſſima. Vt enim Italia in civili diſpoſitione primum in undecim regiones ab Auguſto, deinde in ſeptemdecim provincias a Conſtantino tributa eſt, quae a diverſis magiſtratibus adminiſtrabantur; ſic in eccleſiaſtica unam conflabat provinciam, cui Romanus tantum metropolita praeerat. Novam deinde regiminis formam ſub Conſtantino M. induit Italia, a quo in ſeptemdecim deſcripta provincias, Praefecto Praetorio ſubiecta eſt, ſub quo Vicarii

(1) Conf. infra diatrib. V.

duo, quorum alter Mediolani, alter Romae degebat. Vicario Mediolanum incolenti ſeptem ſuberant provinciae I. *Venetia & Hiſtria*, II. *Aemilia*, III. *Liguria*, IV. *Flaminia & Picenum annonarium*, V. *Alpes Cottiarum*, VI. *Rhaetia prima*, VII. *Rhaetia ſecunda*; quae *Italicae* contractiori ſenſu dictae ſunt. Priores quatuor ſub Conſularibus, poſteriores tres ſub Praeſidibus erant. Reliquae vero decem, I. *Campania*, II. *Tuſcia & Umbria*, III. *Picenum ſuburbicarium*, IV. *Sicilia*, V. *Apulia & Calabria*, VI. *Lucania & Brutii*, VII. *Samnium*, VIII. *Sardinia*, IX. *Corſica*, X. *Valeria*, Vicario Urbis parebant; unde *urbicariae*, ac *ſuburbicariae* adpellatae ſunt (2). Harum priores quatuor a Conſularibus, ſequentes duae a Correctoribus, reliquae quatuor a Praeſidibus regebantur. Nova hac invecta politia, metropolitica Romani Pontificis dioeceſis anguſtioribus limitibus ſenſim coërcita eſt. Primum in Italicis provinciis id factum. Quarto enim declinante ſaeculo duo emerſerunt metropolitae eodem prope tempore, Aquileienſis, & Mediolanenſis: quorum illi Venetiae cum Hiſtria; huic Liguria & Aemilia contributae ſunt. Saeculo quinto epiſcopus Ravennatenſis metropoliticam dignitatem in Flaminiam adeptus eſt. Reliquae vero Italicae provinciae Romano metropolitae ſubiectae remanſerunt. Quod citius in Italicis, id ſerius in urbicariis provinciis factum, ut ſcilicet per metropolitanorum inſtitutiones metropolitica Romani pontificis in eas poteſtas paſſim coanguſtaretur. Primus ex urbicariis epiſcopis Calaritanus ſexto ineunte ſaeculo, ad metropoliticum decus evectus, cui provincia Sardinia attributa eſt; reliquae novem Romano metropolitae parere perrexerunt. In his quinque ſunt, quibus Neapolitanum & Siculum Regnum nunc coaleſcit, Campania, Apulia & Calabria, Lucania cum Brutiis, Samnium, & Sicilia. Harum omnium epiſcopi unum agnovere metropolitam, Romanum pontificem, a primis eccleſiae ſaeculis ad Leonem Iſaurum. Huius vi Calabria & Sicilia a Romano metropolita ad CPnum patriarcham anno

(2) Vide Notitiam Imperii, quam edidit, & commentariis illuſtravit Pancirolus. Ext. apud Graev. Antiq. Roman. tom. VII.

Digitized by Google

anno DCCXXXII. abductae ſunt, paſſimque in iis *metropolitani*, & *archiepiſcopi* a Graecis inſtituti. Tandem primus Romanorum pontificum Ioannes XIII. ab anno DCCCCLXVI. metropoliticam dignitatem nonnullis Regni epiſcopis indulſit: quod & alii deinceps Romani antiſtites praeſtitere.

Profecto, nullum ante Iſaurum in regionibus utriuſque Regni metropolitam extitiſſe, ſed epiſcopos omnes per eas conſtitutos Romano pontifici tamquam metropolitano ſuo adhaeſiſſe, tam luculenta & multiplicia ſuppetunt argumenta, ut ne vix quidem ambigi de ea re liceat. Neminem latet, ad metropolitam inter cetera pertinere, ſuffraganeos epiſcopos recens electos confirmare, atque conſecrare; ad provinciae ſynodum eos cogere; controverſias inter provinciae epiſcopos obortas auctoritate ſua componere, provocationes ab iis accipere, eoſque criminis reos cenſuris coercere; ſuffraganeos epiſcopos deſides officii admonere, atque corrigere; canones, & leges ad eccleſiaſticum regimen perlatas ſuffraganeis communicare, ac obſervantiam urgere. Ad haec, eccleſiae paſtore orbatae curam gerere, negotia dirigere, reditus in tuto ponere, & canonicam novi epiſcopi electionem procurare: quod deputato vacanti ſedi *viſitatore* fieri conſuevit; provinciae epiſcopatus, & monaſteria unire; oratoriorum, & baſilicarum conſecrandarum licentiam ſuffraganeis epiſcopis dare. Haec omnia metropolitica iura unum Romanum pontificem in Campania, Apulia & Calabria, Lucania & Brutiis, Samnio, atque Sicilia, ante Iſauri tempora, & quod excurrit, exercuiſſe per ſe, & quaedam interdum pro neceſſitate utilitateve eccleſiarum per ſuffraganeos epiſcopos, qui privatis meritis commendabantur, aut civili provinciae metropoli praeerant, vel per Subdiaconos Romanos explicuiſſe, eccleſiaſtica monumenta plane commonſtrant, praeſertim epiſtolae nonnullae Leonis M., & permultae Gregorii I. ad epiſcopos harum regionum datae; quibus nimirum nihil ratum fixumque, niſi quod in antiquitate ſanctum eſſet, nihil tam antiquius, quam ſua cuique Occidentis metropolitano iura ſarta tecta ſervare, atque tueri. Paſſim enim Leo (3) *metropoli*

(3) Epiſt. LXXX.

politanorum iura primatum convelli vetat; ac Byzantini antiſtitis audaciam ſic perſtringit (4): *Superbum nimis eſt & immoderatum ultra fines proprios tendere, & antiquitate calcata, alienum ius velle praeripere, atque ut unius creſcat dignitas, tot metropolitanorum impugnare primatus.* Eadem ſanctiſſimum pontificem Gregorium cura exercuit: *Abſit hoc a me*, inquit (5), *ut ſtatuta maiorum conſacerdotibus meis in qualibet eccleſia infringam; quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum meorum iura perturbo.* Ac iterum (6): *Si ea deſtruerem, quae anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor, ſed everſor eſſe iuſte probarer, teſtante veritatis voce; quae ait: omne regnum in ſeipſo diviſum non ſtabit.* Item (7), Virgilio Arelatenſi ſedis Apoſtolicae vices in eccleſias Gallicanas *iuxta veterem morem* committit, *ſingulis metropolitanis, ſecundum priſcam conſuetudinem, proprio honore ſervato.* Numnam ii Pontifices, religioſi canonum & antiquitatis cuſtodes, in metropolitarum iura, & muneris & ſui obliti, invaſerunt? At nihil omnino eſt, unde quidquam ab iis hac in re innovatum ſuſpiceris. Quod ſi nec aevo Leonis, nec Gregorii ullus apud nos metropolitanus extitit, praeter Romanum; profecto ſuperioribus quoque temporibus nullum extitiſſe, ne ambigas.

Quae cum ita ſe res habeat, eſt cur mireris, viros doctrinae ac eruditionis laude praeſtantes in ea ſententia eſſe, ut metropolitas a primis eccleſiae temporibus in ſingulis urbicariis provinciis, adeoque iis, quae Regnum noſtrum nunc conſtituunt, admittant. Horum numero eſt Petrus de Marca (8), qui in omnes ſe partes agit, ut metropolitas in urbicaria dioeceſi ſtatuat. Qua in re ſibi parum conſtat; agnoſcit enim epiſcopos urbicariarum provinciarum ab ipſa naſcentis eccleſiae origine in Urbis ſynodo conveniſſe, & a Romano pontifice ordinatos; ac nihilominus eas provincias ſuos habuiſſe metropolitas adſeverat, qui & ipſi a Romano antiſtite ordinabantur. *Nulli dubium*, inquit (9), *eſſe poterit, quin epiſcoporum ordina-*

tio-

(4) Ep. LV.

(5) Lib. II. ep. LII. al. XXXVII. ad Natalem epiſcop. Salonitan.

(6) Lib. X. ep. XXXI.

(7) Lib. V. ep. LIII. Virgil. Arelatenſ.

(8) De Concord. Sacerd. & Imp. lib. I. cap. VII. n. IV.

(9) Ibid. n. III.

tiones, *non ſolum in provincia Romana* (*quo iure complures metropolitani potiebantur*), *ſed etiam in vicinis quibuſdam provinciis obtineret Romanus pontifex*. *De provinciis urbicariis*, *ideſt de provinciis illis decem*, *quae Vicario Urbis parebant*, *&* *per Campaniam*, *Brutios*, *Apuliam*, *Calabriam ad Siciliam uſque protendebantur*, *non eſt dubitandi locus*. Hoc Romani pontificis ius conſecrandi epiſcopos in urbicariis provinciis conſtitutos ex illa veteris diſciplinae regula, *qui pertinent ad ſynodum*, *pertinent ad conſecrationem*, confirmat. *Porro*, pergit, *cum ſuperius Synodorum conventum tam urbicariae dioeceſeos*, *quam Italicae ſpeciali iure ex antiqua conſuetudine Romae ſaepe habitum demonſtraverimus*, *quid aliud inde conſequi poteſt*, *quam epiſcopos earum provinciarum ab epiſcopo Romano*, *aut eius decreto ordinatos fuiſſe?* Tandem (10): *de urbicariae autem dioeceſeos epiſcopis*, *qui ab ipſa naſcentis eccleſiae origine ſe Urbis ſynodo ſiſtebant*, dubitandum non eſſe ſcribit. Haec autem quo pacto cohaereant inter ſe, non ſatis video; qui enim eſſe metropolitae in urbicariis provinciis potuerunt, ſi earum epiſcopi omnes, ipſo fatente Marca, a Romano pontifice & ordinabantur, & ad Romanam ſynodum arceſſebantur; quibus duobus metropolitica iura praecipue continentur? Ea vero in ſuam ſententiam argumenta producit vir ſummus, quibus nulla ſibi infeſtiora metuere poteſt. Primum affert Caeleſtini I. (11) verba, qui ordinationes epiſcoporum Apuliae & Calabriae ſibi diſerte tribuit, deteſtatus quarumdam civitatum errores, quae, poſthabitis clericis, laicos ſibi epiſcopos eligere pertentabant. Inde colligit, Caeleſtinum *non ſolius metropolitani epiſcopi*, *ſed omnium epiſcoporum per illas provincias* (Apuliae & Calabriae) *conſtitutorum*, *ordinationem ſibi adſerere*. At qui etiam *metropolitanorum* ordinationem tribuere ſibi poterat Pontifex, ſi liquido patet, nullum in urbicariis provinciis, quarum numero Apulia & Calabria, metropolitanum ad Leonem Iſaurum fuiſſe, Sardinia excepta, quae a ſexti ſaeculi initiis proprium nacta eſt metropolitam Calaritanum? Aut ſi & metropolitanorum, & epiſcoporum omnium Apuliae & Cala-

la-

(10) Ibid. n. IV.

(11) Epiſt. III. ad epiſcopos Apuliae & Calabriae, apud Labbeum collect. Conc. tom. III. p. 482.

Digitized by Google

làbriae ordinationes ſibi vindicabat Romanus pontifex, quo pacto potuerunt ibi metropolitani & nomine & re eſſe, qui nec provinciae ſuae epiſcopos conſecrabant, nec ad ſynodum cogebant, quibus iuribus metropoliticae dignitatis οὐσία eſt poſita? Sunt haec plane ἀσύστατα. Ipſe vero Caeleſtinus in eadem illa epiſtola diſerte meminit *epiſcoporum*, non metropolitanorum, *civitatum propriis rectoribus deſtitutarum*, quibus ſcilicet epiſcopi, non provinciarum, quibus metropolitae, praeſunt: adeo nihil in ea eſt, quod Marcae velificari quodammodo poſſit. Sed vel ex una eiuſdem epiſtolae epigraphe colligere is poterat, epiſcopos Apulos & Calabros nullum, niſi Romanum, habuiſſe metropolitam; ea enim inſcribitur, *univerſis epiſcopis per Apuliam & Calabriam conſtitutis:* quod etiam argumento eſt, eas provincias propriis caruiſſe metropolitis, quibus alias fuiſſet inſcribenda, uti Romanorum pontificum more poſitum comperimus. Iam vero Marcae adeo perſuaſum, in urbicaria dioeceſi metropolitas extitiſſe, ut continuo ſubdat, ſe *viris eruditis adſentiri non poſſe, qui provincias iſtas* (urbicarias) *metropolitis deſtitutas fuiſſe putant, cum vera ratio in contrariam ſententiam impellere debeat*. Haec autem vera ei ratio eſt viſa, quod *cuique provinciae ſuus praeeſſe debet metropolitanus*, ex Concilii Nicaeni (12), Innocentii (13), & Leonis (14) conſtitutionibus; pleraſque vero ex iis, uti Campaniam, Calabriam, Apuliam, Brutios, Siciliam, & Sardiniam, revera in provinciarum cenſum referendas eſſe, quippe quas Patres, ac Romani pontifices in litteris ad peculiares earum epiſcopos datis veras diſtinctaſque inter ſe provincias agnoverunt. Ita Athanaſius (15) Campaniam, Calabriam, Apuliam iis provinciis adnumerat, quae eius communionem retinuerant; Innocentius I. (16) provinciarum Apuliae, & Brutiorum meminit; Epiſcopi provinciarum Campaniae, Calabriae, Brutiorum, & Siciliae ſubſcribunt Synodicae Romani Concilii ſub Agathone an. DCLXXIX. habiti. Haec tanti non ſunt, ut Marcae ad-

(12) Can. v.
(13) In Decret. cap. IX. & X.
(14) In Decret. cap. XII.
(15) Ep. ad Solitar.
(16) Epiſt. v. ad Maximum & Severum per Brutios, & ep. VI. ad Agapitum, Macedonium & Marianum epiſcopos Apuliae, apud Labb. concil. tom. III. p. 21. & 22.

Digitized by Google

adſtipulari cogamur. Decernunt quidem Patres, ſuum cuique provinciae metropolitam praeſidere: at id in Oriente obſervatum, ubi civiles metropoles etiam eccleſiaſticae erant, non in urbicariis provinciis, in quibus eccleſiaſticae civilibus metropolibus haud reſpondebant; nam eae in civili diſpoſitione decem erant, quae a diverſis magiſtratibus regebantur; in eccleſiaſtica vero unam componebant provinciam, cui Romanus tantum metropolita praeerat. Diſtinguant porro Athanaſius provincias Campaniam, Apuliam & Calabriam; ac Innocentius Apuliam, & Brutios: Synodicae Agathonis Campaniae, Calabriae, Brutiorum, aliarumque provinciarum epiſcopi ſubſcribant. Quid tum ad rem? Hinc nihil aliud conſequitur, quam Apuliam, Calabriam, Brutios, ceteraſque urbicarias provincias & civili & eccleſiaſtico iure ſeiunctas ab Italia fuiſſe, non item a Romana provincia. Suum vero civili iure urbicariis provinciis diſcrimen erat, cum & numero, & nomine, & territorio inter ſe diſtinguerentur, & a diverſis magiſtratibus gererentur; at eccleſiaſtico eae omnes unam conflabant provinciam, cuius metropolita alius a Romano non erat. In Pontificum vero epiſtolis, & Conciliorum ſubſcriptionibus, civilis, non eccleſiaſtici iuris ratio plerumque habita eſt. Quamvis enim univerſi urbicariarum provinciarum epiſcopi unum haberent Romanum metropolitam, non unius tamen provinciae iure ac nomine cenſebantur, ſed ex civili diviſione per provincias, in quibus degebant, diſtinguebantur. Ita ex civili diſpoſitione Athanaſius Campaniam, Apuliam & Calabriam ab Italia, non a Romana provincia dividit; namque diſtinguit epiſcopos Italiae ab epiſcopis Romae, Campaniae, Calabriae, Apuliae, & Brutiorum: 'Απο τε της μεγαλης Ρωμης, inquit, και της 'Ιταλιας πασης, Καλαβριας τε και 'Απυλιας, και Καμπανιας, Βριττιων, τε και Σικελιας. Sic etiam Innocentius (17) *ad Maximum & Severum epiſcopos per Brutios*, itemque *ad Agapitum, Macedonium & Marianum epiſcopos Apulos*; Caeleſtinus I. (18) *ad epiſcopos Apuliae & Calabriae*; Leo M. (19) *ad epiſcopos per Campaniam*, Pi-

(17) Cit. ep. v. & vi.
(18) Cit. ep. iii.
(19) Ep. iii. Opp. tom. i. p. 210. edit. Lugdun. MDCC.

Picenum, *Tuſciam*, *& per univerſas provincias conſtitutos*, hoc eſt, reliquas urbicarias, ſuas inſcribunt epiſtolas. Ex eadem Imperii forma Synodicae Agathonis epiſtolae ſubſcribunt inter ceteros *Petrus Cumanus provinciae Campaniae*, *Iulianus Conſentinus provinciae Brutiorum*, *Germanus Tarentinus provinciae Calabriae*, *Theodoſius Syracuſanus provinciae Siciliae*. Nec abſimili ratione Concilio Sardicenſi ſubſcribunt ex Italicis provinciis *Prothaſius ab Italia de Mediolano*, *Urſatius ab Italia de Brixia*, *Fortunatianus ab Italia de Apulia*, *Lucillus ab Italia de Verona*; ex urbicariis autem, *Vincentius a Campania de Capua*, *Ianuarius a Campania de Benevento*, *Stercorius ab Apulia de Canuſio*. Et iam antea Concilio Arelatenſi I. *ex provincia Italiae civitate Mediolanenſi Mirocles epiſcopus*, *ex provincia Campaniae de civitate Capuenſium Proterius epiſcopus*, *ex provincia Apuliae de civitate Arpienſium Pardus epiſcopus*, ſubſcripſere. Nulla vero Marcae fides, ad Gregorii M. Regeſta provocanti, *in quibus*, ait, *Calabriae*, *Siciliae*, *Sardiniae metropolitanos videre eſt*. Nam contrarium omnia Gregorii Regeſta luculentiſſime produnt. Nullus quidem Gregorio locupletior, nullus ſincerior adhiberi teſtis poteſt, ut neminem, praeter Romanum pontificem, a perantiquis temporibus ad annum DCIV., quo Gregorius deceſſit, metropolitam in urbicariis regionibus, Sardinia excepta, fuiſſe intelligamus. Pergit Noſter, & Syracuſanum praeſulem vetuſtiſſimum Siciliae metropolitanum pronuntiat: *quin Siciliae*, inquit, *adminiſtrationem eccleſiaſticam obtineret metropolita Syracuſarum*, *dubitare non ſinit epiſtola Conſtantini Imp. apud Euſebium* (20). At ex Conſtantini verbis metropoliticum Syracuſano antiſtiti decus numquam extundetur. Imperator Chreſtum Syracuſanum epiſcopum ad Arelatenſe Concilium arceſſit, ſociis ſibi adſcitis *duobus aliis* ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου, *ex ſecunda ſede*; pro viris autem *ſecundae ſedis*, ſive *ordinis*, miniſtros potius eiuſdem Eccleſiae, quam aliarum epiſcopos eſſe intelligendos, colligitur in primis ex eiuſdem Concilii Arelatenſis epiſtola ad Silveſtrum P. data, cui praeter ipſum Chreſtum, & Florum Syracuſanum diaconum, Siculorum epiſco-

(20) Lib. x. Hiſt. Eccleſ. cap. v. pag. 430. ſeq. edit. Auguſt. Taurin. MCCXLVI.

ſcoporum nemo ſubſcripſit. Metropoliticam quoque dignitatem Calaritano antiſtiti adiudicat, Theodoreti (21) auctoritate fretus, a quo inter epiſcopos, qui conciliabulo Mediolanenſi contra Athanaſium ſubſcribere recuſarunt, recenſetur Λουκιφερ ὁ της μητροπολεως των κατα Σαρδινιαν νησων, *Lucifer metropolis inſularum Sardiniae*. At magis eſt, ut Theodoretum, aliorum veterum ſcriptorum exemplo, civilem, non eccleſiaſticam metropolim ſpectaſſe putes; erat quippe Calaris civilis Sardiniae metropolis. Quare Luciferum, non *Sardiniae metropolitanum*, ſed *ex metropoli Sardiniae* epiſcopum appellat, ut urbis, non epiſcopi dignitatem deſignaret. Et propius fidem eſt, Calarim ſaeculo ſexto in metropolim eccleſiaſticam primum evaſiſſe, cum Sardiniam Wandalis ereptam non amplius Vicario Urbis, ſed novo Praefecto Praetorio Africae attribuit Iuſtinianus (22). Certe aevo Gregorii I., qui ab anno DLXXXX. ad DCIV. pontificatum geſſit, Calaritanum praeſulem Sardiniae metropolitam fuiſſe, nec tum primum, ſed iam antea inſtitutum, ex eodem Gregorio (23) conſtat. Capuanum etiam epiſcopum Campaniae metropolitam ab antiquiſſimis temporibus Marca ſtatuit: *Capuam vero*, ſubdit, *Campaniae metropolim fuiſſe, diſertis verbis teſtatur Athanaſius* (24); *quae tamen minuta capite priſtinam dignitatem circa an.* DCCCCLXX. *recuperavit beneficio Iohannis Papae*. Fruſtra quidem Athanaſius obiicitur, qui legatum ad Concilium Sardicenſe miſſum ait *epiſcopum Vincentium Capuae, quae eſt metropolis Campaniae*, ὃς δὲ ἀπὸ μητροπόλεως τῆς Καμπανίας; is enim de civili, non eccleſiaſtica metropoli loquitur: unde Vincentium, non *metropolitanum Campaniae*, ſed *epiſcopum Capuae, quae metropolis eſt Campaniae*, adpellat, ut plane intelligas, metropoleos praerogativam urbis, non epiſcopi fuiſſe. Fuit quidem Capua civilis Campaniae metropolis (25); at eccleſiaſtica ante Ioannem XIII. anno DCCCCLXVI., non DCCCCLXX., uti Marca ſcribit, haud extitit. Illud autem clariſſimo viro excidiſſe nollem, Capuam nempe capite minutam

(21) Lib.II. Hiſt. Eccleſ. cap.15. pag.81. edit. Auguſt. Taurinor. MDCCXLVIII.

(22) L.1. C. de officio Praefecti Praetorio Africae.

(23) Lib.I. ep. XLIX. & LXXXIII. Lib.IV. ep.IX. & XXIX., lib.IX. ep.VIII.

(24) Ep. ad Solitar.

(25) Conf. Dominic. Georgium exercit. de antiq. Italiae metropolib., & Patillum diſſ. de Conſularib. Campaniae.

beneficio Iohannis XIII. priſtinam recuperaſſe dignitatem. Qui enim potuit ea Iohannis beneficio amiſſum eccleſiaſticae metropoleos decus recuperare, ac veluti in integrum reſtitui, quod nunquam ante Iohannem ipſum habuiſſe, ambigi nequit? Hanc porro capitis deminutionem Capuam aliquando paſſam, nuſquam ſcriptum offendes; nec ea iuribus ſuis ſemel quaeſitis aut tam facile ſpoliari paſſa, aut tam negligenter uſa fuiſſet. Pari mox liberalitate Noſter metropoliticam Regino in Brutiis epiſcopo dignitatem adſerit, *quod vetus Notitia Eccleſiae CPnae inter metropoles avulſas a Romana dioeceſi Syracuſas recenſet, atque Regium ex Italiae provinciis.* Sed primum diatypoſis Leoni Sapienti tributa pertinet, non ad vetuſtiſſima tempora, de quibus loquimur, ſed ad tempora Leone Iſauro recentiora, quibus Metropolitas in Sicilia & Calabria a patriarchis CPnis inſtitutos, ultro fatemur. Deinde in ea Notitia Regium & Syracuſae inter metropoles a Romana dioeceſi abſtractas recenſentur, non quod metropoles eſſent, cum fuerunt avulſae, ſed quod tales iam eſſent, quo tempore in laterculum illud fuerunt relatae. Profecto διατυπώσεως Auctor de metropolibus loquutus eſt, quae cum Notitiam ſcribebat, metropoles erant, earum originem ac antiquitatem nihil moratus. Hinc avulſis metropolibus Patras & Athenas accenſet, quas metropoles ante Iſaurum non fuiſſe, ex Gregorio M. (26) conſtat. Nimirum Calabria & Sicilia per Iſaurum a Romana ad CPnam ſedem abductis, Reginus in Brutiis, ſeu nova Calabria, Syracuſanus in Sicilia, qui antea Romano metropolitae adhaeſerant, metropolitani a Byzantino patriarcha conſtituti ſunt. Tandem de metropolitanis in his provinciis a Graeco antiſtite ereatis nomnulla obiter perhibet Marca: *In Calabria antiqua*, inquit, *& in Apulia duae metropoles excitatae videntur a Graecis poſt tempora Leonis Iſauri, Hydruntina ſcilicet & ſanctae Severinae. Earum meminit diatypoſis Leonis Philoſophi, quae nupero Graecorum invento nullum epiſcopatum Hydruntinae ſubiicit; ſanctae Severinae vero metropoli, quae Calabria quoque dicitur, quatuor epiſcopatus ſubmittit, quorum unus eſt Acherontinus in Apu-*

(62) Lib. VIII. ep. V. in epigraphe, & lib. IV. ep. LVI.

Apulia. Res ita ſe habuit. In Calabria & Sicilia, a Romana ad CPolitanam ſedem per Leonem Iſaurum traductis, nonnulli a patriarcha Byzantino metropolitae, & archiepiſcopi ſimplices ſine ſuffraganeis, paſſim inſtituti ſunt. In nova Calabria metropoliticam dignitatem primus omnium adeptus eſt Regiuus epiſcopus ſub ipſo forte Iſauro; deinde s. Severinae antiſtes, cui non quatuor, uti Marca ſcribit, ſed quinque epiſcopatus ſubduntur in diatypoſi Leoni tributa n. XLIX. In veteri vero Calabria Hydruntinus primum archiepiſcopus honorarius ſub ipſo fere Iſauro factus eſt: unde inter Archiepiſcopos ſine ſuffraganeis recenſetur in laudata Leonis diſpoſitione n. LV., donec ſub Nicephoro Phoca Imp. & Polyeucto patriarcha CP. metropolitica ei dignitas oblata eſt. Porro in Sicilia Syracuſanus praeſul ſub eodem fortaſſe Iſauro metropolita evaſit; mox Catanenſis, aut aevo s. Leonis Catanenſis epiſcopi, aut paullo poſt, archiepiſcopus renunciatus eſt. Sed & illud Noſter interiicit, ſtetiſſe adhuc Agathonis P. aevo veterem provinciarum Calabriae, & Brutiorum diſtinctionem; idque colligit ex ſubſcriptionibus epiſcoporum Regni in Synodica ipſius Agathonis epiſtola anno DCLXIX. ad futuram ſextam oecumenicam ſynodum data, in qua ex epiſcopis, qui in Brutiis erant, quinque *provinciae Calabriae*, quatuòr *provinciae Brutiorum* ſe dicunt: contra, ex epiſcopis Calabriae nonnulli ſe *provinciae Brutiorum* inſcribunt. At potius ex hac Synodica conficitur, paullo ante eum annum DCLXIX. duas illas provincias confundi promiſcuo nomine coepiſſe, donec tandem Calabriae nomen Brutiis haeſit: nec porro quibus ex provinciis eſſent noſtrates epiſcopi, qui Synodicae illi ſubſcripſerunt, ſatis magnus vir intellexit.

Haec habet Pariſienſis Archiepiſcopus de eccleſiaſticis metropolibus in urbicariis provinciis, maxime iis, quibus Neapolitanum ac Siculum Regnum nunc componitur. Quanti ea ſint habenda, iam obiter aperuimus. Ne quis autem ſuperſit dubitandi locus, nullum ab antiquiſſimis temporibus metropolitam, praeter Romanum, in Regno extitiſſe, multoque recentiorem eſſe in his provinciis metropolitanorum inſtitutionem, quam vir clariſſimus ſtatuit, atque ea item ſuppleantur, quae is de Regni

Digitized by Google

metropolitis differens omiſit, rem omnem ex inſtituto perſequi eſt animus; idque eo libentius, quo nobis ſpartam hanc exornantibus, varia & multiplicia monumenta, ad veterem eccleſiarum Regni diſciplinam pertinentia, afferendi ac illuſtrandi peropportuna defertur occaſio. Tres itaque erunt huiuſce commentationis partes; quarum prima oſtendetur, a primis eccleſiae temporibus ad Leonem Iſaurum, nullum in provinciis noſtris metropolitam, praeter Romanum antiſtitem, extitiſſe; altera vero metropolitanos & archiepiſcopos in nonnullis Regni provinciis ab aevo Iſauri per CPnos patriarchas inſtitutos exhibebit; tertia tandem eccleſiaſticas metropoles a Romanis pontificibus in utroque Regno erectas a tempore Ioannis XIII. complectetur. Ne vero quidquam intactum praetermittatur, quod faciat ad rem, ſingulari adiecto excurſu, in tempus ſedulo inquiretur, quo primum Calabriae nomen ad Brutios translatum eſt.

DE ORTV ET PROGRESSV

METROPOLEΩN ECCLESIASTICARVM

IN REGNO NEAPOLITANO ET SICVLO.

PARS PRIMA,

IN QVA NVLLVM IN REGNO NEAPOLITANO ET SICVLO METROPOLITANVM, PRAETER ROMANVM PONTIFICEM, A PRIMIS ECCLESIAE SAECVLIS AD LEONEM ISAVRVM, ET QVOD EXCVRRIT, EXTITISSE OSTENDITVR; AC SECVS SENTIENTES REFELLVNTVR.

CAPVT I.

Nullus in Campania & Samnio metropolitanus, praeter Romanum pontificem, a primis eccleſiae ſaeculis ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit.

NEAPOLITANVM & Siculum Regnum quinque urbicariis provinciis coaluit, Campania, Apulia & Calabria, Lucania & Brutiis, Samnio, & Sicilia. Harum omnium inde uſque ab antiquiſſimis ſaeculis ad Leonem Iſaurum unus extitit metropolitanus, Romanus antiſtes. A Cam-

Digitized by Google

Campania exordiendum. Vrbes Campanae epiſcopali ſede a perantiquis temporibus inſignitae ſunt Fundi, Sora, Aquinum, Velitrae, Caſſinum, Aquinum, Vulturnum, Formiae, Atella, Minturnae, Sueſſa, Teanum, Venafrum, Capua, Nola, Abellinum, Neapolis, Puteoli, Miſenum, Cumae, Surrentum, Stabiae, Amalphis, Nuceria, Salernum, aliaeque. Harum epiſcopi unum prioribus octo ſaeculis, & quod excurrit, agnovere metropolitam, Romanum praeſulem. Hunc metropolitica omnia iura in Campania exercuiſſe, omnes per ſe loquuntur hiſtoriae. At in re certa multorum teſtimoniis uti, opus non eſt. Vnus Gregorius M. nobis inſtar omnium ſit; quem enim teſtem ſive potiorem, ſive tutiorem ea in re appellemus?

Primum metropoliticum ius eſt ſuffraganeos epiſcopos cleri populique conſenſu electos confirmare ac ordinare, uti Concilium Nicaenum (1), Antiochenum (2), Laodicenum (3), & Chalcedonenſe (4) ſanxerunt. Ius hoc unus Romanus antiſtes in univerſa Campania exercuit. Exempla ſatis multa ſuppeditant Gregorii M. Regeſta. Praeſtat ſelectiora congerere; ceterarum enim eccleſiarum Campaniae par eſt ratio. Depoſito Demetrio Neapolitano praeſule, Gregorius (5) Neapolitanos hortatur, ut ſine mora & diſcordia paſtorem ſibi eligant: *Eccleſiam Dei ſine doctore diu vacare non patimur ..... Ideoque caritatem veſtram ſcriptis praeſentibus duxi neceſſario commonendam, ut ad eligendum pontificem nec mora, nec diſcordia, quae conſuevit ſcandala generare, proveniat.* Paulum interim Nepeſinum epiſcopum Neapolim viſitatorem mittit: hunc Neapolitani cardinalem a Gregorio epiſcopum poſtulant. Reſpondit Pontifex (6), ut Paulum diutius experiantur, ipſi obediant, eumque tandem, ſi fructum animarum fecerit, atque ita Deus inſpiret, epiſcopum habebunt: *Quem* (Paulum) *quoniam ita eſtis in paucis diebus experti, ut eum cardinalem habere deſideretis epiſcopum, gratulamur .... Praefatum quoque epiſcopum dum fructum animarum, quem deſideramus Deo noſtro, ipſo quoque ſuffragante facere*

(1) Can. IV. & VI.
(2) Can. XIX.
(3) Can. XII.
(4) Act. XIII. & can. XXV.
(5) Lib. II. ep. VI.
(6) Lib. II. ep. IX.

Digitized by Google

cere ſenſerimus, quidquid poſt haec de eius perſona veſtroque deſiderio cordi noſtro inſpiratio divina miniſtraverit, faciemus. Tum Paulum ipſum (7) hortatur ad epiſcopalibus muneribus ſic interea fungendum, ut Neapolitanorum teſtimonia & vota firmentur. Paulus autem ad propriam reverti eccleſiam expetiit, & obtinuit. Quare Gregorius Petro Subdiacono Campaniae (8) praecipit, ut e clero Neapolitano duos treſve Romam mitti curet, qui vice omnium epiſcopum eligant: *Experientia tua clerum eccleſiae Neapolitanae conveniat, quatenus duo vel tres de ſuis eligere, & huc ad eligendum epiſcopum tranſmittere non omittant . . . Nam amplius eam ſine proprio non patimur eſſe rectore. Qui ſi fortaſſe admonitionem tuam quolibet modo differre tentaverint, eccleſiaſticum in eos vigorem exerce .... Haec vero omnia vivaciter diſtricteque implere feſtina, & ſub omni huc celeritate electos, ſicut diximus, de clero tranſmitte, ut quia diverſi hic nobiles civitatis Neapolitanae praeſentes ſunt, una cum eis de epiſcopali ordinatione & tractare, & adiutore Domino deliberare poſſimus*. Idem pontifex (9) Scholaſticum Campaniae Iudicem hortatur, ut quoniam Florentius Subdiaconus a Neapolitanis electus epiſcopatum fuga declinavit, alium eligi curet: *Dum de Neapolitanae civitatis cura deſtitutae Sacerdotis ſolatio vehementius angeremur, ſupervenientes praeſentium latores cum decreto in Florentium Subdiaconum noſtrum confecto, aliquid nobis in tanto cogitationum pondere revelationis invenerant. Sed dum praefatus Subdiaconus noſter refugiens civitatem ipſam, ordinationem ſuam lacrymabiliter evitaſſet, quaſi ex maiori quadam diſpenſatione noſtram cognoſcite creviſſe moeſtitiam. Atque ideo ſalutantes hortamur magnitudinem veſtram, ut convocantes priores vel populum civitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus poſſit cum Chriſti ſolatio ad ſacerdotium promoveri. In quo decreto ſolemniter facto, atque ad hanc urbem tranſmiſſo, ordinatio illic tandem, Chriſto auxiliante, proveniat. Sin autem aptam non invenitis in quam poſſitis conſentire perſonam, ſaltem tres viros rectos & ſapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum & iudicio plebs tota conſen-*

(7) Lib.II.ep.x.
(8) Lib.III.ep.xxxv.
(9) Lib.III.ep.xv.

ſentiat. Forſitan huc venientes, praeſtante Dei miſericordia, talem reperient, qui vobis antiſtes irreprehenſibiliter ordinetur. Tandem cum clerus populuſque Neapolitanus in duas partes ſciſſus eſſet, ac ab altera Iohannes diaconus, ab altera Petrus item diaconus, in epiſcopum Neapolitanum electus eſſet, utrumque reſpuit Gregorius (10): Iohannem quidem, quod caſtus non eſſet; Petrum vero, quod incautus & foenerator. Alium igitur ex Neapolitano clero aptum eligi mandat: *Si vero*, ait, *ſubtili habita inquiſitione hoc falſum eſſe patuerit, quia perſona eius* (Petri diaconi electi) *nobis ignota eſt, & utrum ita ſit de ſimplicitate eius, quod ad nos perlatum eſt, ignoramus, cum decreto a vobis facto ad nos eum venire neceſſe eſt, ut de vita moribuſque ipſius ſollicitius inquirentes, ſenſum quoque pariter agnoſcamus; ut ſi huic iudicio aptus extiterit, veſtra in eo, adiuvante Domino, deſideria compleamus. Studii praeterea veſtri ſit etiam alium, qui aptus ſit, providere, ut ſi forte huic ordini hic non videatur idoneus, ſit in quem ſe veſtra declinare poſſit electio. Nam grave cleri illius erit opprobrium, ut ſi hic fortaſſe approbatus non fuerit, alium ſe dicant qui eligi debeat non habere.* Idem (11) Miſenatis eccleſiae viſitationem Fortunato Neapolitano antiſtiti iniungit, iubetque eum, clerum plebemque Miſenatem admonere, *ut remoto contentionis ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi praeficiendum expetant Sacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, & cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuae teſtimonio litterarum*, AD NOS SACRANDVS OCCVRRAT. Et alibi (12) Clerum, ordinem & plebem Miſeni conſiſtentem hortatur, ut Fortunato Neapolitano, quem Miſenatis eccleſiae viſitatorem deputavit, obtemperent, *& remoto ſtrepitu, uno eodemque conſenſu*, epiſcopum dignum expetant. *Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente, ad nos veniat ordinandus.* Idem (13) Anthemio Subdiacono Campaniae imponit, ut quum Atellae, tum Cu-

(10) Lib.X.ep.LXII.
(11) Lib.IX.ep.LXXV.
(12) Lib.II.ep.LXXVI.
(13) Lib.X.ep.LXXVII.

Digitized by Google

Cumis idoneum epiſcopum quantocius eligi procuret: *Clerum vero plebemque eiuſdem eccleſiae* (Atellanae) *cum omni te volumus inſtantia commonere, quatenus praeficiendum ſibi ſine dilatione aliqua eligant Sacerdotem .... Pariter etiam clerum, plebemque ipſius eccleſiae, vel aliarum, quae ei unitae ſunt, inſtantius commoneto, quatenus & ipſi, omni mora dilationeque poſtpoſita, aptum ſibi eligere debeant Sacerdotem, ne diu, & tali praeſertim tempore, paſtoris proprii ſint regimine deſtituti*. Et Benenato epiſcopo (14) iniungit, ut e Cumanae eccleſiae clero idoneum paſtorem eligi procuret, *qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuae teſtimonio litterarum, ad nos ſacrandus occurrat*. Rurſus (15) Anthemio Subdiacono Campaniae praecipit, ut inquirat de Amandi vita in Surrentinum epiſcopum electi, eumque Romam quamprimum mittat: *Poſtquam is, qui ad epiſcopatum Surrentinae civitatis electus fuerat, aptus nobis viſus non eſt, Amandum presbyterum Oratorii s. Severini, quod in Caſtro Lucullano ſitum eſt, elegerunt. Eapropter experientiae tuae praecipimus, ut eumdem presbyterum, excuſatione poſtpoſita, ſub omni ad nos ſtudeat feſtinatione tranſmittere, quatenus petentium deſideria cum Chriſti auxilio, ſi nihil eſt quod eum impediat, impleantur. Cuius vita, vel actus, quia melius poſſunt illic ubi diu eſt verſatus agnoſci, curae tuae ſit cum fratre & coepiſcopo noſtro Fortunato de eo diligenter inquirere. Et ſi nulla ſunt, quae ad ſacrum ordinem obſiſtere valeant, ad nos debet omni poſtpoſita tarditate tranſmitti*. Et (16) Petro Subdiacono Campaniae iniungit, ut Numerium Nucerinae eccleſiae diaconum, ſi epiſcopatu dignum iudicet, Romam mittat conſecrandum: *Ante aliquot dies tibi ſcripſimus, ut Numerium diaconum Nucerinae eccleſiae interrogare ſubtiliter debuiſſes; & ſi nihil eſſet, quod ei ad ſacerdotii gradum potuiſſet obſiſtere, huc eum conſecrandum Deo auctore tranſmitteres. Et ideo ſi facta interrogatione, quam diximus, ſuprascriptum ad nos diaconum tranſmiſſurus es, clerum & populum civitatis ipſius admonere curabis, ut cum eo quanticumque potuerint, venire non differant, quatenus iis*

prae-

(14) Lib. II. ep. xxv.
(15) Lib. X. ep. xix.
(16) Lib. III. ep. xl.

Digitized by Google

praeſentibus, *ſi Deo placuerit*, *& ordinandus fuerit*, *conſecretur*.

Secundum metropoliticum ius eſt provinciae epiſcopos ad ſynodum congregare, eique praeeſſe, ut ex Conciliis Nicaeno I. (17), Arelatenſi II. (18), Theodoreto (19), & Auguſtino (20) patet. Campani autem antiſtites ad synodos a Romano metropolita coacti ſunt. Vtramque profecto paginam ii faciunt in ſynodis Romae celebratis. Concilio Romano ſub Hilaro P. an. CCCCLXV. adfuere Primus Atellanus, Soter Neapolitanus, Tiburtius Capuanus, Adeodatus Cumanus, Claudius Puteolanus. Concilio Romano ſub Felice III. P. an. CCCCLXXXVII. Conſtantinus Capuanus, Severus Caſinas, Martinianus Formianus, Vitalis Fundanus. Concilio Romano ſub Symmacho P. an. CCCCXCIX. Coelius Ruſticus Minturnenſis, Aucupius Puteolanus, Adeodatus Formienſis, Conſtantinus Capuanus, Conſtantinus Venafranus, Fortunatus Sueſſanus, Gaudentius Salernitanus, Miſenus Cumanus, Martyrius Terracinenſis, Paſchaſius Vulturnenſis, Roſarius Surrentinus, Stephanus Neapolitanus, Timotheus Abellinus, Valens Fundanus, Vrſus Stabianus. Concilio Romano ſub Symmacho an. CCCCI. Stephanus Neapolitanus, Concordius Miſenas, Vitalis Fundanus, Martyrius Terracinenſis, Serenus Nolanus, Paſchaſius Vulturnenſis, Sebaſtianus Soranus, Felix Atellanus, Adeodatus Formianus, Fortunatus Sueſſanus. Concilio Romano ſub Symmacho an. CCCCCII. Concordius Miſenas, Paſchaſius Vulturnenſis, Fortunatus Sueſſanenſis. Concilio Romano ſub Symmacho an. CCCCCIV. Felix Atellanus, Adeodatus Formianus, Stephanus Neapolitanus, Fortunatus Sueſſanus, Concordius Miſenas, Serenus Nolanus, Paſchaſius Vulturnenſis. Concilio Romano ſub Gregorio M. an. DLXXXXV. Iohannes Surrentinus, Fortunatus Neapolitanus, Agnellus Terracinenſis. Concilio Romano ſub Martino P. an. DCXLIX. Gaudioſus Capuanus, Euſebius Atellanus, Iuventius Stabienſis, Barbatus Cumanus, Maximus Miſenas, Leontius Neapolitanus, Felix Terracinenſis. Concilio Romano ſub Agathone an. DCLXXX. Agnellus Terracinenſis provinciae Campaniae, Adeodatus Formianus provinciae

(17) Can. v.
(18) Can. XVIII.
(19) Ep. LXXXI.
(20) Ep. CCXVII.

Digitized by Google

Campaniae, Petrus Cumanus provinciae Campaniae, Agnellus Miſenas provinciae Campaniae, Gaudioſus Puteolanus provinciae Campaniae, Agnellus Neapolitanus provinciae Campaniae, Aurelius Nolanus provinciae Campaniae, Decoroſus Capuanus provinciae Campaniae, Hyacinthus Surrentinus provinciae Campaniae. Concilio Romano ſub Leone IV. an. DCCCLIII. Alipertus Fundenſis, Iordanes Terracinenſis, Sergius Cumanus, Talarus Minturnenſis. Et Concilio Romano ſub Nicolao I. an. DCCCLXI. Landulphus Capuanus, Leo Caietanus, Iohannes Terracinenſis, Georgius Traiectanus: quibus adde Athanaſium Neapolitanum, quem ei ſynodo adverſus Iohannem Ravennatem habitae ſubſcripſiſſe, teſtatur Petrus Subdiaconus (21).

Tertium metropoliticum ius eſt controverſias inter ſuffraganeos epiſcopos obortas dirimere, eos criminis reos cenſuris coërcere, aliorum accuſationes audire, qui de iniuria ſibi ab epiſcopis ſuis illata queruntur, a quibus ad eorum metropolitam ſemper provocare licuit. Haec Romanus metropolita praeſtitit in Campania. Gregorius M. (22) Demetrium Neapolitanum epiſcopum ob nefanda crimina depoſuit: *Demetrius tantis ac talibus negotiis inventus eſt involutus, ut ſi ſecundum ſuorum qualitatem facinorum iudicium ſine miſericordia recepiſſet, divinis mundaniſque legibus duriſſima procul dubio fuerit morte plectendus. Sed quia poenitentiae reſervatus, ſacerdotii honore privatus eſt.* Idem (23) Anthemio Subdiacono Campaniae praecipit, ut Benenatum Miſenatem epiſcopum facinus abnegantem, Romam cum accuſatore aliisve perſonis mittat: *Comperimus Benenatum Miſenatem facinus, quod de ſe per ſcripturam manus prius profeſſus eſt, abnegare. Et ideo quia huius ſceleris negatio, ſicut maiori diſcuſſione, ita & maiori indiget ultione; experientiae tuae praeſenti auctoritate praecipimus, ut eumdem Benenatum, accuſatoremque ipſius, ſimul & perſonas de quibus accuſatus eſt, atque omnes qui in accuſationis chartula leguntur, ſub omni huc cautela & celeritate tranſmittat: quatenus cauſſae huius*

(21) In vita Athanaſ. Neapolit. apud Murator. tom. II. Rer. Italic. part. II. n. 16. p. 1059.

(22) Lib. II. ep. VI.

(23) Lib. IX. ep. I.

Digitized by Google

huius veritas diſtricta, ut dignum eſt, inquiſitione examinari valeat & agnoſci. Et iterum (24), eumdem Anthemium ſubdiaconum, alioſque in cauſſa Iohannis diaconi iudices arguit, quod Hilarum ſubdiaconum calumniatorem nulla poena affecerint; iubetque hunc privatum officio, ac verberibus publice caſtigatum exulare: *Cum fortius punienda ſint crimina, quae inſontibus, & maxime ſacratis ordinibus ingeruntur: quam ſitis culpabiles omnes, qui in cauſſa Iohannis diaconi reſediſtis, attende: ut Hilarum criminatorem ipſius nulla ex definitione veſtra poena veniens caſtigaret.... Quia ergo tantae nequitiae malum ſine digna non debet ultione tranſire, ſupraſcriptum fratrem noſtrum Paſchaſium* (Neapolitanum epiſcopum) *volumus, ut eumdem Hilarum prius ſubdiaconatus, quo indignus fungitur, privetur officio, atque verberibus publice caſtigatum faciat in exilium deportari.. Cuius ſi forte lenitatem diaconi ſui adhuc opinio lacerata non commovet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit; experientia tua haec quae diximus faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet*. Rurſus Fortunato Neapolitano antiſtiti (25) iniungit, ut a pueris Petrum de tentatione ſceleris accuſantibus veritatem accuratius exigat, Petro ipſo id poſtulante: *Valde nos veſtra mirari fecit fraternitas, ut cauſſam clerici ſui aut noluiſſet, aut non aſſurgeret definire. Petrus itaque praeſentium portitor ad nos veniens, queſtus eſt pueros a quibus de tentatione ſceleris falſo ſe aſſerit criminatum, non ut oportuit eſſe diſcuſſos; ſed tantummodo verbo tenus inquiſitos, & ſibi propter hoc ſolum, ne vobiſcum procedere audeat, interdictum. Aut enim vera fuere quae dicta ſunt, & iuxta cauſsae qualitatem canonicae fuit coërctioni ſubdendus: aut falſa, & diu non debuit in crimine remanere. Quia & ratio indicit, & hic pro ſui purificatione ſollicitus, quae adverſum ſe dicta ſunt, Apoſtolicam ſedem adiit, & iuſta examinatione finiri perquirit: neceſſe eſt, ut una cum Anthemio Subdiacono noſtro, ſubtili ac diſtricta diſcuſſione a pueris illis veritatem exigere debeatis. Et ſi praedictus portitor attentati facinoris reus eſſe patuerit, canonica modis omnibus ultione plectatur. Si vero inſons fuerit declaratus, celeri ab-*

(24) Lib.XI.ep.LXXI.

(25) Lib.X.ep.XL.

Digitized by Google

abſolutione reſpiret, & vobiſcum habeat procedendi licentiam. Mox (26) Anthemio ſubdiacono Campaniae negotium dat, ut illati Petro criminis veritatem una cum Fortunato Neapolitano diligentiſſime inquirat. Rurſus (27) Petro ſubdiacono Campaniae praecipit, ut Secundinum abbatem ob crimina deponat, ordinetque Theodoſium a congregatione poſtulatum: *Quamvis horrenda execrandaque nimis Secundinum ad aures noſtras pervenerit crimina commiſiſſe, hoc tamen ſolum ad eius damnationem poteſt ſufficere, quod etiam ipſe de ſe dicitur confeſſus. Cognovimus autem ab eo dictum, quod dum tertius a loco eſſet abbatis, a ſtatu habitus ſui in lapſum corporis ceciderit: & licet ad abbatis ordinem tanto coinquinatus facinore nulla debuerit ratione proficere; tamen quia temerario poſt auſu ac tanta pollutione detentus, hoc indignus arripuit, experientiae tuae huius auctoritatis tenore praecipimus, ut ſupraſcripto Secundino remoto ab abbatis officio, Theodoſium, quem congregatio ipſa ſibi petiit ordinari, in monaſterio s. Martini abbatem ſolemniter per eum, cuius proviſio intereſt, ordinari.* Anthemio ſubdiacono Campaniae (28) praecipit, ut monachos vagos peculiaritati ſtudentes, & uxoratos coërceat: e clericatu vero ad monachiſmum converſos eccleſiam in qua militarunt, repetere non ſinat. Eidem (29) mandat, ut Importuni Atellani epiſcopi teſtamentum diſcutiat. Demetrio Neapolitano epiſcopo (30) praecipit, ut quoſdam prius in fide dubios; iam vero catholicam communionem repetentes excipiat. Petro ſubdiacono Campaniae (31) imponit, ut Feſtum Capuanum epiſcopum civibus ſuis conciliet. Iubet (32) Fortunatum Neapolitanum praeſulem Theodoro portas, & Ruſtico aquaeductum tandem reſtituere, cauſſam deinde adverſus illos movere, ſi voluerint. Paſchaſio Neapolitano epiſcopo (33) mandat, ut quam eius deceſſor ex pecuniis eccleſiae detinuerat cleri vel pauperum portionem, ipſe ſecundum praeſcriptum ſibi in epiſtola modum diſtribuat. Importunum Atellanum epiſcopum (34) monet

(26) Lib. X. ep. XLI.
(27) Lib. III. ep. XLII.
(28) Lib. I. ep. XLII.
(29) Lib. IX. ep. LXXVII.
(30) Lib. I. ep. XIV.
(31) Lib. III. ep. XXXIV.
(32) Lib. X. ep. XXV.
(33) Lib. XI. ep. XXXIV.
(34) Lib. II. ep. XIII.

Digitized by Google

monet de presbytero a ſe, ut in quadam dioeceſis illius eccleſia praeſit, deputato. Gaudentio Nolano (35) praecipit, *ut clericis Capuanae eccleſiae, qui in civitate Neapolitana conſiſtunt, quartam in presbyterium eorum, de hoc quod antedictae eccleſiae ſingulis annis acceſſerit, iuxta antiquam conſuetudinem diſtribuere ſecundum perſonarum ſtudeat qualitatem... Praeterea decem ſolidos, quos Ruſtico archidiacono ſuo Fuſcus quondam epiſcopus ſupradictae eccleſiae abſtulit, omni ceſſante ambiguitate reſtituat* (*). Anthemio ſubdiacono Campaniae (36) mandat, ut reliquum pecuniae pro caſtro conſtruendo datae apud Benenatum Miſenatem perquirat, eamque in illud ipſum ex toto impendi curet. Iubet, Fortunatum Neapolitanum (37) Ianuariae reliquias ſanctorum Severini & Iulianae dare. Paſchaſio Neapolitano praeſuli (38) imponit, ut Venantio s. Severini reliquias ad oratorii conſecrationem concedat. Iubet (39), Iohannem Surrentinum epiſcopum Gregorio expraefecto baſilicam aedificare cupienti reliquias concedere. Permittit Fortunato Neapolitano antiſtiti (40) Venafranae eccleſiae diaconum Neapolitanae incardinari; vetatque, ne coram laicis in ius vocentur clerici. Anthemio ſubdiacono Campaniae (41) praecipit, ut ſacram Venafranae eccleſiae ſupellectilem, quam clerici Iudaeo vendiderant, reſtitui curet, reoſque ad poenitentiam compellat.

Quartum metropoliticum ius eſt ſuffraganeos epiſcopos negligentes officii admonere atque corrigere, eccleſiaſticae diſciplinae in provincia excubare, abuſus inde evellere, eiuſque uni-

(35) Lib.V.ep.XXXIII.

(*) Habebat tum Capuanus epiſcopus Neapoli eccleſiam ſibi ſubditam, quam *presbyterium* Gregorius adpellat. Id forte factum ob Longobardorum in Campaniam incurſionem ſub Zotone Duce an. DLXXI., ob quam Capuani clerici una cum epiſcopo, barbarorum gladios devitaturi, Neapolim munitam urbem confugerunt, ubi a Neapolitano epiſcopo eccleſiam impetrarunt; quam poſtea tenuerunt, etiam dum ſub Longobardorum ditione tuto viverent. Neapolitanae tunc eccleſiae praeerat Vincentius, Demetrii, qui ſub Gregorio M. vivebat, deceſſor; quem ab anno DLVI. ad DLXXX. ſediſſe, ſcribit Io. Diaconus in *eius vita*. Nunc intelligis, quod de eccleſia Capuano epiſcopo Neapoli conceſſa, in qua *clerici Capuanae eccleſiae conſiſtebant*, Gregorius perhibet.

(36) Lib.X. ep. LI.

(37) Lib.IX. ep.LXXXV.

(38) Lib.XI. ep.XXXI.

(39) Lib.IX. ep.XXV.

(40) Lib.VI. ep.XI.

(41) Lib.I. ep.LXVIII.

Digitized by Google

niverſae curam gerere. Haec Romanus metropolita in Campania praeſtitit. Gregorius M. (42) Fortunati Neapolitani epiſcopi negligentiam erga monaſteria arguit, & Mauricii aliorumque monachorum fugam dolet: *Cum fraternitas veſtra minus erga monaſteria ſibi ſubiecta ſtudet eſſe ſollicita, & ipſa culpam reprehenſionis incurrit, & nos de ſua lenitate contriſtat. Pervenit autem ad nos, Mauricium quemdam, qui nuper in monaſterio Barbaciani converſus eſt, ablatis ſecum aliis monachis, fuga de eodem monaſterio diſceſſiſſe. Qua in re praedictum nobis Barbacianum ſua praecipitatio vehementer accuſat, qui temere ſaecularem hominem, & non ante probatum, tonſuravit. Numquid non vobis ſcripſimus, ut prius eum probaretis, & tunc ſi aptus eſſet, abbatem facere deberetis? Vel nunc ergo circa eum, quem elegiſtis, eſtote ſolliciti. Nam vos illo delinquente delinquitis, ſi ita coeperit ſe exhibere, ut ſe ad fratrum oſtendat regimen indignum.* Deinde vetat ne Monachi deinceps, niſi per biennium probati, tonſurentur, neve milites ſine ſuo ipſius conſenſu, in monaſteriis ſuſcipiantur. Eidem Fortunato (43) praecipit, ne milites in monaſterio virginum hoſpitentur. Eumdem edocet (44), quomodo in eccleſia ſua converſari debeat. Anthemio Campaniae ſubdiacono (45) praecipit, ut Amalphitanum epiſcopum in eccleſia ſua reſidere cogat: *Pervenit ad nos Pimenium Amalphitanae civitatis epiſcopum in eccleſia ſua reſidere non eſſe contentum, ſed foris per diverſa loca vagari.... idcirco hac tibi auctoritate praecipimus, ut ſupradicto epiſcopo interminari non deſinas, quatenus hoc de cetero facere non praeſumat, ſed in eccleſia ſua ſacerdotali more reſideat. Quem ſi forte non emendari poſt tuam interminationem cognoveris, in monaſterio eum deputare, & nobis curabis modis omnibus indicare, ut quid facere debeas, noſtra iterum praeceptione cognoſcas.* Baſilius Capuanus epiſcopus forenſes cauſſas apud Siciliae praefectum actitabat; eum Gregorius (46) per Romanum in Sicilia defenſorem redire ad ſedem ſuam intra quinque dies iubet: *Perlatum ad nos eſt reverendiſſimum fra-*

(42) Lib.X. ep.XXIV.
(43) Lib.IX. ep.CIII.
(44) Lib.III. ep.LXI.
(45) Lib.VI. ep.XXIII.
(46) Lib.X. ep.X.

Digitized by Google

fratrem noſtrum Baſilium epiſcopum , velut unum de ultimis , in cauſſis occupari, & praetoriis inutiliter obſervare. Quae res quoniam & ipſum vilem reddit, & reverentiam ſacerdotalem annihilat, ſtatim ut experientia tua hoc praeceptum ſuſceperit, eum ita ad revertendum diſtricta excuſatione compellat, quatenus & illic te inſiſtere quinque diebus, ſub qualibet excuſatione immorari non liceat; ne ſi quolibet modo eum ibidem moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos graviter incipias eſſe culpabilis. Anthemio ſubdiacono Campaniae (47) praecipit, ut Paſchaſii epiſcopi negligentiam coram ſelectis teſtibus reprehendat, eumque hortetur, *ut vitio corporis excuſſo, deſes eſſe non debeat, ſed in eccleſiae ſuae ac monaſteriorum cura ſit vigilans .... Si vero poſt hanc adhortationem noſtram ſolito adhuc more negligens eſſe tentaverit, ad nos eſt modis omnibus tranſmittendus, ut hic poſitus diſcere poſſit quid vel qualiter ſecundum timorem Dei agere conveniat ſacerdotem.* Eidem Anthemio (48) mandat, ut Campaniae epiſcopos officii ſui immemores convocet, moneatque ut vigilantius agant, ac ſi quem poſtea noverit deſidem, mittat illum Romam.

Quintum metropoliticum ius eſt vacantis intra provinciam ſedis curam gerere, negotia eccleſiaſtica, quamdiu ſedes vacat, dirigere, reditus epiſcopales in tuto ponere, & canonicam novi paſtoris electionem procurare: quod miſſo vacanti ſedi *viſitatore* expediri conſuevit, ut ex Ambroſio (49) aliiſque conſtat. Viſitatores autem eccleſiis Campaniae proprio paſtore orbatis Romanus pontifex deputavit. Gregorius M. (50) Gaudentium Nolanum epiſcopum Capuam viſitatorem mittit: *Quoniam Fuſcus Capuanae eccleſiae epiſcopus, in Romana civitate poſitus, de hac luce migravit, curae nobis fuit.. ad fraternitatem tuam praeſentia ſcripta dirigere, ut memoratae eccleſiae viſitator accedas: ſic tamen, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid praefati loci eſſe patuerit, a quoquam praeſumi patiaris.* Eadem ſignificat *clero eccleſiae Capuanae degenti Neapoli* (51).

Idem

(47) Lib.XIII.ep.xxvi.
(48) Lib.XIII.ep.xxvii
(49) Ep.xix.ad Conſtatium.
(50) Lib. V. ep. xiii.
(51) Lib. V. ep. xiv.

Idem pontifex (52) Fortunato Neapolitano epiſcopo Miſenatis eccleſiae viſitationem iniungit: *Cognoſcentes Miſenatem eccleſiam ſacerdotis regimine deſtitutam, viſitationis eiuſdem eccleſiae fraternitati tuae operam ſolemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid aliud eſt in patrimonio eiuſdem, a quoquam praeſumatur eccleſiae. Et ideo caritas tua ad praedictam eccleſiam ire properabit, & adſiduis adhortationibus clerum plebemque eiuſdem eccleſiae admonere, ut remoto contentionis ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi praeficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur*. Idem (53) Agnello Terracinenſi epiſcopo Formienſis eccleſiae viſitationem delegat: *Obitum Bacaudae antiſtitis directa relatio patefecit; quapropter viſitationem eccleſiae* (Formienſis) *deſtitutae fraternitati tuae operam ſolemniter delegamus: quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, vel ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio eiuſdem, a quoquam praeſumatur*. Tum eum ad Formienſem eccleſiam properare iubet, *& adſiduis adhortationibus clerum plebemque eiuſdem eccleſiae admonere, ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu* dignum expetant paſtorem. Et alibi (54) Benenato Miſenati epiſcopo viſitationem Cumanae eccleſiae delegat, ut tum eccleſiam illam tueatur, tum ex ipſius clero idoneum eligi epiſcopum curet: *Quoniam Cumanae eccleſiae Liberius quondam antiſtes de hac luce migraſſe cognoſcitur, propterea viſitationis deſtitutae eccleſiae fraternitati tuae operam ſolemniter delegamus, quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt, a quoquam praeſumatur eccleſiae*. Deinde iubet Benenatum clerum plebemque Cumanam admonere, ut dignum *ſibi praeficiendum expetant ſacerdotem*.

Sextum metropoliticum ius eſt oratoria & baſilicas conſecrandi veniam ſuffraganeis epiſcopis dare. Hinc Montanus metropolita To-

(52) Lib. IX. ep. LXXV.
(53) Lib. VII. ep. XVI.
(54) Lib. II. ep. XXV.

Toletanus (55), conqueſtus a ſuffraganeis epiſcopis, *qui nec provinciae privilegiis*, *nec rerum domini noſcuntur*, ſe inſcio eccleſias conſecrari, haec mandat: *litteris nos informare debeatis*, *ut per nos*, *aut eum qui nobis ex fratribus & coëpiſcopis noſtris viſus fuerit*, *& conſecratio eccleſiarum*, *Deo auſpice*, *poterit celebrari*. Eiuſmodi licentia urbicariarum provinciarum epiſcopis a Romano metropolita concedebatur: *Baſilicas noviter inſtitutas*, inquit Gelaſius P. (56), *non repetitis ex more praeceptionibus*, *dedicare non audeant*. Scite Couſtantius (57) obſervat, *praeter eos*, *qui inter provincias degebant ſuburbicarias*, *inventum eſſe neminem*, *qui baſilicas vel oratoria conſecrandi ius a Sede apoſtolica petierit*. Formulas, quibus iſtiuſmodi veniam urbicarii epiſcopi a Romano metropolita poſtulabant, exhibet Garnerius (58). Iam vero Campani epiſcopi utpote ſuffraganei non niſi petita & impetrata Romani antiſtitis venia baſilicas & oratoria conſecrarunt. Exemplorum abunde eſt in Gregorii M. Regeſtis. Is (59) Fortunato Neapolitano praeſuli praecipit, ut monaſterium Gratioſae abbatiſſae conſecret: *Gratioſa abbatiſſa una cum congregatione ſua poſtulavit*, *quod Patriciae recordationis Ruſtica per ultimum voluntatis ſuae arbitrium in civitate Neapolitana*, *in domo propria*, *in regione Herculenſi*, *in vico qui appellatur Lampadi*, *monaſterium conſtrui voluerit ancillarum Dei*, *in quo praefatam Gratioſam abbatiſſam praeeſſe diſpoſuit*; *ſimulque & oratorium extruxiſſe dignoſcitur*, *quod in honorem* Deiparae ac Ieſu Chriſti *deſideravit conſecrari*. *Et ideo praeſenti praeceptione dilectionem tuam duximus adhortandam*, *ut* ... *ad praedictum locum cum poſtulaverint*, *ingravanter accedas*, *venerandae ſolemnia dedicationis impendens*. Eidem Fortunato (60) imponit, ut monaſterium in honorem ſanctorum Petri & Michaëlis dedicet: *Theodoſius*, *abbas monaſterii s. Martini*, *petitoria nobis inſinuatione ſuggeſſit*, *in domo quondam Martini*, *ex*

(55) Epiſt. ad fratres Palentini territorii in Concilio Toletano II., apud Binium Concil. tom. II. p. 401.

(56) Epiſt. ad epiſcop. per Lucaniam & Brutios & Siciliam conſtitutos cap. IV. apud Labb. Conc. tom. II. p. 312.

(57) Praef. ad epiſtol. Romanor. Pontif. p. XXVI. n. 28., & p. XLVIII. n. 46.

(58) In Diurn. Romanor. Pontif. cap. V. tit. 3. & 4.

(59) Lib. III. ep. LXIII.

(60) Lib. V. ep. XXXVII.

eius voluntate deceſſorem ſuum Andream abbatem, monaſterium, in quo monachi habitare debeant, conſtruxiſſe. Et quia id in honorem beati Petri Apoſtolorum principis, & s. Archangeli Michaëlis poſtulat dedicari, dilectionem tuam praeſentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad praedictum locum, cum poſtulaverit, ingravanter accedas, venerandae ſolemnia dedicationis impendens. Rurſus eidem Fortunato (61) iniungit; ut eccleſiam pro monachis, ſine miſſis publicis, baptiſterio, & presbytero cardinali conſecret: *Fraternitati veſtrae eſſe non putamus incognitum, quia Romanus clariſſimae memoriae vir, per ultimae ſuae voluntatis arbitrium, in domo iuris ſui eccleſiam, quae in civitate veſtra ſita eſt, aedificari deputavit ..... Sanctitas veſtra illic ingravanter accedat, & locum ipſum in honorem ss. Hermetis, Sebaſtiani, atque Cyriaci, nec non & Pancratii ſolemniter ſtudeat abſque miſſis publicis cum veneratione debita conſecrare; ita ut in eodem loco baptiſterium numquam conſtruatur, nec presbyterum conſtituas cardinalem*. Idem Petro ſubdiacono Campaniae (62) ſignificat, *oratorium beatae Mariae, quod nuper in cella fratrum aedificatum eſt, ubi Marinianus abbas praeeſſe dignoſcitur, Auguſto menſe diſpoſuiſſe ſe ſummopere dedicare*. Et Iohanni Surrentino epiſcopo (63) mandat, ut in s. Stephani monaſterio reliquias beatae Agathae ſolemniter collocet: *Savinus abbas monaſterii s. Stephani inſulae Capris ſuggeſſit nobis, ſe s. Agathae martyris reliquias iam olim apud ſe habere conceſſas, & in monaſterio ſuo vult ipſa ſanctuaria collocari: ideo ad praedictum monaſterium te iubemus accedere, & ſi nullum ibidem corpus conſtat humatum, praedicta ſanctuaria ſolemniter collocabis*.

Septimum metropoliticum ius eſt provinciae epiſcopatus & monaſteria unire. Romani autem pontifices Campaniae eccleſias ac monaſteria cum aliis univerunt. Gregorius M. (64) Minturnenſem eccleſiam deſolatam Formienſi univit: *Eccleſiam Minturnenſem funditus tam cleri quam plebis deſtitutam deſolatione cognovimus, tuamque*

(61) Lib. X. ep. II.
(62) Lib. I. ep. LVI.
(63) Lib. I. ep. IV.
(64) Lib. I. ep. VIII.

Digitized by Google

que pro ea petitionem, quatenus Formianae eccleſiae ... *cui fraternitas tua praeſidet, adiungi debeat, piam eſſe ac iuſtiſſimam providentes; neceſſarium duximus, conſulentes, tam deſolationi loci illius, quam eccleſiae tuae paupertati, reditus ſupradictae eccleſiae Minturnenſis, vel quidquid antiquo modernoque iure vel privilegio potuit poteſtve qualibet ratione competere, ad tuae eccleſiae ius poteſtatemque hac praecepti noſtri auctoritate tranſmigrare.* Idem pontifex (65) Cumanam & Miſenatem eccleſias univit, ac utriuſque epiſcopum conſtituit Benenatum: *Et temporis qualitas, & vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque Miſenatem unire debeamus eccleſias: quoniam eae non longo a ſe itineris ſpatio ſeiunctae ſunt, nec peccatis facientibus, tanta populi multitudo eſt, ut ſingulos, ſicut olim fuit, habere debeant ſacerdotes. Quia igitur Cumani caſtri ſacerdos curſum vitae huius explevit, utramque nos eccleſiam praeſentis auctoritatis pagina uniſſe, tibique commiſiſſe cognoſce, propriumque utrarumque eccleſiarum ſcito te eſſe pontificem.* Et (66) Velitrenſis epiſcopi ſedem in tutiorem locum tranſtulit: *Temporis qualitas admonet, epiſcoporum ſedes antiquitus certis civitatibus conſtitutas, ad alia, quae ſecuriora putamus, eiuſdem dioeceſeos loca tranſponere. Propterea te Iohannem fratrem coëpiſcopumque noſtrum Velitrenſis civitatis, ſedemque tuam in locum, qui Harenata dicitur, ad s. Andream Apoſtolum praecipimus exinde tranſmigrare.* Nec epiſcopatus modo, ſed & monaſteria in Campania ſita Gregorius univit. Agapiti abbatis monaſterio in Surrentina dioeceſi ſito univit aliud in fundo Marciano provinciae Campaniae poſitum, & ob hoſtilitates prorſus deſertum, ſic tamen, ut non Surrentino epiſcopo, ſed Nucerino ſubſit (67). Idem monaſterio s. Sebaſtiani, Neapoli poſito, cui Adeodatus abbas praeerat, monaſterium Gazarenſe, quouſque Neapoli ordinaretur epiſcopus; Puteolanum vero, in perpetuum univit (68). Et eiuſdem Adeodati monaſterio Craterenſe coenobium univit (69).

 Vt

(65) Lib. II. ep. XLV.
(66) Lib. II. ep. XIV.
(67) Lib. XI. ep. LXXII.
(68) Lib. X. ep. LXI.
(69) Lib. XIII. ep. II.

Digitized by Google

Vt in Campania, ſic in Samnio nullus praeter Romanum pontificem metropolitanus extitit ad Leonis Iſauri tempora, & quod excurrit. Epiſcopales Samnii urbes ſunt Beneventum, Sulmo, Bovianum, Alipha, Theate, Hortona, Saepinum, Samnium, Valva, aliaeque. His unus praefuit metropolita Romanus. Denato Hortonenſi epiſcopo, Gregorius M. (70) deſtitutae eccleſiae viſitatorem Barbarum Beneventanum praeſulem delegat, eique negotium dat, ut dignus eligatur antiſtes, *qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente*, AD NOS VENIAT ORDINANDVS. Eumdem Barbarum, utpote ſuffraganeum (71), Panormitanae eccleſiae viſitatorem ſub conſueta formula inſtituit, monetque, ne ad Panormitanum epiſcopatum *cuiuslibet converſationis vel meriti laicam perſonam aſpirare permittat; ne & conatus eorum habeatur inefficax, & in periculum ordinis ſui, quod abſit, incurrat*. Et (72) a Romano, Patricio & Exarcho Italiae, poſtulat, ut Blandum epiſcopum Hortenſem, aut in ſynodo iudicari, aut in eccleſiam ſuam reverti concedat: *Pervenit ad nos, Blandum epiſcopum Hortenſis civitatis, longo iam tempore in civitate Ravennate a veſtra excellentia detineri. Et fit ut eccleſia ſine rectore, & populus, quaſi ſine paſtore grex, defluat; & ibidem infantes pro peccatis abſque baptiſmate moriantur ... Oportet ut habita ſynodo palam fiat, ſi quod in eum crimen intenditur. Et ſi talis in eo culpa reperitur, quae uſque ad degradationem ſacerdotii perducatur, aliam neceſſe eſt ordinationem inquiramus ... Sin autem excellentia veſtra aliter ſe habere, quam de eo quod dicitur eſſe perſpexerit, eum ad eccleſiam ſuam reverti concedat, ut officium ſuum in commiſſis ſibi animabus adimpleat*. Idem (73) Scholaſtico defenſori praecipit, ut Calumnioſo antiſtiti epiſcopium reſtituat, non ablatis inde quae deceſſor epiſcopus Scholaſtici pater adquiſierit: *Queſtus nobis eſt* (Calumnioſus), *quod & epiſcopium eccleſiae ipſius hactenus detineas, & occaſione blandiaris, ut*

(70) Lib. IV. ep. XLI.
(71) Lib. XIII. ep. XIII.
(72) Lib. I. ep. XXXIII.
(73) Lib. XI. ep. XX.

Digitized by Google

ut epiſcopi patris tui veſtes tibi, *vel alia quae in epiſcopio inventa ſunt*, *applices*. *Et ideo ſi ita eſt*, *& ab epiſcopio te praecipimus ſine mora recedere*, *& quidquid praedictus pater tuus epiſcopatus ſui tempore de proprio eccleſiae conſtiterit conquiſiſſe*, *ne tollas*. Alibi (74) Opportunum de Aprutio, ſive epiſcopum, ſive abbatem, ob aſperam correctionem contriſtatum lenit, & ad perfectam converſionem hortatur. Leo M. (75) Dorum Beneventanum epiſcopum de perturbato presbyterii ordine, primoſque presbyteros iuri ſuo cedentes, increpat: ac ſuum cuique ordinem vindicat pro ordinationis tempore, primis, qui ceſſerant, ad infimum ablegatis. Sunt hi actus metropoliticae Romani pontificis in Samnium auctoritatis.

Porro Samnii epiſcopi pergere ad Romanam Synodum cogebantur. Ita Concilio Romano ſub Symmacho an. CCCCLXXXIX. interſuere Epiphanius Beneventanus, Palladius Sulmontinus, Clarus Aliphanus, Quintus Theatinus. Concilio Romano ſub Symmacho an. CCCCCI. Proculeianus Saepinas, & Laurentius Boiacenſis. Concilio Romano ſub eodem Symmacho an. CCCCCII. Proculeianus Saepinas, Laurentius Boianenſis, Marcus Samninus. Concilio Romano ſub Agathone P. an. DCLXXX. Barbarus Beneventanus, & Clarentius Balnenſis (lege Valvenſis). Et Concilio Romano ſub Leone IV. an. DCCCLIII. *Urſus archidiaconus vicem agens Petri epiſcopi Theatinenſis*, *& Rampertus presbyter vicem agens Hieremiae epiſcopi Aprutienſis*, ſubſcripſere.

Sunt & alia, quae Romanum pontificem & Campaniae, & Samnii metropolitam fuiſſe, confirmant. In Notitia Imperii Campania, & Samnium inter decem urbicarias provincias recenſentur; ſat autem liquet, eccleſiaſticam Romani metropolitae provinciam iiſdem coaluiſſe provinciis, quae in civili diſpoſitione a Vicario Urbico adminiſtrabantur. Porro Leo M. (76) epiſtolam *ad univerſos per Campaniam*, *Samnium*, *& Picenum conſtitutos epiſcopos* inſcribit: quod etiam nullum, praeter Romanum pon-

(74) Lib. X. ep. LXVIII.
(75) Ep. XVIII. ad Dorum Beneventan.
(76) Apud Labb. Concil. tom. IV. p. 552.

Digitized by Google

pontificem, tunc Campaniae & Samnii metropolitam fuiſſe, demonſtrat; nam in provinciis proprium metropolitanum habentibus, illi tantum licebat Romanum pontificem conſulere, eiuſque reſponſa excipere.

C A P. II.

Nullus in Apulia & Calabria metropolitanus, praeter Romanum pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit.

NOn in Campania & Samnio ſolum, verum etiam in Apulia & Calabria nullus, praeter Romanum, extitit metropolita, a primis eccleſiae temporibus ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit. Nimirum epiſcopales Apuliae ſedes ſunt Barium, Tranum, Canuſium, Sipontum, Cuperſanum, Melphis, Venuſia, Acherontia, Vigiliae, Egnatia, Cannae, ceteraeque; Calabriae autem Tarentum, Brunduſium, Hydruntum, Aletium, Callipolis, Varia, Lupia, Alexanum & Leuce. In has eccleſias metropolitica iura unus exercuit Romanus antiſtes. Longum eſt ire per omnia: brevitati in re certa ſtudendum.

Profecto Apuliae & Calabriae epiſcopi a Romano metropolita ſuo conſecrabantur. Diſerte Apulorum Calabrorumque praeſulum ordinationes ſibi aſſerit Caeleſtinus I. (1): *Audivimus*, inquit, *quasdam propriis deſtitutas rectoribus civitates epiſcopos ſibi petere velle de laicis, tantumque faſtigium tam vile credere, ut hoc his, qui non Deo, ſed ſaeculo militaverunt, aeſtimet nos poſſe conferre, non ſolum male de ſuis clericis (in quorum contemtum hoc faciunt) iudicantes, ſed de nobis peſſime, quos credunt hoc facere poſſe, ſentientes*. Gregorius M. (2) Petro Hydruntino epiſcopo viſitationem eccleſiarum Brunduſii, Lipiae, ſeu Lupiae, & Callipolis, paſtoribus ſuis deſtitutarum, delegat, eique praecipit, ut clerum plebemque earumdem eccleſia-

(1) Ep. III. ad epiſcopos Apuliae & Calabriae, apud Labb. Conc. t. III. p. 482. & Coutant. epiſt. Roman. Pontif. p. 403.

(2) Lib. VI. ep. XX.

Digitized by Google

ſiarum admoneat, quo dignos ſibi praeficiendos expetant ſacerdotes, *qui dum fuerint poſtulati, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuae teſtimonio litterarum,* AD NOS VENIANT CONSECRANDI.

Ab eodem Romano metropolita Apuliae & Calabriae epiſcopi ad ſynodum Romam evocabantur. Concilio Romano ſub Hilaro P. an. CCCCLXV. adfuerunt Felix Sipontinus, & Concordius Barinus. Concilio Romano ſub Symmacho P. an. CCCCXCIX. Iuſtus Acherentinus, & Rufinus Canuſinus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DI. Stephanus Venuſinus, Euthychius Tranenſis, Hilarius Cuperſanenſis, & Memor Canuſinus. Concilio Romano ſub eodem Symmacho an. DII. Stephanus Venuſinus, Eutychius Tranenſis, & Memor Canuſinus. Iidem ſubſcribunt Romanis ſynodis ſub Symmacho an. DIII. & DIV. celebratis. Concilio Romano ſub Martino P. an. DCXLIX. Iohannes Tarentinus, Rufinus Sipontinus, & Andreas Hydruntenſis. Tandem Concilio Romano ſub Agathone P. an. DCLXXX. Iohannes Hydruntinus, & Germanus Tarentinus, ſubſcripſerunt.

Cauſſas quoque epiſcoporum Apuliae & Calabriae Romanus pontifex prae metropolitica auctoritate ſua iudicavit ſive per ſe, ſive per alios. Gregorius M. (3) Felicem Sipontinum epiſcopum arguit de illato a nepote ſtupro, eique imponit latae in reum ſententiae executionem: *Pervenit ad nos, quod ſupraſcriptus Felix Evangelii tui diaconi filiam, quod nefas eſt dicere, ſtupro deceperit. Quod ſi verum eſt; quamvis gravi eſſet de lege poena plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiuſcemodi diſponendo praecipimus, ut, aut quam ſtupravit uxorem habeat, aut certe ſi renuendum putaverit, diſtrictius ac corporaliter caſtigatus excommunicatuſque, in monaſterium, ubi poenitentiam peragat, retrudatur: de quo ei nulla ſit egrediendi ſine noſtra praeceptione licentia.* Iubet eumdem Felicem Sipontinum (4) ſolidos duodecim, quibus Tribunus clericus redemtus fuit, redemtori ex eccleſiae pecuniis reſtituere. Idem pontifex (5) Andream Tarentinum

(3) Lib. III. ep. XLIII.
(4) Lib. IV. ep. XLIII.
(5) Lib. III. ep. XLV.

Digitized by Google

tinum epiſcopum hortatur, ut ſacerdotium ipſe deponat, ſi peccati cum concubina ſit conſcius; eumdem vero, quod mulierem fuſtibus caedi iuſſerit, a miſſarum celebratione per duos menſes abſtinere iubet: *Habuiſſe te concubinam manifeſta veritate comperimus, de qua etiam contraria eſt quibuſdam nata ſuſpicio. Sed quia in rebus ambiguis abſolutum non debet eſſe iudicium, hoc tuae conſcientiae elegimus committendum. Qua de re ſi in ſacro ordine conſtitutus, eius te permixtione eſſe recolis maculatum, ſacerdotii honore depoſito ad adminiſtrandum nullo modo praeſumas accedere .... Praeterea quoniam mulierem de matriculis* (*) *contra ordinem ſacerdotii caedi crudeliter fuſtibus deputaſti, propterea duobus te menſibus ab adminiſtratione miſſarum ſtatuimus abſtinere. In quibus ab officio tuo ſuſpenſum, flere te convenit quod feciſti.* Et Iohanni Callipolitano epiſcopo (6) praecipit, ut Iohannem Tarentinum, ſi concubinam in ſacro ordine conſtitutus contigerit, a miniſterio prohibeat; eumdem vero a miſſarum celebratione ſuſpendat ob caeſam fuſtibus mulierem, & clericorum de illo querelas expendat: *Ex geſtis, quae ad nos fraternitas tua direxit, inventum eſt Andream fratrem & coëpiſcopum noſtrum habuiſſe ſine dubio concubinam. Sed quia incertum eſt, ſi eam in ſacro ordine conſtitutus contigerit; neceſſe eſt, ut eum commoneas, ut ſi poſitus in ſacro ordine, cum ea ſe novit immixtum, ab eo quo eſt officio quieſcat, & nullatenus adminiſtrare praeſumat .... Matriculam vero quam fecit fuſtibus caſtigari, duobus hunc* (Andream) *menſibus a miſſarum ſolemnitate ſuſpende .... Praeterea oblata nobis petitione clerici praedicti epiſcopi multa ſe mala ab eo ſuſtinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua ſubtiliter cuncta curet addiſcere, & ita ea rationabili modo emendare atque diſponere, ut nulla eis pro hac re huc remeandi de cetero neceſſitas imponatur.* Tandem Petro Hydruntino epiſcopo (7) imponit, ut Opportuno abbati reliquias s. Leontii concedat.

Vi-

(*) Matricula dicebatur album, in quo deſcripti erant pauperes, orphani, viduae, quae eccleſiae ſumtibus alebantur. Inde *matricularii*, ac *matriculariae* appellabantur. Mulierem, quae fuſtibus caeſa eſt, fuiſſe unam e matricula eccleſiae Tarentinae inde liquet, quod id factum eſt iuſſu epiſcopi, ad quem pertinebat cura & poteſtas in matriculis eccleſiae. Idem oſtendit Gregorius M. lib. III. ep. XLVI. *matriculam vero*, inquit, *quam fecit* (Andreas Tarentinus) *fuſtibus caſtigari*.

(6) Lib. III. ep. XLVI.

(7) Lib. VI. ep. LXII.

Viſitatores vacantium eccleſiarum a proprio metropolita dabantur : in Apulia vero & Calabria a Romano praeſule adſignati. Gregorius M. (8) Felicem Sipontinum epiſcopum Canuſinae eccleſiae viſitatorem deputat, duoſque in ea parochiales presbyteros ordinare, permittit: *Pervenit ad nos, quod Canuſina eccleſia ita ſit Sacerdotii officio deſtituta, ut nec poenitentia ibidem decedentibus, nec baptiſma praeſtari poſſit infantibus. Huius igitur tam piae rei, tamque neceſſariae mole permoti, iubemus dilectioni tuae, ut huius praeceptionis auctoritate commonitus, memoratae eccleſiae viſitator accedas, & vel duos parochiales presbyteros debeas ordinare.* Idem pontifex (9) Petro Hydruntino epiſcopo commendat tres eccleſias propriis paſtoribus deſtitutas, Brunduſinam, Lupianam, & Callipolitanam: *Quia eccleſias Brunduſii, Lippias, atque Callipoli, obeuntibus earum pontificibus, omnino deſtitutas agnovimus; idcirco fraternitati tuae viſitationis earum operam duximus iniungendam, quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, miniſteriiſque, vel quidquid illud eſt in patrimonio earum, a quoquam patiaris imminui.* Honorio Tarentino epiſcopo (10) permittit conſtructo baptiſterio uti: *Fraternitate tua indicante didicimus in civitate Tarentina, in qua praeeſſe dignoſceris, in eccleſia s. Mariae baptiſterium te noviter conſtruxiſſe. Et ideo praeſenti auctoritate ſuſcepta, tui deſiderii complebis effectum, quatenus per ſacrum lavacrum peccatorum illic maculae deleantur.*

Suffraganeorum negligentiam reprehendere, monialium, clericorum, eccleſiaſticae diſciplinae in omni provincia curam gerere, pravos mores diſiicere, metropolitani eſt. Innocentius I. (11) Agapitum, Macedonium & Marianum epiſcopos Apulos arguit, vetatque poenitentium quempiam in clerum adſciſci: *Multa in provincia*, inquit, *contra canones eccleſiaſticos decretaque maiorum uſurpari a plurimis, & relationes diverſorum, & ſuggeſtiones fidiſſimae retulerunt: quae quidem poſſent facile reſecari, ſi epiſcopi in his non invenirentur auctores. Qui dum aut amicis,*

(8) Lib.I. ep.LIII.
(9) Lib. VI. ep. XXI.
(10) Lib. XIII. ep. XX.
(11) Ep. VI.

Digitized by Google

micis, aut obſequentibus gratiam praeſtare nituntur, religionem violant, ordineſque corrumpunt. Ac ſic evenit, ut indigni quique honores ſuſcipiant eccleſiaſticos, & admittantur ad clerum, qui nec inter laicos quidem dignum locum habere merentur; ſicuti in nunc dato nobis libello monſtratum eſt, Modeſtum quemdam, multis criminibus involutum, propter quae etiam poenitentiam egiſſe dicitur, non ſolum clericum effectum, quod non licet, verum etiam ad epiſcopatus apicem eum tendere: cum canones apud Nicaeam conſtituti, poenitentes etiam ab infimis officiis clericorum excludant. Et ideo, fratres cariſſimi, perſpecto tenore libelli, eum iubete praeſentari; ac ſi vere conſtiterit talem, qualem libellus affirmat, non ſolum ab epiſcopatus ambitione, ſed etiam a clericatus removeatur officio. Gregorius M. (12) Vitaliani epiſcopi Sipontini negligentiam carpit, eique imponit, ut Tulliani magiſtri militiae filiam ad religioſum habitum revocet, in monaſterium detrudat, ac obſiſtentes a ſacra communione ſuſpendat: *Quia tantum hebes, tantumque es negligens, ut niſi canonicam in te fueris coërctionem expertus, in aliis diſtrictionem & diſciplinam neſcias cuſtodire, qualiter debeas eſſe ſollicitus, congruo tibi, ſi Domino placuerit, tempore demonſtrabimus. Praeſentia igitur ſcripta ſuſcipiens evigila, & excitatus ſaltem exequere, quod preſſus uſque nunc ignavia diſtuliſti. Inſtantiae ergo tuae ſit, praedictam mulierem una cum Sergio defenſore noſtro comprehendere, & ſtatim non ſolum ad male contemtum habitum ſine aliqua excuſatione revocare, ſed etiam in monaſterium, ubi omnino diſtricte valeat cuſtodiri, detrudere: & ita omnem circa illam ſollicitudinem exhibere, ut quam ſit nefarium quod commiſit, ex tua poſſit diſtrictione cognoſcere. Qua in re ſi quis, quod non credimus, laicorum aliquo tibi ingenio tentaverit obſiſtendum, a ſacratiſſimae eum communionis participatione ſuſpendere, nobiſque renuntiare feſtina.* Idem pontifex (13) Felici epiſcopo Sipontino praecipit, ut eccleſiarum miniſteria, pecuniae, aliaeque res eccleſiae Sipontinae deſcribantur, earumque index Romam mittatur: *Propoſiti noſtri ſollicitudo nos vehementer adſtringit, ut ita rerum eccle-*

(12) Lib. VIII. ep. VIII.

(13) Lib. I. ep. LIII.

eccleſiaſticarum debeamus providere cautelam, quatenus in eis nulla poſſit ex neglectu evenire iactura. Proinde fraternitas tua una cum Bonifacio, nec non & Pantaleone latore praeſentium, ſedis noſtrae notariis, res eccleſiarum, quae apud Sipontinam noſcuntur eſſe eccleſiam, curet ſubtiliter ſingulas quasque deſcribere: ut tam miniſteria eccleſiarum, quam etiam uſuale argentum, vel quidquid aliud eſt, idem brevis a vobis conſcriptus, veraciter rerum facta inſpectione, contineat. Nec quamdam ad hoc moram vel excuſationem fraternitas tua tentet adducere; ſed omni excuſatione ceſſante, haec quae a nobis iniuncta ſunt, modis omnibus implere feſtina, eumdemque nobis brevem manu tua ſubſcriptum per antedictum Pantaleonem tranſmitte: quatenus quid de hoc fieri ſalubriter debeat, divina poſſumus gratia ſuffragante diſponere.

Quid plura ad metropoliticum Romani antiſtitis in Apuliam & Calabriam ius adſtruendum? Apulia & Calabria una erant e decem urbicariis provinciis, quibus omnibus metropolitica Romani praeſulis provincia conſtabat. Adhaec, Caeleſtinus I. (14) *univerſis epiſcopis per Apuliam & Calabriam conſtitutis*; & Innocentius I. (15) *Agapito, Macedonio & Mariano epiſcopis Apulis*, ſuas inſcribunt epiſtolas. Cur ita? Quia nullus, praeter Romanum, metropolitanus in Apulia & Calabria tunc extitit; ſecus enim ad metropolitam, quod Romani pontifices conſuevere, fuiſſent inſcribendae.

C A P. III.

Nullus in Lucania & Bruttiis metropolitanus, praeter Romanum pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit.

QVum aliis provinciis, tum Lucania & Brutiis metropolitica Romani praeſulis provincia conſtabat. Epiſcopales Lucaniae urbes ſunt Potentia, Buxentum, Paeſtum, Acropolis, Blanda, Velia, Grumentum; Brutiorum autem Regium, Taurianum, Tropea, Vibo, Nicotera, Tempſa, Thurium, Conſentia, Crotona, Scyllatium, Locri, Muranum, Oreſtis, Cari-

(14) Apud Labb. Conc. tom. III. p. 482. (15) Apud Labb. Conc. tom. III. p. 22.

Digitized by Google

na, Bovà, aliaeque. Quae metropolitani privilegia ſunt, ea in ſedes haſce unus Romanus antiſtes exercuit omnia.

A Romano itaque metropolita Lucani Brutiique antiſtites ordinabantur. Gregorius M. (1) Iohanni Scyllaceno epiſcopo mandat, ut clerum plebemque Crotonenſis eccleſiae paſtore orbatae admoneat, *ut remoto ſtudio, uno eodemque conſenſu talem ſibi praeficiendum expetant ſacerdotem, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & a venerandis canonibus nullatenus reſpuatur. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuae teſtimonio litterarum*, AD NOS VENIAT CONSECRANDVS. Idem (2) ſignificat clero plebique Crotonenſi, monetque, ut ab iis *in eccleſiaſtico officio ſacerdos exquiratur, qui & a venerandis canonibus nulla diſcrepet ratione. Qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris pagina proſequente*, AD NOS VENIAT ORDINANDVS. Et Venerio Vibonenſi epiſcopo (3) Taurianenſis ac Turritanae eccleſiae viſitationem demandat, addita clauſula, ut praedictarum eccleſiarum epiſcopi a clero plebeque electi, *cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & dilectionis tuae teſtimonio litterarum*, AD NOS SACRANDI OCCVRRANT. Idem pontifex (4) Iohannem ea lege Scyllacenum epiſcopum inſtituit, ut ad Liſſitanam eccleſiam revertatur, ſi illam ab hoſtibus liberam effici contigerit: *Paſtoralis officii cura nos admonet deſtitutis eccleſiis proprios conſtituere ſacerdotes.... Propterea te Iohannem ab hoſtibus captivatae Liſſitanae civitatis epiſcopum in Squillacina eccleſia cardinalem neceſſe duximus conſtituere ſacerdotem.... Et licet a tua eccleſia ſis hoſte imminente depulſus, aliam, quae a paſtore vacat, eccleſiam debes gubernare: ita tamen ut ſi civitatem illam ab hoſtibus liberam effici, & Domino protegente, ad priorem ſtatum contigerit revocari, ad eam in qua prius ordinatus es, eccleſiam revertaris. Sin autem praedicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis incardinatus es, debeas eccle-*

(1) Lib. II. ep. XXXVIII.
(2) Lib. II. ep. XXXIX.
(3) Lib. X. ep. XVII.
(4) Lib. II. ep. XXXVII.

Digitized by Google

cleſia permanere. Tandem, ne diutius hac in re immoremur, Cypriano Rectori Siciliae (5) iniungit, ut eccleſiae Locrenſi idoneum epiſcopum ordinari procuret: *Habitatores Locrenſis civitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuiſſet Epiſcopus ordinari. Sed quia minime dignus inventus eſt, ne diu ſine proprio poſſint conſiſtere ſacerdote, a nobis admoniti in ſcrinio promiſerunt alium ſtudioſe ſe quaerere*, ET AD NOS CONSECRANDVM PERDVCERE. Tum iubet, ut Marcianum presbyterum Taurianenſem ad ſe evocet, ac ſi epiſcopatu dignum invenerit, *facto in eum decreto*, AD NOS VENIAT ORDINANDVS.

Non epiſcoporum modo ordinationes, ſed & conciliorum ſubſcriptiones oſtendunt, Romanum pontificem Lucaniae ac Brutiorum metropolitanum fuiſſe. Concilio Romano ſub Hilaro P. an. CCCCLXV. ſubſcripſit Gaudentius Scyllacenus. Concilio Romano ſub Symmacho P. an. CCCCXCIX. Florentinus Paeſtanus, & Iohannes Vibonenſis. Concilio Romano ſub Symmacho an. DI. Hilarius Tempſanus, & Ruſticus Buxentinus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DII. Florentinus Paeſtanus, Amantius Potentinus, Ruſticus Buxentinus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DIII. Amantius Potentinus, & Ruſticus Buxentinus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DIV. Hilarius Tempſanus, Amantius Potentinus, Iohannes Thuritanus. Concilio Romano ſub Martino P. an. DCXLIX. Sergius Tempſanenſis, Papinius Vibonenſis, Creſcens Locrenſis, Iohannes Paeſtanus, Laurentius Taurinenſis, Iohannes Tropeanus, Sabbatius Buxentinus, Paſchalis Blandanus, Theodoſius Crotonenſis, Iohannes Carinenſis, Auguſtinus Squillacinus, Iohannes Regitanus, Valentinus Turritanus. Concilio Romano ſub Agathone P. an. DCLXXIX. Creſcens Vibonenſis. Et Concilio Romano ſub eodem Agathone an. DCLXXX. Stephanus Locrenſis, Iulianus Conſentinus, Theophanes Thurinus, Petrus Crotonenſis, Paulus Scyllacinus, Georgius Taurianenſis, Theodorus Tropeanus, Abundantius Tempſanus.

Suffraganeorum epiſcoporum lites, diſſidia, cauſſas componere, inque eos criminis reos animadvertere, metropolicum munus eſt.

(5) Lib. VII. ep. XLI.

Digitized by Google

eſt. Hoc in Lucania & Brutiis perfunctus eſt Romanus praeſul. Gregorius M. (6) Sabino ſubdiacono iniungit, ut Regitani cleri adverſus epiſcopi ſui querelas, una cum epiſcopis quinque perſcrutetur, ut illorum relatione certior factus, ipſe Romae decernat. Integram afferre epiſtolam non gravabimur, utpote in rem noſtram conceptiſſimam: *Clerus eccleſiae Regitanae multa contra reverendiſſimum fratrem noſtrum Bonifacium epiſcopum ſuum, data nobis petitione conqueſtus eſt, petens ut ad nos debuiſſet habere veniendi licentiam: quatenus cauſſae ipſae hic ſubtiliter probarentur. Sed quia nos interim praedictum fratrem noſtrum huc modo non praevidimus deducendum, viſum nobis eſt illic deputare cauſſam eamdem cognoſcendam. Et ideo mediis ſacroſanctis Evangeliis experientia tua una cum Paulino, Proculo, Palumbo, vel Venerio, atque Martiano reverendiſſimis fratribus coëpiſcopiſque noſtris, ſine cuiuſquam perſonae reſpectu, tam clericorum querelam quam adverſus ſuum, ſicut diximus, habent epiſcopum; vel ſi quam forte ille contra eos habuerit, cum omni aequitate ac ſollicitudine perſcrutetur. Et quidquid in veritate cognoverit, nobis una cum praedictis fratribus noſtris ſubtiliter diligenterque ſignificet, ut renuntiatione veſtra redditi certiores, quid fieri debeat, decernamus*. Tum (7) Paulino Taurenſi, Proculo Nicoterae, Palumbo Conſentiae, Venerio Vibonenſi, & Marciano Locrenſi, epiſcopis, imponit, ut una cum Sabino ſubdiacono Regium pergant, de cleri Regitani adverſus epiſcopum querelis inquiſituri. Idem (8) Sabino ſubdiacono regionario mandat, ut in Siſinnium presbyterum Regitanum idololatriae ac ſodomiae accuſatum diligentiſſime inquirat, eumque, ſi adſint indicia, detrudat in carcerem, cogatque ad reddendum orphanis Victoriani presbyteri filiis depoſitum. Bonifacio epiſcopo Regienſi (9) praecipit, ut Gregorii expraefecti cum eccleſia ſua cauſſam ſine dilatione finiat: *Indicavit nobis Gregorius expraefectus, quod inter ſe & eccleſiam veſtram de locis, quae competunt, aliqua ſit orta contentio. Ob*

(6) Lib. IX. ep. XLVII.
(7) Lib. IX. ep. XLVIII.
(8) Lib. X. ep. IV.
(9) Lib. X. ep. LVIII.

Digitized by Google

Ob quam rem hortamur, ut eam aut ceſſante iurgio finiatis, aut certe dilatione ſubmota eccleſiae veſtrae actores ad electorum ire iudicium faciatis; ut eorum definitione praecedente, nec ille contra iuſtitiam gravari, nec veſtra praeiudicium videatur eccleſia ſuſtinere. Iubet (10) eumdem Bonifacium Regitanum Stephaniae res a deceſſoris ſui actoribus occupatas reſtituere: *Stephania latrix praeſentium quaſdam res ſuas temporibus deceſſoris tui Lucii quondam epiſcopi ab actoribus eius vi queritur occupatas. Et quia ſibi eas petiit, iuſtitia favente, debere reſtitui; propterea fraternitas tua cum Dei timore haec, quae aſſerit, ſubtiliter curet addiſcere. Et ſi ita, quemadmodum ſupraſcripta femina ait, eſſe repererit, quaecumque male ablata ſunt, faciat ſine aliquo damno vel dilatione reſtitui.* Iohanni epiſcopo Scyllaceno (11) praecipit, ut quaedam ſub xenii ſpecie ablata reddat, ac donatum ſibi ab abbate agrum reſtituat: *Quia queſti ſunt* (monachi Caſtellienſis monaſterii) *fraternitatem tuam quaedam de monaſterio ſub xenii quaſi ſpecie abſtuliſſe, neceſſe eſt, ſi quid te indecenter recolis accepiſſe, ſine dilatione reſtituas.... Praeterea queſti nobis ſunt praedicti monaſterii monachi, abbatem ſuum terram intra Scyllitanum caſtrum, quae in ſexcentos pedes extenditur, ſub praetextu fabricandae eccleſiae fraternitati tuae donationis titulo conceſſiſſe: & ideo volumus quantum parietes poſſunt aedificatae eccleſiae circumdare, iuri eccleſiae vindicari. Quidquid vero extra parietes eiuſdem eccleſiae eſſe potuerit, ad iura monaſterii ſine difficultate aliqua revertatur.... Eapropter donationem eiuſdem terrae, quae contra rationem facta eſt, ſine aliqua dilatione reſtitue.* Epiſcopum Nicoterae *pro quibuſdam culpis in poenitentiam deputavit*, ac eccleſiae Nicoteranae Rufinum Vibonenſem viſitatorem dedit (12). Tandem idem Gregorius (13) Iohanni abbati de Regio iniungit, ut ad monaſterium s. Andreae proficiſcatur, vitioſos coërciturus ac puniturus: *Pervenit ad nos in monaſterio s. Andreae, quod iuxta Vulcanum eſt poſitum, multa perpetrari facinora. Atque ideo auctoritatis noſtrae praeceptione ſuffultum, ad id*

(10) Lib. III. ep. XLIV.
(11) Lib. VIII. ep. XXXIV.
(12) Lib. VI. ep. XLI.
(13) Lib. V. ep. L.

id te monaſterium proficiſci neceſſe eſt, & omnia, quae dicuntur, ſubtili inveſtigatione diſcutere. Et ſi ita, quod abſit, inveneris, ſic in illos regulariter vindicabis, ut digna eos coërcitio a pravis & illicitis de cetero doceat actibus abſtinere.

Viſitatores eccleſiis Lucaniae ac Brutiorum vacantibus a Romano quoque metropolita deputabantur. Gregorius M. (14) Iohanni Scyllaceno epiſcopo viſitationem Crotonenſis eccleſiae paſtore orbatae delegat. Tum (15) clerum, ordinem & plebem Crotonae conſiſtentem hortatur, ut Iohanni epiſcopo viſitatori obediant, ac idoneum ſibi poſtulent antiſtitem. Permittit (16) Paulino Taurinenſi in Liparitana eccleſia reſidere, ea lege, ut Taurianenſem opportuno tempore viſitet. Idem pontifex (17) Felici epiſcopo Acropolitano trium vacantium eccleſiarum Velinae, Buxentinae, & Blandanae viſitationem iniungit. Venerio epiſcopo Vibonenſi (18) viſitationem eccleſiae Taurianenſis Paulini epiſcopi obitu vacantis committit. Rufino epiſcopo item Vibonenſi (19) curam & viſitationem eccleſiae Nicoterae delegat.

Ad metropolitanum etiam ſpectat eccleſias unire. Gregorius M. (20) Regienſi eccleſiae Carinenſem unit; qua de re ſic ad Bonifacium epiſcopum Regitanum ſcribit: *Poſtquam eccleſiae Carinenſi, defuncto eius antiſtite, alium ordinari nec loci deſertio, nec ſinit imminutio perſonarum, maiori cura conſtringimur, ne conſiſtentes ibidem, ſi paſtoris fuerint moderamine deſtituti, per invia fidei hoſtis callidi rapiantur inſidiis. Hoc ergo noſtro ſedit cordi conſilium, tuae eam ſollicitudini debere committi; quod facere per praeſentia ſcripta perſpeximus. Cuius ut curam gubernationemque ſtudioſius habere gerereque feſtines, tuae eam eccleſiae aggregari unirique cenſemus: quatenus utrarumque eccleſiarum ſacerdos recte, Chriſto adiutore, poſſis exiſtere, & quaeque tibi de eius patrimonio, vel cleri ordinatione vigilanti ac canonica viſa fuerint cura diſponere, quippe ut ſacerdos proprius liberam habebis ex praeſenti noſtra permiſſione licentiam.*

Curam

(14) Lib.II.ep.XXXVIII.
(15) Lib.II.ep.XXXIX.
(16) Lib.II.ep.XVII.
(17) Lib.II.ep.XLIII.
(18) Lib.X.ep.XVII.
(19) Lib.VI.ep.XLI.
(20) Lib.VI.ep.X.

Digitized by Google

Curam ſollicitudinemque univerſae provinciae gerere, & ſuffraganeorum negligentiam arguere atque ſupplere, metropoliticum munus eſt. Gregorius M. (21) Rufino Vibonenſi epiſcopo permittit in eccleſia Maſsae Nicoteranae presbyterum ordinare, qui epiſcopi in poenitentiam deputati vice baptizet, Miſſaſque celebret. Iohanni Scyllaceno epiſcopo (22) praecipit, ut Caſtellienſis monaſterii privilegia ſervet illaeſa, monachorum actibus invigilet, ac monaſterii iura tueatur. Savino Subdiacono (23) iniungit, ut moneat Palumbum epiſcopum Conſentiae, ut res eccleſiarum tueatur diligentius; ſin minus partes illius ipſe expleat. Eidem Savino (24) praecipit, ut Proculo epiſcopo Nicoterae, ea quae per abſentiam ſuam fuerant neglecta reparanti opem ferat. Iohannem Scyllacenum epiſcopum (25) admonet, ut ab illicitis ordinationibus abſtineat, ſuſceptumque paſtoris officium digne gerat. Bonifacio Regienſi epiſcopo (26) imponit, ut cleri ſui moribus & famae conſulat.

Sunt & alia, quae Romanum pontificem Lucaniae atque Brutiorum metropolitam fuiſſe, dubitare non patiuntur. In Notitia Imperii Lucania & Brutii inter decem urbicarias provincias referuntur, quae a Vicario Vrbico adminiſtrabantur; certum autem eſt, eaſdem eccleſiaſticam Romani metropolitae provinciam conſtituiſſe. Porro Romani pontifices epiſtolas epiſcopis Lucaniae ac Brutiorum ſcripſere; metropolitanis nuſquam. Ita Innocentius I. (27) *Maximo & Severo epiſcopis per Brutios*. Gelaſius I. (28) *epiſcopis per Lucaniam & Brutios, & Siciliam conſtitutis*; Gregorius M. (29) *Paulino Taurenſi, Proculo Nicoterae, Palumbo Conſentiae, Venerio Vibonenſi, & Marciano Locrenſi, epiſcopis*, ſuas inſcribunt epiſtolas. Profecto, ſi qui tunc in Lucania & Brutiis metropolitanus extitiſſet, ad eum litteras more ſuo Romani pontifices direxiſſent, & ad eumdem pertinuiſſet illius mandata cum provinciae epiſcopis communicare, ac executionem procurare.

(21) Lib.VI. ep.XLI.
(22) Lib.VIII. ep.XXXIV.
(23) Lib.XIII. ep.XXV.
(24) Lib.XIII. ep.XXIV.
(25) Lib.II. ep.XXXVII.
(26) Lib.IV. ep.V.
(27) Apud Labb.Conc.tom.III.p.21.
(28) Apud Labb.Conc.tom.II.p.312.
(29) Lib.IX. ep. XLVIII.

Digitized by Google

C A P. IV.

Nullus in Sicilia metropolitanus, praeter Romanum pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit.

QUemadmodum epiſcopi omnes Regni Neapolitani, ſic & Siculi unum habuere metropolitanum, Romanum pontificem, ad Leonis Iſauri tempora. Inter vetuſtas epiſcopales Siciliae urbes recenſentur Syracuſae, Tauromenium, Meſſana, Panormus, Catana, Tyndarium, Leontium, Lilybaeum, Agrigentum, Thermae, Triocala, Aleſa, Camarina, quibus adde Melitam & Liparam inſulas. In ſedes haſce Romanus pontifex metropolitica iura exercuit, quae, uti norunt omnes, ſunt, epiſcopos ordinare, ad ſynodum convocare, epiſcoporum diſſidia & cauſſas componere, eoſque criminis reos cöercere, omnium in provincia curam gerere, ad eccleſias paſtore orbatas viſitatorem mittere, epiſcopatus & monaſteria unire, licentiam conſecrandi baſilicas & oratoria concedere, & eiuſdem generis alia. Haec ab ullo epiſcopo in Sicilia praeſtita unquam fuiſſe, nemo vel fando audiit: contra geſſiſſe omnia Romanum pontificem, eccleſiaſtica monumenta liquido demonſtrant.

Inde uſque a primis eccleſiae temporibus Siciliae epiſcopi a Romano antiſtite conſecrabantur. Innocentius I. (1) memoriae prodit, *manifeſtum eſſe in omnem* ITALIAM, *Gallias*, *Hiſpanias*, *Africam*, *atque* SICILIAM, *inſulaſque interiacentes nullum inſtituiſſe eccleſias*, *niſi eos*, *quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes*. Leo M. (2) Siculos epiſcopos increpans, quod ſollemnem baptiſmum numeroſius in Epiphania, quam Paſchate & Penteçoſte conferrent, contra Romanae eccleſiae morem, inquit: *quam culpam nullo modo potuiſſetis incidere*, SI VNDE CONSECRATIONEM HONORIS ACCIPITIS, *inde legem totius obſervantiae ſumeretis*: *& beati Petri apoſtoli ſedes*, QUAE VOBIS SACERDOTALIS MATER EST DIGNITATIS, *eſſet eccleſiaſticae magiſtra rationis*. Pelagius

(1) Ep. ad Decentium Eugubin., apud Labb. Conc. tom. II.

(2) Ep. XVI. al. IV. ad omnes Siciliae epiſcopos.

Digitized by Google

gius I. (3) ſe Catanenſem, & Syracuſanum epiſcopos conſecraſſe ſignificat*: quod de ordinando eccleſiae Catinenſis epiſcopo* (Elpidio) *ſalubris electione iudicii fieri deſideraſtis*, *agnovimus*: *confeſtim ſequenti die eum iuxta morem diſcutientes*, *tertio quo venit die epiſcopum conſecrare curavimus*: tum cauſſas enumerat, ob quas Syracuſani epiſcopi ordinationem ad annum diſtulit. Et Pelagius II. (4) Eucarpo Meſſanenſi Catanenſis eccleſiae paſtore orbatae viſitationem delegat, formamque electionis novi epiſcopi praeſcribit, additque, ut quem populus elegerit, *ſtatim ad urbem Romam cum decreto*, *& teſtificatione relationis ſuae conſecrandum tranſmittat*. Nihil vero ad hoc Romani metropolitae in univerſam Siciliam ius confirmandum, Gregorii M. auctoritate robuſtius. Hic (5) Maximiano Syracuſano antiſtiti iniungit, ut presbyterum a Felice Conſulari Siciliae laudatum diligenter examinet, *quem ſi ad hunc gradum* (epiſcopatus) *provehi dignum eſſe perſpexerit*, *ad nos ſtudeat deſtinare*, *ut eum*, *diſponente Deo*, *loco cui praeviderimus*, *poſſimus ordinare paſtorem*. Venantio Patricio Panormitano (6) ſcribit, Vrbicum abbatem electum merito in epiſcopum, ſed reluctantem cogendum non eſſe: Creſcentis diaconi ſcrutandos mores, ac ſi neque in hoc, neque in alio conſentiant, mittendos Romam legatos: *Hortandus eſt clerus*, *& populus*, *ut eis qui ad nos venerint*, *ſua debeant vice mandare*, *quatenus hic habeant eligendi licentiam*, *nobiſque hoc ipſum apicibus ſuis roboratis propriis ſubſcriptionibus innoteſcant*, *ut ſi vel hic inveniri potuerit*, *ſine difficultate aliqua conſecretur*. Barbaro Beneventano (7) Panormitanae eccleſiae viſitationem, curamque eligendi novi paſtoris iniungit, addita clauſula, ut *poſtulatus cum ſolemnitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati*, *& dilectionis tuae teſtimonio litterarum* AD NOS SACRANDVS OCCVRRAT. Petro ſubdiacono Siciliae (8) mandat, ut epiſcopos in locum lapſorum curet ſubſtitui, & Romam mitti ordinandos: *Praeterea hoc tibi indagandum mandare curavimus . . . ut ſi quae civitates in provincia Siciliae*

f 2

(3) Ep. ad Cethegum Patricium apud Labb. Conc. tom. IV. col. 484.
(4) Ep. ad Eucarpum Meſſanens.
(5) Lib. II. ep. XXIV.
(6) Lib. XIII. ep. XV.
(7) Lib. XIII. ep. XIII.
(8) Lib. I. ep. XVIII.

Digitized by Google

ciliae pro peccatis per ſacerdotum lapſus a paſtorali regimine vacare noſcuntur, de clero eccleſiarum ipſarum, vel ex monaſteriis, ſi qui digni ad ſacerdotalem locum poſſunt inveniri, perſpicias, ET AD NOS INQVISITA PRIMITVS MORVM GRAVITATE TRANSMITTAS. Idem pontifex (9) Iohannem Catanenſem archidiaconum in ſucceſſorem Maximiani Syracuſani vita functi indicat. Cypriano Diacono (10) iniungit, ut mortuo Theodoro Lilybaetano praeſule ad ſucceſſoris electionem clerum populumque hortetur. Et Iohanni Syracuſano (11) negotium dat, ut *clerum & populum Melitae civitatis hortetur, ut ordinandum ſibi eligant ſacerdotem*. Tandem Hadrianus I. (12) a Conſtantino & Irene Augg. poſtulat Romanae ſedi reſtitui *conſecrationem epiſcoporum ſeu archiepiſcoporum, ſicut olitana conſtat traditio*. Epiſcopos autem Siculos cum aliis a Romana ad CPolitanam ſedem vi Leonis Iſauri abductos conſtat. Et Nicolaus I. (13) a Michaële Imp. petit, ut *conſecratio Syracuſano archiepiſcopo a Romana ſede impendatur*, addita ratione, *ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenus noſtris temporibus violetur*: unde etiam habes, Siculos epiſcopos a Romano metropolita ſuo ante Iſaurum conſecratos.

Ad Romanam quoque ſynodum Siciliae antiſtites utpote ſuffraganei proficiſci cogebantur. Olim quidem bis in anno concilii cauſſa pergebant. Deinde Leo I. (14) ob navigationis incommodum indulſit, ut non utrique concilio, ſed uni tantum quotannis III. Cal. Octob. celebrando intereſſent, & quidem ſoli tres alternatim, ideſt, omnes ſemel in triennio (*): *Quare illud in primis pro cuſtodia concordiſſimae unitatis exigimus, ut quia ſaluberrime a ſanctis patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex vobis ad diem tertium Calend. Octobris Romam fraterno concilio ſociandi, indiſſimulanter occurrant*. Tandem onus hoc ulterius allevavit Gregorius I. (15), qui Siculos epiſcopos *ſemel in quinquennio* ad natale s. Petri Romam synodi gratia pergere iuſſit: *Novit*

(9) Lib. V. ep. XVII.
(10) Lib. V. ep. XXVII.
(11) Lib. IX. ep. LXIII.
(12) Ep. ad Conſtantin. Aug. & Irenem
(13) Ep. ad Michael. Aug.
(14) Ep. XVI. al. IV. ad univerſos epiſcop. per Siciliam conſtitutos cap. VII.
(15) Lib. VII. ep. XXII.
(*) Tempore Leonis novem erant in Sicilia epiſcopi, quorum tres uno anno, totidem altero, ac reliqui tertio Romam ſynodi cauſſa proficiſcebantur.

Novit dilectio banc olim conſuetudinem tenuiſſe, ut fratres & coëpiſcopi noſtri Romam ſemel in triennio de Sicilia convenirent: ſed nos eorum labori conſulentes, conſtituiſſe ut ſuam huc ſemel in quinquennio praeſentiam exhiberent. Et quoniam iamdiu eſt quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus, ut natale s. Petri hic, Deo perducente, nobiſcum debeant celebrare. Vtramque in Romanis ſynodis ante Iſaurum habitis paginam faciunt Sicilienſes epiſcopi. Concilio Romano ſub Symmacho P. an. DI. interfuerunt Eucarpus Meſſanenſis, Rogatus Tauromenitanus, & Severinus Tyndaritanus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DII. Eulalius Syracuſanus, Severinus Tyndarienſis, Eucarpus Meſſanenſis, & Auguſtus Liparitanus. Concilio Romano ſub Symmacho an. DIII. Eulalius Syracuſanus, & Auguſtus Liparitanus. Concilio Romano ſub eodem Symmacho an. DIV. Severinus Tyndaritanus, Cerentius Siculus, Auguſtus Liparitanus, Rogatus Tauromenitanus, & Eucarpus Meſſanenſis. Concilio Romano ſub Gregorio I. an. DXCV. Secundinus Tauromenitanus. Concilio Romano ſub Martino P. an. DCXLIX. Peregrinus Meſſanenſis, Felix Agrigentinus, Elias Lilybetanus, Iuſtus Tauromenitanus, Felix Panormitanus, Theodorus Tyndaritanus, Lucianus Leontinenſis, Maximus Trocalitanus, Peregrinus Liparitanus. Concilio Romano ſub Agathone P. an. DCLXXIX. Theodoſius Syracuſanus, Georgius Agrigentinus, & Georgius Catinenſis. Concilio Romano ſub eodem Agathone an. DCLXXX. ſubſcribunt Theodoſius Syracuſanus provinciae Siciliae, Benedictus Meſſanenſis provinciae Siciliae, Iohannes Thermitanus provinciae Siciliae, Iohannes Mylanus provinciae Siciliae, Petrus Tauromenitanus provinciae Siciliae, Iulianus Catanenſis provinciae Siciliae, Georgius Trioclitanus provinciae Siciliae, Georgius Agrigentinus provinciae Siciliae.

Sed & Siculorum epiſcoporum cauſſas Romanus metropolita iudicavit. Quam in rem plures non afferemus auctores; ſed unus acerrimus canonum & antiquitatis vindex Gregorius M. nobis omnium inſtar erit. Is (16) Maximiano epiſcopo Syracuſano iniungit, ut Gregorii Agrigentini epiſcopi accuſatores, & ad

(16) Lib. III. ep. XII.

Digitized by Google

munione privent, inque monaſterium detrudant: *Et ſi in veſtra cognitione cuiuſquam eum facinoroſi criminis reum eſſe patuerit, tunc ex noſtra auctoritate non ſolum dominici corporis & ſanguinis communione privatus ſit, verum etiam in monaſterium, ubi poenitentiam agere debeat, retrudatur*. Cauſſam Lucilli (22) Melitenſis Iohanni epiſcopo Syracuſano committit, eique praeſcribit, ut ad deponendum Lucillum quatuor epiſcopos adhibeat; ſacerdotes, vel diaconos criminis conſcios gradu ſuo deiiciat; laicos ſacra communione privet, ac Melitenſes ad paſtoris electionem hortetur.

Nullam eccleſiarum dedicationem ſine Romani metropolitae ſui licentia Siculi antiſtites peregerunt. Gelaſius I. (23) epiſcopis Lucaniae, Brutiorum, & Siciliae interdixit, *baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more praeceptionibus, dedicare*. Huic decreto Siculi epiſcopi obtemperantes, non niſi impetrata Romani praeſulis venia eccleſias conſecrarunt. Exempla ſuppeditant Gregorii I. epiſtolae. Hic Felici Meſſanenſi epiſcopo (24) permittit conſecrare baſilicam, quam Ianuarius Meſſanenſis ſubdiaconus ſanctis Stephano, Pancratio, & Euplo in civitate Meſſanenſi extruxit. Iohanni Panormitano (25) *praeceptionis ſuae ſerie facultatem attribuit conſecrandi baſilicam in honorem beatae ſemperque virginis Mariae*. Benenato Tyndaritano epiſcopo (26) concedit, ut oratorium a Ianuaria in honorem ſanctorum Severini & Iulianae extructum *ſine miſſis publicis ſolemniter conſecret; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptiſterium conſtruatur, nec presbyterum conſtituat cardinalem*. Et Decio Lilybaetano antiſtiti (30) facultatem impertitur conſecrandi ſolitis adhibitis cautionibus monaſterium ab Adeodata conſtructum.

Viſitatores etiam vacantibus Siciliae ſedibus a Romano metropolita deputabantur. Pelagius II. (31) Catanenſis eccleſiae paſtore orbatae viſitationem Eucarpo Meſſanenſi commiſit: *Catinenſis eccleſiae viſitationem tibi iniungimus, cuius epiſcopum de hac*

(22) Lib.IX.ep.LXIII.

(23) Ep. ad epiſcopos per Lucaniam Brutios & Siciliam conſtitutos cap.IV.

(24) Lib. II. ep. V.

(25) Lib.XIV.ep.IX.

(26) Lib. IX. ep.LXXXIV.

(30) Lib.X.ep.LXVI.

(31) Ep. ad Eucarpum Meſſanenſ.

Digitized by Google

hac luce tranſiſſe, ſuſcepta cleri relatione didicimus. Impoſſibile enim eſt, ut nos in provincia illa dumtaxat in Syracuſanis partibus alii cuilibet cauſſas, quae ad Deum pertinent, committamus; niſi forte talem per te Deus nunc in Catinenſi eccleſia eligere voluerit, de cuius conſcientia poſſimus eſſe ſecuri, ut a te labores iſtos paullulum removere poſſimus. Gregorius M. (32) Panormitanae eccleſiae Victoris obitu vacantis Barbarum Beneventanum viſitatorem dat: *Obitum Victoris Panormitanae civitatis antiſtitis directa relatio patefecit. Quapropter viſitationis deſtitutae eccleſiae fraternitati tuae operam ſolemniter delegamus.*

Nec pigebit alia, quibus non alium a Romano Siciliae metropolitam fuiſſe fulcitur, hic appingere. Leo I. (33) epiſtolam *univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis;* Gelaſius I. (34) *univerſis epiſcopis per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam conſtitutis,* & *ad epiſcopos Siciliae* (35); ac Gregorius M. (36) *univerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis*, inſcribunt. Numnam, ſi qui tum extitiſſet in Sicilia metropolitanus, eius ſolius non fuiſſet Romanum pontificem conſulere, eiuſque reſponſa excipere? Hoc idem luculentius innoteſcit ex eiuſdem Gregorii epiſtola (37), qua epiſcopos edocet legem Mauritii Aug., ne publicis obſtricti rationibus in clerum vel monaſterium adſciſcerentur, neve milites monaſticum habitum, niſi poſt probatam per triennium vitam, induerent. Ea enim inſcribitur: *Euſebio Theſſalonicenſi, Urbitio Dyrrachitano, Coſtantino Mediolanenſi, Andreae Nicopolitano, Iohanni Corinthi, Iohanni Primae Iuſtinianeae, Iohanni Cretenſi Scoritano, Iohanni Lariſſae, Mariniano Ravennae, Ianuario Calaris Sardiniae,* ET OMNIBUS EPISCOPIS SICILIAE. Metropolitanorum omnium, ut vides, nomen & urbem Gregorius prodit. Iam ſi quis in Sicilia metropolitanus extitiſſet, non omnibus epiſcopis, ſed ei ſigillatim pontifex epiſtolam inſcripſiſſet, praecepta ſuffraganeos epiſcopos edocturo, ut ad Theſſalonicenſem dedit pro provincia Macedoniae, ad Dyrrachitanum pro provincia Epiri, ad Calaritanum pro provincia Sardiniae, & ſic de reliquis.

Sed illuſtria alia ipſius Gregorii teſtimonia, unde idem etiam effi-

(32) Lib. XIII. ep. XIII.
(33) Apud Labb. Conc. tom. IV. p. 548.
(34) Apud Labb. Conc. tom. II. p. 312.
(35) Apud Labb. ibid. p. 321.
(36) Lib. I. ep. I.
(37) Lib. VIII. ep. V.

Digitized by Google

efficitur, attexere lubet. Cum Romani pontifices omnia per ſe metropolitica in Siciliam iura exequi non poſſent, per epiſcopos, aut Subdiaconos Romanos explicabant; ita tamen, ut non omnia, quae metropolitae ſunt, munera permiſerint uni, ſed aliis alia. Gregorius M. (38) Petro Subdiacono ſuas in Sicilia vices committit, ac Siculos epiſcopos *ſemel per annum ad Syracuſanam, ſive Catanenſium civitatem convenire iubet*. In provinciis extra Italiam poſitis vicarios ſibi inſtituere metropolitanos, & quandoque epiſcopos Romani pontifices conſuevere. At in Sicilia, cui ipſe Romanus metropolita praefuit, etiam Subdiacono ſuas committit vices. An vero pontifex Siciliae praeſules ad annuas ſynodos Syracuſis aut Catanae celebrandas compuliſſet, ſi alterutra civitas eccleſiaſtica eſſet metropolis, aut alibi Siciliae metropolita conſtitiſſet? Annon praecipue metropolitano, ac reliquis epiſcopis ſollicitudinem hanc demandaſſet? Quin vide Gregorii oeconomiam, qui non unam certamque civitatem, ſed duas permixtim, epiſcoporum arbitrio, deſignavit, ne ſi illarum alterutram ipſe ſtatuiſſet, conſtituere ibi metropolim quodammodo videretur. Eaſdem vices *ſuper cunctas Siciliae eccleſias* Maximiano Syracuſano epiſcopo (39) delegat, eique minimas in univerſa Sicilia cauſſas iudicare permittit, maioribus ſibi reſervatis, ne Siculis *neceſſarium ſit poſt haec pro parvulis ad nos cauſſis tanta maris ſpatia tranſmeando pervenire*. Profecto, antea Siculi Romanum pontificem pro parvulis cauſſis adire adſtricti non eſſent, ſi quis uſpiam in provincia metropolitanus fuiſſet, qui certe ſine apoſtolicis vicibus eiuſmodi cauſſas iudicaſſet. Maximianum autem vicarium ſuum inſtituens Gregorius, diſerte declarat, ſe munus hoc non loco, ſed perſonae tribuiſſe: *quas videlicet*, inquit, *non loco, ſed perſonae tribuimus*; ne illius in ſede Syracuſana ſucceſſores honorem hunc cathedrae datum praeſumerent, eamdemque ſibi auctoritatem vindicare molirentur. Mortuo Maximiano, alias cauſſas Iohanni eius ſucceſſori (40), alias Iohanni Panormitano (41), alias Romano Defenſori (42), alias Cypriano Diacono (43) Gre-

(38) Lib. I. ep. I.
(39) Lib. II. ep. VII.
(40) Lib. VII. ep. XXXIX. lib. IX. ep. XXIII. & LXIII. & lib. XI. ep. XLIII.
(41) Lib. XIV. ep. V. & alibi.
(42) Lib. X. ep. I.
(43) Lib. V. ep. XXXII. & XXXV. & alibi.

Digitized by Google

Gregorius commiſit: unde intelligis, ius dandae ac revocandae huiuſmodi poteſtatis penes Romanum metropolitam ſemper fuiſſe. Quid quod in Notitia Imperii inter decem urbicarias provincias Sicilia recenſetur; quas omnes provinciam Romani metropolitae conſtituiſſe, ſat notum exploratumque eſt?

C A P. V.

Refelluntur qui alium a Romano pontifice metropolitanum in Regno Neapolitano admittunt ante Leonem Iſaurum.

NVllum in Neapolitano ac Siculo Regno metropolitanum, praeter Romanum pontificem, ante Leonem Iſaurum extitiſſe, luculenter, ut opinor, haſtenus oſtenſum eſt. Cum autem neminem indicta cauſſa damnari oporteat; audiendi nunc ſunt, qui metropolitanum in provinciis Regni Neapolitani admittunt ante ea tempora. Sunt enim qui metropoliticum decus a perantiquis temporibus epiſcopis Neapolitano, Capuano, Beneventano, Barienſi, & Regitano vindicare non dubitant. Omnes peraeque a veri tramite oberrant.

Qui Neapolim eccleſiaſticam ante Leonem Iſaurum metropolim conſtituunt, his praecipue moventur. (I) Neapoli iam ante Gregorii M. tempora Dux praefuit; Ducis autem dignitati ſocia quodammodo erat metropolitica. Duces enim pluribus civitatibus; Comites vero uni praeerant. Hinc Archiepiſcopis Duces, epiſcopis Comites quodammodo reſpondebant. Iam vero novem Neapoli urbes paruere, Pompeii, Herculanum, Acerrae, Nola, Puteoli, Cumae, Miſenum, Baiae, & Pithecuſae: unde [illegible] Petro Subdiacono (1) dicitur. (II) Gregorius I. (2) *Victori Archiepiſcopo Neapolis* epiſtolam inſcripſit. Hinc Neapolitanum Archiepiſcopum per Gregorium I. inſtitutum, Miraeus (3) infert. (III) s. Walpurge apud Auctorem vitae s. Wilibal-

(1) In vita s. Athanaſii epiſcopi Neap.
(2) Cap. 1. de religioſ. domib.
(3) De eccleſ. polit. lib. 1. cap. 3.

Digitized by Google

libaldi fratris (4) tradit, hunc Hieroſolymis reducem, Neapoli Archiepiſcopum inveniſſe : *Navigantes* (Willibaldus eiuſque comites) *venerunt ad urbem*, *quae vocatur Neapolis* . . . . . *Ibi eſt* SEDES ARCHIEPISCOPI , *& magna dignitas eius illic habetur* . Willibaldus Gregorio III., qui ab anno DCCXXXI. ad an. DCCXLI. pontificatum geſſit, coaevus fuit; Neapolitanus ergo praeſul iam pridem metropolitanus erat.

Haec refellere nullius eſt operae. (I) Inter Duces & metropolitanos non ea cognatio fuit, ut ubi Dux erat, ibi continuo eſſet metropolita. Exemplo ſint Tridentum, Spoletum, Brixia, Beneventum, & Ticinum ipſum, regum Longobardorum ſedes. In iis urbibus Duces quidem erant; non ideo tamen metropolitae. Beneventum eccleſiaſtica metropolis evaſit; ſed multo poſt. Spoleto ac Tridento eiuſmodi honos hactenus conceſſus non eſt. Nec vero ex urbium dignitate epiſcopis dignitas ſemper acceſſit. (II) Locus Gregorii in collectione Gregorii IX. adductus, non eſt Gregorii I. (ſub hoc enim pontifice nullus Neapoli praefuit antiſtes, qui Victor vocaretur, & porro Neapolitanus, ceterique Campaniae epiſcopi tamquam ſuffraganei Romano metropolitae ſuberant, ut ex epiſtolis ipſius Gregorii I. ad epiſcopos Neapolitanos, & Campanos (5) apertiſſimum eſt); ſed Gregorii VI., qui brevem pontificatum geſſit a die 1. Maii an MXLV. ad 10. Decemb. MXLVI. quo tempore Victor cum metropolitica poteſtate Neapolitanam moderabatur eccleſiam. Ad hunc igitur Victorem Gregorii VI. proſtat allegata epiſtola, & iure in ea Victorem Archiepiſcopum appellat (6). (III) B. Walpurge, in Anglia nata, rerumque Campanarum rudis, Archiepiſcopum exiſtimavit Neapolitanum, qui merus erat epiſcopus; aut certe Auctor vitae s. Willibaldi in ea tempora incidit, quibus Neapolitanus praeſul iam metropoliticum decus adeptus erat, iſque vetera novis inſtitutis metitus eſt. Nimirum octavo ſaeculo Neapolitanum praeſulem metropolitica dignitate caruiſſe, patet ex facto Sergii Neapolitani epiſcopi apud Iohannem Dia-

(4) Apud Caniſium var. lect. tom. IV.

(5) Lib. III. ep. LXI. lib. V. ep. XXXVII. lib. V. ep. XI. lib. VII. ep. I. lib. IX. ep. XXXVI. lib. X. ep. II. ad Fortunatum epiſcopum Neapolitanum inſcriptae.

(6) Lucentius in Additionib. ad Vghellum Ital. Sacr. tom. VI. p. 5.

conum (7), qui *dum a Graecorum pontifice archiepiſcopatum nanciſceretur*, *ab antiſtite Romano* (Gregorius III.) *correptus*, *veniam impetravit*. Si Neapolitanus antiſtes iam tum metropolita fuiſſet, cur oblatum ſibi a Patriarcha Byzantino *archiepiſcopi* titulum accepiſſet? Aut inane nomen a Romano pontifice reprehenſus abieciſſet? Idem Ioh. Diaconus, longe Walpurga poſterior, qui ad an.DCCCLXXII. vixit, Neapolitanorum epiſcoporum ſeriem intexens, ne veſtigium quidem metropoliticae ſedis Neapolitanae dignitatis exhibet.

Capuam ab antiquiſſimis temporibus ſedem fuiſſe, tuentur Marca (8), Sirmondus (9), Hallier (10), Holſtenius (11), Peregrinius (12), Michael Monachus (13), aliique. Rei conteſtandae haec adhibentur (I). Fuit Capua civilis Campaniae metropolis; ergo & eccleſiaſtica: quippe metropoliticum ius laicum & ſaeculare, neceſſario conſequi debet eccleſiaſticum & ſpirituale, ex epiſtola Anacleti P. (14). (II) Athanaſius (15) Capuam *Campaniae* metropolim diſerte appellat: *Miſſis a ſancto Concilio* (Sardicenſi) *in legationem epiſcopis*, *Vincentio Capuae*, *quae metropolis eſt Campaniae*, ἐστι δὲ αὐτη μητρόπολις τῆς Καμπανίας. (III) Idem Athanaſius Campaniam, Calabriam, & Apuliam ab Italia dividit. Quod etiam faciunt epiſcopi in Synodorum ſubſcriptionibus. Concilio enim Arelatenſi ſubſcribunt: *De provincia Italiae civitate Mediolanenſi Mirocles epiſcopus*; *ex provincia Campaniae de civitate Capuenſium Proterius epiſcopus*; *ex provincia Apuliae de civitate Arpienſium Pardus epiſcopus*. Sardicenſi autem: *Lucillus ab Italia de Verona*, *Fortunatianus ab Italia de Aquileia*, *Vincentius a Campania de Capua*, *Ianuarius a Campania de Benevento*, *Stercorius ab Apulia de Canuſio*. (IV) Liberius exſul circa an.CCCLVIII.P. (16) Vincentium Capuanum hortatur, ut Synodum omnium Campaniae epiſcoporum cogat, iiſque communicet quae

in

(7) Chronic. epiſcop. Neap. in Sergio.

(8) De Concord. Sacerd. & Imp. lib. I. cap. VII. n. 4.

(9) In Adventor. contr. Salmaſ.

(10) De ſacr. ordinat. part. III. ſect. V. cap. IV. art. III. §. I. n. 2.

(11) Not. ad Carolum a s. Paulo Geograph. ſacr. lib. II. n. 9.

(12) In Hiſt. Princip. Longob., & in Diſcurſ. de Campan. Felic.

(13) In Sanctuar. Capuan.

(14) Ep. ad univerſos Italiae epiſcopos.

(15) Ep. ad Solitar.

(16) In ep. ad Vincent. apud s. Hilarium Fragm. VI. p. 521. edit. Venet. MDCCXLIX.

Digitized by Google

in ſua epiſtola exprimuntur: *Dignaberis*, inquit, *convenire epiſcopos cunctos Campaniae, & haec illis inſinuare; & ex ipſorum numero una cum epiſtola veſtra de unanimitate noſtra, & pace ad clementiſſimum Imp.* (Conſtantium) *ſcribere, quo poſſim & ego de triſtitia magna liberari*. Hinc Capuanae eccleſiae ius metropoliticum adſtruitur. (V) Auctor vitae s. Willibaldi: *Et inde* (Neapoli) *venit* (Willibaldus) *ad urbem Capuam*, *&* ILLE ARCHIEPISCOPVS *miſit eum ad urbem Tyanam* (Theanum) *ad illum epiſcopum*. Willibaldus Gregorii III. aequalis fuit; Capuanus ergo praeſul iamdudum metropolitanus erat. (VI) Landulfus Capuanus epiſcopus iam electus, ſed nondum conſecratus ſynodum vicinorum Campaniae epiſcoporum anno DCCCLXXIX. congregavit, ut diſcordes ipſorum animos ad concordiam revocaret: eoque nomine a Iohanne VIII. (17) commendatur: *Quia diſcordantium parentum tuorum* (ſchiſmate tunc exagitabatur Capuana eccleſia, de quo vide Erchempertum (18)) *inſidias declinando..... in antiqua Capuanae eccleſiae ſede, nomine videlicet s. Stephani protomartyris refulgente, cum convicinis epiſcopis aſſidue decertas, ut male diviſos adunare, atque diſcordantes pacificare, Deo favente poſſis, gratum recipimus*. Iam vero id pro metropolitico, quo in provinciales epiſcopos potiebatur iure, praeſtitit Landulfus; nec enim antiquior erat provinciae antiſtes, nec ceteris dignior, niſi quia metropoleos epiſcopus.

Haec nullo negotio diluuntur. (I) Fuit quidem Capua civilis Campaniae metropolis, & Conſularis Campani ſedes (19); an ideo & eccleſiaſtica? Sane eccleſiaſticum regimen non ita civili conformatum, ut quae civiles, eaedem & eccleſiaſticae metropoles eſſent. Et quamvis in Oriente poſt Conſtantini M. tempora civiles metropoles etiam eccleſiaſticae evaſerint, id tamen in decem urbicariis provinciis haud obſervatum; in iis enim tot erant civiles metropoles, quos provinciae: at omnes unam conflabant eccleſiaſticam provinciam, unamque metropolim,

(17) Ep. CCVIII.

(18) In Chronic. n. XXXVI. apud Pratillum Hiſtor. Princip. Longobard. tom. I.

(19) Conf. Iannonium Hiſt. civil. lib. II. cap. III. & Pratillum diſſ. de Conſularib. Campaniae.

lim, nempe Romam. Anacleti vero epiſtola ex Pſeudo-Iſidori officina prodiit. (II) Athanaſius Capuam *metropolim* adpellat, ſed civilem, non eccleſiaſticam: nec Vincentium *metropolitanum* vocat, ſed Capuam *metropolim Campaniae*; ut urbis, non epiſcopi praerogativam deſignet. (III) Idem Athanaſius Campaniam, Apuliam & Calabriam ab Italia, non a metropolitica Romani praeſulis provincia ſeiungit. Etenim Campania, ceteraeque urbicariae provinciae ab Italia quidem civili & eccleſiaſtico iure; a Romana vero provincia civili tantum iure diſtinguebantur: quippe ſingulae provinciae a diverſis magiſtratibus, omnes ab uno Romano metropolita regebantur. Civilem autem, non eccleſiaſticam diſpoſitionem ſequuti ſunt epiſcopi, qui Arelatenſi & Sardicenſi Synodis ſubſcripſerunt. Et vero, ſi Campania eccleſiaſtica provincia fuit, etiam Samnium, Apulia & Calabria, Lucania & Brutii ſolidae eſſent eccleſiaſticae provinciae; cum par omnium ratio ſit. Quaenam vero in his provinciis metropoles? An Beneventum? An Barium, Tarentum, Hydruntum? An Regium? At eas diu poſt Athanaſium hac dignitate ornatas conſtat. Adhaec, ſi Capua eccleſiaſtica metropolis Campaniae erat, an illi Neapolis contributa? An etiam Beneventum? At Neapolim aut Beneventum Capuae paruiſſe, nuſpiam ſcriptum eſt. Si vero Neapolis ac Beneventum metropoles etiam erunt, in una Campaniae provincia, tres fuiſſent metropolitae, Capuanus, Beneventanus, & Neapolitanus; pari enim modo Sardicenſi Concilio *Vincentius a Campania de Capua*, ac *Ianuarius a Campania de Benevento*, & *Calepodius a Campania de Neapoli*, ſubſcripſerunt. At *iuxta canonum decreta*, ſtatuit Caeleſtinus I. (18), *unaquaeque provincia ſuo metropolitano contenta ſit*. Plures quidem in una provincia metropoles cum civiles, cum eccleſiaſticae haud extitere, niſi nudo nomine, honoriſque tantum cauſſa, vel niſi provincia ipſa in duas, pluresque partes diſſecta, in plures diſtinctas provincias, totidemque metropoles propagaretur. Tandem Capuam nihil praecipui prae ceteris in eccleſiaſti-

co

(18) Ep. ad epiſcopos provinciae Viennenſis & Narbonenſis cap. IV. apud Labb. Conc. tom. III. p. 480.

co iure habuiſſe, ſed eius antiſtitem, non ſecus ac reliquos Campaniae, Romano metropolitae paruiſſe, ex Gregorio I. proclive conficitur. Hic enim Capuanae eccleſiae Fuſci obitu paſtore orbatae Gaudentium Nolanum viſitatorem deputat: Baſilium Capuanum antiſtitem, apud Siciliae Praefectum diutius haerentem, per Romanum Defenſorem ad ſuam reverti ſedem intra quinque dies iubet (19). Quod hic eſt, quod metropoliticam Capuani praeſulis dignitatem olfaciat? (IV) Vincentius Capuanus Synodum epiſcoporum in Campania conſtitutorum convocavit non iure ſuo, ſed iuſſu ac delegatione pontificis Liberii, qui Campaniae metropolitanus erat. Diſerte munus hoc Capuano praeſuli Liberius iniungit: *Dignaberis*, inquit, *convenire epiſcopos cunctos Campaniae, & haec illis inſinuare*. Cui enim potius in cogendis in unum Campaniae epiſcopis vices ſuas Romanus pontifex graviſſimo preſſus exilio committeret, quam Vincentio, qui & meritis commendabatur, & civitati praeerat, quae civilis totius Campaniae metropolis erat? Hincne metropoliticum Capuanae ſedi decus vindicabitur? At cogere Synodum proprio iure & auctoritate fuit quidem metropolitani; iuſſu vero Romani pontificis fuit epiſcopi, aut ſubdiaconi, ut facere in provinciis noſtris Romanos praeſules conſueviſſe, epiſtolae Gregorii M. (20) commonſtrant; idque non ſedi, ſed perſonae datum. (V) Teſtimonium Auctoris vitae s. Willibaldi nihil obturbat; nam vixit ſcriptor ille iis temporibus, quibus Capuanus, ac vero etiam Neapolitanus praeſul, iam metropoliticam dignitatem adeptus erat: ac vetera novis miſcens Capuanum epiſcopum aevo etiam Willibaldi archiepiſcopum fuiſſe ratus eſt. (VI) Tandem convocaverit Landulfus Capuanus epiſcopus iam electus Campanos antiſtites, ut eos *male diviſos adunaret, atque diſcordantes pacificare poſſet*, eoque nomine a Iohanne VIII., ut aequum erat, laudetur: an continuo metropolita fuit? Nonne pacis inter diſſidentes conciliandae ſtudio, non metropolitico iure, id ab eo factum? Quid pluribus hac in re laboramus?

(19) Vide lib. v. ep. XIII. & lib. x. ep. x. (20) Vid. lib. I. ep. I. & lib. XIII. ep. XXVII.

mus? Ipſe Landulfus metropoliticam dignitatem, quâ ipſe ſuique deceſſores carebant, Ludovici II. Imp. gratia fretus, adipiſci conatus eſt. Rem ſic enarrat Erchempertus (21): *Per idem tempus* (hoc eſt an. MCCCLXXIII) *iam dictus Caeſar* (Ludovicus II.) *Landulfum* (Capuanum epiſcopum) *in familiaritatem alliciens, tertium in Regno ſuo conſtituit. Qua elatione indeptus, archiepiſcopatum totius Beneventi* (hoc eſt Beneventani Principatus) *omni aviditate, &,* VT CAPVA METROPOLIS FIERET, *quaeſivit; ſed, non Domino ſinente* (hoc eſt Adelchiſo Principe Beneventano) *ad perfectum minime pervenit*. Iam ſi Capuanus antiſtes antea metropolita eſſet, ſi Landulfus ipſe; cur is, *ut Capua metropolis fieret, & ipſe archiepiſcopus totius Beneventanae provinciae, quaeſivit?* Sed Landulfi ambitioni optatus rei ſucceſſus non reſpondit, obſiſtentibus & Iohanne VIII., & Iohanne Beneventano epiſcopo, & Adelchiſo Beneventano Principe. Tantae molis erat metropolitanum in provinciis noſtris inſtituere, ubi Romanus pontifex a primis eccleſiae temporibus eo iure potiebatur!

Pro antiquitate Beneventanae metropoleos ſtant Cantelius (22), Garnerius (23), Vghellus (24), Vipera (25), ac praecipue Sarnellius (26), Georgius (27), & Ioh. de Vita (28). Quae iſtiuſmodi adſtruere ſententiam videntur, haec ſunt. (I) Beneventum fuit civilis Samnii metropolis; ergo & eccleſiaſtica. (II) S. Paulinus Nolanus dum pio epithalamio nuptias Iuliani filii Memoris epiſcopi Eclanenſis, & Iae Aemilii epiſcopi Beneventani filiae, concelebrat, Aemilium aetate iuniorem adpellat *patrem*, & *fratrem* Memoris, qui ſenior erat; hunc autem *filium*, & *fratrem* Aemilii. Cur autem Memori epiſcopo Aemilius epiſcopus *pater* ſimul & *frater*, niſi quod ambo epiſcopali munere *fratres*; adhuc vero *pater* Aemilius Beneventanae eccleſiae dignitate, quae Eclanenſem ſubiectam habebat. Nonne in Africa Primates a ſuffraganeis ſuis patres

(21) In Chronico n. XXXVI.

(22) Hiſtor. urbium metropol. part. III. diſſ. III. §. VIII.

(23) Not. ad cap. IV. ſubnotat. Marii Mercator. pag. 42.

(24) Ital. Sacr. tom. VIII. p. 16.

(25) In hiſtor. chronol. Epiſcop. & Archiep. Eccleſ. Benevent.

(26) In Chronolog. Epiſcopor. & Archiep. Benevent.

(27) De origine metropolis eccleſiae Beneventanae.

(28) In Antiquit. Beneventan. diſſ. V. p. 311. tom. I.

tres appellabantur? Cur *iunior* & *ſenior* Memor? Cur Aemilius *minor*, & tamen *pater*? Poſterius natus, & tamen *ſenior*? Quia etſi aetate, ac ordinatione Memori poſterior, *ſede* tamen *ſacerdos*, eiuſdem ſedis praerogativa apoſtolicam canitiem, ideſt primatus dignitatem referebat. Ex hoc ergo Paulini loco vetuſtiſſima Beneventanae ſedis praerogativa ſupra Eclanenſem, reliquaſque Samnii eccleſias, manifeſte ſtatuitur. (III) Vitalianus P. anno DCLXVIII. s. Barbato indulſit, ut Beneventanae ſedi cathedrae Bovini, Aſculi, Larini, Siponti cum eccleſia s. Michaëlis in monte Gargano ſubeſſent: quod idem deinde Marinus II. anno DCCCCXLIV., Agapetus II. an. DCCCCXLVI., & Iohannes XII. an. DCCCCLVII. confirmarunt (29). Ex horum diplomatibus colligere licet, Beneventanos epiſcopos iam inde a temporibus Vitaliani revera poteſtate veluti metropolitana functos eſſe in eccleſiis eorum iuriſdictioni ſubiectis, ac metropolitani non quidem nomine, ſed iuribus uſos.

Haec tanti non ſunt, ut Beneventanae metropoleos patronis adſtipulari cogamur. (I) Num Beneventum civilis Samnii metropolis fuerit, nec ne, id nunc non diſpiſcio. Adfirmant Beneventani (30); pernegant Capuani (31). Fuerit ſane, quid tum? In urbicariis provinciis eccleſiaſticam politiam haud ita civili conformatam, ut quae civiles, eaedem etiam eccleſiaſticae metropoles eſſent, ſat notum exploratumque eſt. (II) Ex Paullini loco, Aemilium Beneventanum antiſtitem Memoris Eclanenſis epiſcopi metropolitanum fuiſſe, nemo iure extundet. Conſtat enim metropoleos dignitatem tunc temporis penes Beneventum non fuiſſe; ſed omnes Campaniae Samniique epiſcopos Romano metropolitae arctius adhaeſiſſe. Deinde nulla veterum auctoritate adſeritur, Memorem Eclanenſem epiſcopum fuiſſe; quin Capuanis epiſcopis eum accenſent non pauci: quod ſi admittatur, certiſſimum eſt, Aemilium Beneventanum nullum in Capuanam Memoris ſedem ius exercuiſſe. At detur Memorem Eclani oppidi epiſcopum extitiſſe, eique in cathedra

(29) Has bullas affert Vghellus Ital. Sacr. tom. VIII. p. 19. ſeqq.

(30) Vid. Ioh. de Vita Antiq. Benevent. diſſ. IV. tom. I.

(31) Vid. Pratillum de origine metropol. eccleſ. Capuanae cap. V.

ſucceſſiſſe Iulianum filium (*); ne tunc quidem praerogativa Beneventanae ſedis ſuper Eclanenſem conficietur. Eclanum enim in Campania fuiſſe, colligitur ex Itinerario Antonini, ubi ait: *A Capua Equo Tutico M. P.* LIII. *ubi Campania limitem habet*; diſtat autem Equus Tuticus (ad hunc uſque locum, Apuliam verſus, non longe ab Aſculo ſitum, Campania extendebatur) a Benevento intra Hirpinos M. P. XXI. Nam Hirpini medii ſunt inter Campaniam & Apuliam, unde modo Campaniae, modo Apuliae adſcripti. Servius (32) Hirpinos intra Apuliam locat. Ex diviſione vero Hadriani Eclanum & Beneventum ad Campaniam pertinebant; unde Beneventi epigrammata Conſu-

(*) Iulianus *Memoris epiſcopi, & Iulianae feminae primariae filius* fuit, ut inquit Marius Mercator Iuliani aequalis & aemulus *pag.*5. Codicis Vaticani. Pater eius Memor cui eccleſiae praefuerit, incertum eſt. Eum Capuanis epiſcopis Vghellus; Eclanenſibus Peregrinius aliique adiungunt. Vtrumque nullo idoneo fulcitur teſtimonio. Natus eſt Iulianus in *Apulia*, uti diſerte tradit Auguſtinus lib. VI. oper. imperf. cap. XVIII., ac forte Eclani in Hirpinis, qui modo Campaniae, modo Apuliae deputati ſunt. Iuvenis in clerum adſcitus, Lector ordinatus eſt. Adhuc Lector nuptias cum Ia Aemilii epiſcopi Beneventani filia iniit, quas epithalamio Paullinus Nolanus concelebravit. Poſtea, ſive uxor deceſſiſſet, ſive uterque continentiam ſervarent, diaconus iam conſecratus erat an. CCCCVIII. vel CCCXCIX. (vide Remondm. Hiſt. Nolan. tom. II.) quo Auguſtinus epiſtolam CXXXI. ad Memorem ſcripſit, ubi Iulianum *condiaconum* appellat. Tandem Iulianus *Eclanenſis epiſcopus ab Innocentio P. ordinatus eſt*, teſte Mario Mercatore pag. 13. Codic. Vatican. cap. IX., & in Commonitorio ad Theodoſium: quod circa an. CCCCXV. factum, conicit Muratorius. Fuit Eclanum antiqua Hirpinorum civitas, in Frequenti territorio prope Mirabellam ſitum, ubi etiamnum rudera quaedam & parietinae viſuntur, a Benevento quindecim millibus diſtans ex Itinerario Antonini: unde *Quintodecimum* poſteriori aevo dictum eſt. Conf. Holſten. not. ad pag. 1203. Italiae Cluverii. Deſtructo Eclano a Conſtantino Graecorum Imp. anno DCLXIX. epiſcopalis ſedes Frequentum translata eſt, ut plane idem antea Eclanenſis, qui poſtea Frequentinus epiſcopus fuerit. Frequentum anno DCCCCLXXXVI. terraemotu deiectum, teſte Leone Oſtienſi in Chronico, dein ob bella civibus fere viduatum anno MCCCCLXV. die VII. Maii epiſcopalem ſedem amiſit, & Abellinenſi epiſcopatui coniunctum eſt. Videſis Peregrinium de Ducatu Beneventano pag. 15. & Vghell. Ital. Sacr. tom. VIII. Ceterum Iulianus Eclanenſis eruditionis qua pollebat gloriam maculavit; nam Pelagianae cauſſae patrocinium poſt Pelagium & Caeleſtium a Romanis pontificibus damnatos ſuſcepit, inque Auguſtinum furibundus infremuit. At is & a Zoſimo P. an. CCCCXIX. damnatus ſedeque pulſus fuit, & Auguſtino ſatis poenarum dedit in libris contra Iulianum conſcriptis.

(32) In lib. VII. Aeneid.

Digitized by Google

ſularibus Campaniae inſcripta leguntur (33). Hinc Iulianus Eclanenſis *epiſcopus a Campania* Bedae (34), & *epiſcopus Campanus* Gennadio (35), ac Trithemio (36) dicitur. Eumdem Iulianum *Campanum* adpellat s. Proſper (37). Cum itaque Eclanum ac Beneventum in Campania continerentur, Eclanenſis epiſcopus, ſi qui tunc fuiſſet in provinciis noſtris metropolitanus, ad epiſcopum Capuae, quae civilis Campaniae totius metropolis erat, non ad Beneventanum, qui ipſe in Campania erat, pertinere debuiſſet. Praeterea, ſi tum Beneventanae ſuffraganea fuiſſet Eclanenſis ſedes, eius epiſcopi conſecratio ad metropolitam Beneventanum ſpectaſſet. At Iulianum a pontifice Innocentio Eclanenſem epiſcopum ordinatum, diſertis verbis teſtatur Marius Mercator ſcriptor συγχρονος (38). Nullo igitur pacto Paullini teſtimonium Beneventanae cathedrae in Eclamenſem principatui obſecundat. Nec quidquam moretur, in Africa Primates a provinciae epiſcopis *patres* dictos fuiſſe; id enim nihil ad rem noſtram facit, cum nulli in provinciis noſtris proprii fuerint metropolitani, ut in Africa fuerunt. Quid itaque ſibi vult Paullinus (*), dum Aemilium Beneventanum *patrem* Memoris appellat? Oedipo coniectore opus eſt. Forte Aemilius dictus eſt *pater* Memoris ob maiorem eius in epiſcopatu gerendo prudentiam, ſollicitudinem, ſanctimoniam: *quia ſede ſacerdos geſtat apoſtolicam pectore canitiem*, ut verbis utar ipſius Paullini.

h 2 (III)

(33) Apud Gruter. Inſcrip. p. CCCLXXI. & CCCCXXV., ac Noris. Hiſt. Pelag. lib.I. cap.XVIII.

(34) Praef. in Cantica

(35) Lib. de ſcriptorib. illuſtr. cap. XLV.

(36) De ſcript. eccleſ.

(37) In epigrammate contra s. Auguſtini detractorem.

(38) In commonitorio ad Theodoſium.

(*) Haec ſunt Paulini verba in *epithalamio Iae cum Iuliano Poem.* XXII.

Hic vir, hic eſt Domini numeroſo munere Chriſti
  Dives, vir ſuperi luminis Aemilius.
Surge Memor, venerare PATREM, complectere FRATREM
  Vno utrumque tibi nomen in Aemilio eſt.
IVNIOR, & SENIOR Memor eſt: mirabile magni
  Munus, opuſque Dei; qui MINOR, hic PATER eſt.
Poſterius natus SENIOR, quia ſede ſacerdos
  Geſtat apoſtolicam pectore canitiem.
FILIVS eſt, FRATERQVE Memor, laetatur adeſſe
  Communem ſibimet, pignoribuſque PATREM.

Conſule Muratorium not.in hunc Paullini locum, Ballerinios obſerv. ad opera Noriſ. in lib. I. Hiſt.Pelag. cap.IX. edit. Veronenſ., ac Remondin. Hiſt. Nolan. tom.II.

Digitized by Google

(III) Ex bullis pontificum Vitaliani, Marini, Agapeti, & Iohannis, quamvis eae genuinae credantur (*), metropoliticum Beneventanae eccleſiae ius non adſtruitur. Cum enim ſaeculo ſeptimo & octavo ob gravia, quae in Apulia finitimiſque provinciis inter Graecos, Saracenos, Longobardos bella exarſerunt, complures Apuliae urbes civibus viduatae, aut funditus everſae eſſent; ſedes epiſcopales in iis conſtitutae paſtoribus ſuis orbatae aliis epiſcopis, ut eccleſiae tum ferebat diſciplina, commendatae, aut coniunctae ſunt. Hinc ſedes Bovini, Aſculi, Larini, Siponti, bellorum calamitate afflictae, Epiſcopo Beneventi, quod ſedes tunc Ducum Longobardorum erat, qui longe lateque in noſtris regionibus dominabantur, commendatae, ac unitae ſunt. Haec autem deſtitutarum & deſtructarum ſedium commendatio ac unio nullum metropoliticum ius, ſed puram putamque ipſarum curam & ſollicitudinem epiſcopo, cui commendabantur, aut coniungeban-

(*) Diplomata Vitaliani, aliorumque Pontificum commenticia, aut interpolata ſunt. Vaſtata Sipontina urbe, & monte Gargano circa an. DCLXIII. a Longobardis, aut Graecis, aut Saracenis (vid. Pratil. not. in Erchempert. tom. I. Hiſt. Princip. Longob.) Barbarus Beneventanus epiſcopus a Romoaldo Duce Beneventano petiit, & obtinuit, ut *B. Michaëlis Archangeli domum, quae in Gargano ſita eſt, & omnia quae ſub ditione Sipontini epiſcopatus ſunt, ſedi ſuae in omnibus ſubderet, quoniam omnia abſque cultoribus erant depravata*, ut eſt in actis s. Barbati apud Bolland. XIX. Febr. Sub Sicardo Principe Beneventano anno DCCCXXXIX. quaeſitum, *quomodo Barbatus epiſcopus obtinuit a Domno Romoaldo, ut uſurparet s. Sedem Sipontinam, & per eius obſecrationem praedicta ſedes uſurpata eſt, & contradita s. Sedi Beneventanae eccleſiae? . . . Sipontinum epiſcopatum, & eius paroeciam per praeceptum Domni Romoaldi Beneventano epiſcopo fuiſſe conceſſam: quod & nobis videtur contra canones factum fuiſſe.* Conſultus a Sicardo Iuſtus Beneventanae eccleſiae Archipresbyter, *an ipſa Sedes Sipontina cum canonica ſanctione fuiſset ſublata?* Reſpondit, *quod contra canones facta eſt uſurpatio.* Vide Chronicum s. Vincenrii in Vulturno ad an. DCCCXXXIX. p. 388. Cur ad hanc maculam eluendam exhibitum eo anno DCCCXXXIX. non eſt diploma Vitaliani, inde uſque ab anno DCLXVIII. datum, quo Sipontina Beneventanae Sedi uniebatur? Id argumento eſt, tunc diploma ſub nomine Vitaliani nondum procuſum; ſed, arrepta inde occaſione, poſtea emerſiſſe. Exploſo autem Vitaliani diplomate, corruunt & reliqua, quae illud confirmant. Diploma Marini II. κατα ποδα a diplomate Vitaliani exſcriptum eſt: iiſdem prope Marini II. verbis diploma Ioannis XII. conceptum, praeter inſcriptionem, & notas chronologicas, ſeu datum. Porro in omnibus hiſce diplomatibus varia ſunt in datis & indictionibus vitia. Conſ. Peregrinium in Hiſt. Princip. Longob., & Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. XVIII. p. 605. ſeqq. tom. I.

Digitized by Google

bantur, ut ipſa per ſe res loquitur, conferebat (*). Hinc vel poſt ſedes illas ſibi unitas ſubiectaſque ab anno DCLXVIII., Beneventanus adhuc epiſcopus fuit. In Chronico s. Vincentii de Vulturno, David, qui anno DCCLXXXVIII. vivebat, *epiſcopus s. Beneventanae & Sipontinae eccleſiae* dicitur in diplomate dato Auſladae Abbatiſſae Monaſterii s. Mariae in loco Sano. Ludovicus II. Imp. anno DCCCLXXV. Garganicam eccleſiam *deſertam & ruinoſam Ayoni Beneventano epiſcopo* commendavit. Conſervatus, qui anno DCCCXCIII. vivebat, *epiſcopus Beneventanus* dicitur in diplomate a Graeco Catapano ei conceſſo. Quin non alio, quam meri *epiſcopi* nomine Beneventanus appellatur in ipſis, quas urgent, Romanorum pontificum bullis. Vitaliani P. Diploma *reverendiſſimo Domino cariſſimo Beneventanae eccleſiae epiſcopo* inſcribitur. In diplomate Marini II. *Iohannes s. Beneventanae eccleſiae epiſcopus*; & diplomate Agapiti II. idem Iohannes *epiſcopus s. Sedis Beneventanae* vocatur: ac porro ex eodem liquet, eccleſias omnes, quae Beneventanae ſubiectae recenſentur, epiſcopis caruiſſe, unumque Beneventanum praeſulem illas tamquam plebes rexiſſe.

Barium inde uſque a ſaeculo ſexto metropolitica dignitate donatum ab Epiphanio patriarcha CPno, conſentiente Felice IV. Romano pontifice, ſcribit Beatillus (40): *Petrus*, inquit, *ultimus, & primus archiepiſcopus Barenſis fuit hac dignitate exornatus anno* DXXX. *ab Epiphanio CPno patriarcha, ſedente Felice papa IV., cuius auctoritate Epiphanius hanc ſedem metropolitanam conſtituit, cum facultate duodecim ſuffraganeos epiſcopos ordinandi*. Eadem confidenter exſcripſit Vghellus (41).

Haec

(*) Ex commendatione aut unione eccleſiarum metropolitica dignitas non enaſcitur. Eiuſmodi unionis cauſſa eſt neceſſitas aut utilitas eccleſiae, non ut antiſtiti archiepiſcopi decus accedat. Eae fiunt, vel cum populus non mediocriter decrevit; vel ſi eccleſiae ſint dirutae, nec in priſtinum ſtatum facile reparari queant; vel ſi cum duo epiſcopi ex reditibus commode ali nequeant, unus pro tempore ſufficiat. Tribus vero modis uniuntur eccleſiae: quando in unum corpus confunduntur & coaleſcunt, ita ut una ſit eccleſia: quando coniunguntur, ita ut una ſit inferior, altera ſuperior: quando utriſque titulum gradumque ſuum retinentibus, idem miniſter praeficitur. Vide Benedictinorum in epiſtolas Gregorii M. adnotationes. Ita Gregorius Cumanam Miſenati, Minturnenſem Formienſi, Fundenſem Terracinenſi, Carinenſem Regienſi, aliaſque aliis univit eccleſiis, ut in ſuperioribus capitibus paſſim expoſuimus.

(40) In Hiſt. Barenſ. p.9.

(41) Ital. Sacr. tom. VIII. p.831.

Haec ut gratis adſeruntur, ita ſolide reſpuuntur: Nullo pacto potuit Byzantinus pontifex anno DXXX. Barenſem epiſcopum metropolitica dignitate exornare. Tum enim non Graeci in Italia, noſtriſque adeo regionibus dominabantur, ſed Athalaricus Gothorum Rex, qui ab anno DXXVI. ad DXXXIV. regnavit. Poſt huius obitum, ſequenti anno DXXXV. Beliſarius Gothicum in Italia bellum ſuſcepit, quam univerſam anno DXL. in Iuſtiniani poteſtatem redegit. Deinde Barium Longobardis paruit ab anno circiter DLXI. ad an. DCCCXL., quo Saracenis ceſſit. Graeci Bario anno DCCCLX. potiti ſunt; ſed ſtatim inde a Saracenis depulſi. His autem a Ludovico II. anno DCCCLXXI. devictis, urbs illa ad Longobardos rediit. Eadem Graecorum Imperio adiuncta eſt anno DCCCLXXV., a quibus retenta ad an. MC. quo eam Robertus Northmannorum Dux expugnavit. Praeterea qui potuit Epiphanius patriarcha, annuente Romano pontifice, Barium metropolitanam ſedem conſtituere, ſi unus Romanus pontifex ante Leonem Iſaurum metropolitanus extitit Apuliae, in qua Barium, aliarumque urbicariarum provinciarum, quibus Regnum noſtrum coaluit? Non niſi poſt avulſas Iſauri tyrannide ſedes a Romana dioeceſi, coeperunt Byzantini patriarchae epiſcopis Regni metropoliticum aut archiepiſcopale decus offerre, ut eos ſibi arctius devincirent (42): nec niſi ſaeculo decimo coeperunt Romani pontifices Regni antiſtites metropolitica dignitate exornare, quam antea conſtantiſſime denegaverant. Tantum vero abeſt, Barenſem epiſcopum ſaeculo ſexto metropoliticum decus a Graeco patriarcha, conſentiente Romano pontifice, nactum fuiſſe, ut ne octavo quidem ac nono ſaeculo ea dignitate potiretur; nam Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. Leontius, & Romano ſub Eugenio P. an. DCCCXXVI. Sebaſtianus mero *Barenſium epiſcoporum* titulo ſubſcripſerunt.

Tandem Regium eccleſiaſticam Brutiorum metropolim ante Leonem Iſaurum inſtitutam, augurantur Marca (43), Carolus a s. Paulo (44), Hallier (45), aliique. Huius ſententiae pup-

(43) Conc. Sacerd. & Imp. lib. I. cap. VII. n. 4.

(44) Geograph. ſacr. lib. II. p. 37.

(45) De ſacr. ordinat. part. III. ſect. V. cap. IV. art. III. §. I. n. 2.

puppis & prora eſt diatypoſis Leoni tributa, ubi Regium inter metropoles a Romana dioeceſi avulſas refertur. Verum facilis reſponſio eſt. Inter abſtractas metropoles Regium recenſetur, non quod metropolis eſſet antequam avelleretur, ſed quod talis iam eſſet, quo tempore in laterculum illud relata fuit; ſat enim liquet, Regium poſt Calabriam vi Leonis Iſauri a Romana ad Byzantinam ſedem abductam, in metropolim eccleſiaſticam a Patriarcha CPno evectam fuiſſe (46). Ceterum ſaeculo ſexto ac ſeptimo Regienſis epiſcopus cum ceteris Brutiorum antiſtitibus Romano metropolitae paruiſſe, liquet ex Gregorii M. epiſtolis *ad Bonifacium epiſcopum Regienſem* datis (47), & concilio Romano ſub Martino P. an. DCXLIX. cui inter reliquos Calabriae praeſules ſubſcripſit Iohannes Regitanus. Hic idem Iohannes mero *epiſcopi* titulo miſſus ab Agathone P. in Graeciam adverſus Monothelitas, Concilio CPno III. anno DCLXXX. habito ſubſcripſit (48).

C A P. VI.

Refelluntur qui alium a Romano metropolitanum in Sicilia admittunt ante Leonem Iſaurum.

AVdiamus nunc qui alium a Romano antiſtite metropolitanum in Sicilia ſtatuunt ante Leonem Iſaurum. Quiſnam vero is fuerit, Syracuſanuſne, Panormitanus, an Meſſanenſis, mira inter eoſdem diſcrepantia. Syracuſanae eccleſiae metropoliticum decus vindicant Dupinius (1), Marca (2), Carolus a s. Paullo (3), Hallierius (4), Thomaſſinus (5), Orlendius (6), & ex iſtituto Antoninus Amicus (7). In hanc ſententiam haec afferuntur. (I) Syracuſana civitas fuit olim totius Siciliae civilis metropolis; ergo & eccleſiaſtica. (II) Conſtantinus M. (8) Chreſtum Sy-

(46) Vide dicta in Anteloquio p. x.

(47) Lib. III. ep. IV. lib. IV. ep. V. lib. V. ep. X.

(48) Vid. Baron. ad A. C. DCLXXX.

(1) De antiq. eccleſ. diſcipl. diſſ. I. §. 8.

(2) Cit. lib. I. cap. VII. n. 4.

(3) Cit. lib. II. Geograph. ſacr.

(4) Cit. loc.

(5) De veter. & nov. diſcipl. part. II. lib. III. cap. 40. n. 9.

(6) Orb. ſacr. & profan. part. I. lib. IV. cap. V.

(7) Diſſ. de antiquo urbis Syracuſarum Archiepiſcopatu, ac de eiuſdem in univerſa Sicilia metropolitico iure. Ext. theſ. Sicil. tom. III. ubi & Franciſci Baronii ac Manfredi de illa diſſ. iudicium, & Rocchi Pirri contra Anton. Amicum de patriarcha & metropolitano Siciliae diſſertat.

(8) In ep. ad Chreſtum apud Euſeb. Hiſt. eccleſ. lib. X. cap. V.

Digitized by Google

Syracuſanum epiſcopum ad Arelatenſem ſynodum arceſſit, ſociis ſibi adſcitis *duobus aliis* ἐκ τοῦ δευτέρου θρόνου *ex ſecunda ſede*; fuit ergo Chreſtus primae ſedis epiſcopus, adeoque metropolitanus. (III) In ſubſcribendis ſynodis Syracuſani epiſcopi ſaepe primas tulerunt, ut in ſynodo Arelatenſi Chreſtus, in quinta ſub Symmacho Eulalius, in Concilio ſub Agathone Theodoſius. (IV) Gregorius M. (9) Maximiano Syracuſano epiſcopo vices Apoſtolicae ſedis ſuper cunctas Siciliae eccleſias commiſit. Moris tum fuit, ut Romani pontifices vices ſuas deferrent ſolis metropolitanis, ut Theſſalonicenſi in Illyrico, Arelatenſi in Gallia, Hiſpalenſi in Hiſpania. Cur ergo Maximianus Syracuſanus pariter ac ceteri metropolitanus non erit? (V) In diatypoſi Leonis Syracuſanus antiſtes inter metropolitas recenſetur. (VI) In Concilio Nicaeno II. an.DCCLXXXVII. Stephanus Syracuſanus bis *archiepiſcopus* dicitur. (VII) Nicolaus I. *conſecrationem Syracuſani archiepiſcopi* a Michaële Aug. poſtulat.

Argumenta haec facile depelluntur. (I) Fuerint Syracuſae, quod non ſatis liquet, totius Siciliae caput; inde non ſequitur eius epiſcopum fuiſſe totius provinciae metropolitam: cum eccleſiaſticas dignitates non ſemper ſaecularibus reſpondiſſe certum ſit; in urbicariis vero provinciis numquam. (II) In Conſtantini epiſtola pro viris *ſecundi ordinis* miniſtros eiuſdem Syracuſanae eccleſiae, non aliarum epiſcopos ſignificari, colligitur ex ipſius Concilii Arelatenſis epiſtola *ad Silveſtrum P.*(10), cui praeter ipſum Chreſtum, & Florum diaconum, Siculorum epiſcoporum nemo ſubſcripſit: *Chreſtus epiſcopus*, *Florus diaconus*, *ex civitate Syracuſanorum*, *provincia Sicilia*. Veteribus autem epiſcopi *ſacerdotes primi ordinis*; presbyteri *ſecundi ordinis ſacerdotes*, *antiſtites in ordine ſecundo*, *ſacerdotes ſecundi*, τοῦ δευτέρου θρόνου: diaconi etiam *ſacerdotes tertii ordinis* dicti ſunt, ut ex Optato Milevitano, Facundo Hermianenſi, Gregorio Nazianzeno, aliiſque liquet (11). Apud Euſebium ergo pro viris τοῦ δευτέρου θρόνου alii ab epiſcopis intelligendi ſunt. (III) In ſubſcribendis ſynodis non urbium dignitatis, ſed epiſco-

(9) Lib. II. ep.x.

(10) Apud Labb.Concil.tom.I. p.1429.

(11) Vide Sirmondum not. ad Sidonium p.78. & not. ad Facundum lib.XII., ac Valeſium in Euſeb. cit.loc.

ſcoporum aetatis ratio habebatur: quod ex conciliis Epheſino, Tarraconenſi, Aurelianenſibus, aliiſque conſtat. Ne vero longius evagemur, Concilio Arelatenſi, de quo agitur, primum Syracuſanus, deinde Capuanus, tum Arpinas, demumque Aquileienſis, Mediolanenſis, Arelatenſis, ceterique praeſules ſubſcribunt. Ecquis Arpinatem epiſcopum Mediolanenſi praeferat, quod ille prior ſubſcripſit? (IV) Gregorius M. vices ſuas Maximiano committens, tantum abeſt, ut Syracuſanam eccleſiam Siciliae metropolim inſtituere voluerit, ut diſerte profeſſus ſit, ſe honorem hunc *non loco*, *ſed perſonae* detuliſſe; ne ſcilicet illius in Syracuſana ſede ſucceſſores in eamdem quoque ſucceſſiſſe dignitatem, aut metropoliticum aliquod ius uſurparent. Si ideo Maximianus metropolita fuit, fuerunt eodem iure Felix Meſſanenſis, cui vices ſuas commiſit Gregorius. Porro in remotis quidem extra Italiam provinciis Romani pontifices metropolitanis, & nonnumquam epiſcopis vices ſuas committere conſueverunt; at in urbicariis regionibus, inter quas Sicilia, quarum ipſe Romanus praeſul metropolitanus erat, epiſcopis, aut ſubdiaconis Romanis vices ſuas delegabant. (V) Reliqua tria argumenta a diatypoſi Leonis, Concilio Nicaeno II., & Nicolao I. petita, nullum negotium faceſſunt; pertinent enim ad tempora poſt Leonis Iſauri imperium, quibus Syracuſanus epiſcopus totius Siciliae metropolita a Graeco patriarcha creatus eſt: qua de re alibi (12) opportunior erit dicendi locus.

Contra Panormum antiquitus eccleſiaſticam metropolim fuiſſe, contendunt Vincentius Lettera (13), & Franciſcus Manfredus (14). Suam his adſtruunt ſententiam. (I) Fuit olim Panormus Regum ſedes; adeoque Siciliae metropolis. (II) Gregorius M. (15) Iohanni Panormitano pallium indulſit, eoque deceſſores ſuos iamdiu uſos innuit. (III) Idem pontifex (16) Victorem Panormitanum *Primatem* adpellat, eique una cum Columbo cauſſam Regienſis epiſcopi cognoſcendam committit. (IV) Pa-

(12) Vide infra Part. II. cap. III.

(13) Tract. de primatu eccleſiae Panormitanae.

(14) In iudicio contra Antoninum Amicum.

(15) Lib. XIII. ep. XXXVII.

(16) Lib. XII. ep. XXIX.

Digitized by Google

Paſchalis I. (17) fatetur, ſe Panormitano *Archiepiſcopo*, rogatu Regis, pallium mittere, iubetque eum fidei ſacramentum praeſtare. (V) Gregorius VII. in diplomate ad Acherium Panormitanum (18), *apoſtolica auctoritate confirmat eidem eccleſiae, & per eam* Acherio *quidquid dignitatis & auctoritatis tenuiſſe probatur: item omnes eius ſuffraganeos epiſcopatus*; hinc conſequitur, Panormum olim metropolim fuiſſe.

Argumenta haec nullum faceſſunt negotium. (I) Principem nunc locum inter Siciliae urbes obtinet Panormum; alias non item. Erant enim priſcis temporibus, teſte Conſtantino Porphyrogeneta (19), Syracuſae, Tauromenium, Meſſana, Catana, aliaeque civitates aeque illuſtres, quas Panormum nec amplitudine, nec dignitate, nec maieſtate vincebat. Regum Northmannorum ſedes fuit Panormum; an idcirco eccleſiaſtica metropolis? At eccleſiaſtica politia ad civilis formam comparata non fuit; ut quae civiles, eaedem ſemper eccleſiaſticae metropoles eſſent. (II) Pallium non metropolitanis modo, ſed & epiſcopis dari ſolebat. Idem Gregorius duobus aliis in ipſa Sicilia epiſcopis Syracuſano & Meſſanenſi pallium conceſſit; quos tamen vel Panormitanae metropoleos patroni metropolitanos fuiſſe non conceſſerint. (III) Gregorii M. epiſtola *Victori epiſcopo* inſcripta, non ad Victorem Panormi, ſed ad Victorem Numidiae primatem pertinet; nec cauſſa epiſcopi *Regenſis*, ſed Paulini *Tegeſſis civitatis* epiſcopi illi committitur (*). (IV) Epiſtola Paſchalis I. nec ab hoc Pontifice ſcripta eſt, nec ad Panormitanum epiſcopum; nam aevo Paſchalis I. Saraceni, non Reges erant in Sicilia, nec niſi poſt Gregorium VII. imperandi iuriſiurandi mos invectus eſt. Eam a Paſchale II. ad Polonienſem epiſcopum ſcriptam an.

(17) In ep. ad Archiepiſcopum Panormitan., apud Ioh. de Iohanne Codic. diplomatic. Sicil. in Appendic. p. 399.

(18) Apud Iohan. de Iohanne cit. loc. & Pirrum Notit. eccleſ. Panorm. ad an. MLXXXIII.

(19) De Thematib. Imper.

(*) Scite Benedictini in hanc epiſtolam haec adnotant. „ In recent. temere „ additum eſt *Panormitano*, quod a mſs. „ & a vet. edit. abeſt. Errori craſſo praebuit occaſionem, tum quod plurimae „ s. Gregorii epiſtolae extent ad Victorem „ Panormitanum, tum quod autumarent „ editores, legendum eſſe hac in epiſtola „ (XXIX. lib. XII.) & in ſuperiori (XXVIII. „ Columbo epiſcopo Numidiae data) *Regenſis*, non *Tegeſſis civitatis*. Hinc opinati ſunt s. Gregorium potuiſſe accerſere „ e vicina inſula epiſcopum ad correctionem Regienſis antiſtitis.

an. MCII., viſum Antonio Auguſtino, Cantelio, aliiſque. (V) Gregorii VII. diploma pro temporibus Leone Iſauro recentioribus firmius eſſet, niſi ei adverſaretur diatypoſis Leoni tributa, ubi inter epiſcopos metropolitae Syracuſano ſubditos *Panormitanus* recenſetur.

Pro Meſſanenſis metropoleos antiquitatė pugnant Albertus Piccolus (20), & Carolus Morabitus (21). Moventur his. (I) Gregorius M. (22) Dono Meſſanenſi epiſcopo pallium indulſit. (II) Idem pontifex (23) Felici Meſſanenſi apoſtolici vicarii munus, & ius indicendi concilii provincialis tribuit; imperat etiam, ut *ſtudioſus ſit circa fratres*, hoc eſt, Piccolo interprete, ſuffraganeos epiſcopos: ac epiſtolam ipſam *Felici in Sicilia* inſcribit, qua loquendi formula cum ſolis metropolitanis utitur Gregorius.

Quam inania haec ſunt ad metropoliticum Meſſanenſi epiſcopo ius adſerendum! (I) A conceſſione pallii colligi metropolitica dignitas nequit; cum conſueverint Romani pontifices pallia mittere non metropolitanis modo, ſed & epiſcopis quibuſcumque. (*) Ita in eadem Sicilia Gregorius I. pallium & Syracuſano (24), & Panormitano (25), nudis epiſcopis, dedit. (II) Epiſtola illa Gregorii M. ad Felicem Meſſanenſem ſubleſtae fidei eſt (*): & quamvis genuina eſſet, tanti tamen non eſt, ut metropoliticam Meſſanenſis cathedrae pote-

(20) Diſſ. de antiq. iure eccleſiae Siculae, tom.I. collect. Burmann.

(21) In Annalib. protometropolitanae eccleſiae Meſſanenſ. tom.I.

(22) Lib.VI. ep. IX.

(23) Lib.XIV.ep.XVII.

(*) Exempla ſimplicium epiſcoporum pallio a Romano pontifice ornatorum congerit Chriſt. Lupus diſſ. de VII. Synodo, Oper. tom. III. p.228. Add. Garner. in lib. Diurn Rom. Pontific. cap. IV. tit.9.

(24) Lib.VI. ep. IX.

(25) Lib.VI. ep.XVIII.

(*) Binae ſunt epiſtolae; altera *Felicis Meſſanenſis epiſcopi ad s. Gregorium* (haec eſt XVI. lib. XIV. edition. Benedict. Pariſ. MDCCV.) qua quaerit de gradibus affinitatis, in quibus nubere licet, de epiſcopi vexatione a ſubditis, deque eccleſiis, quarum dedicationes ſunt dubiae. Altera eſt s. Gregorii *ad Felicem Meſſanenſem Epiſcopum*, qua interrogatus reſpondet de conſanguineorum coniunctione, de vexatione epiſcoporum a ſubditis, ac de dubia eccleſiae conſecratione; ſegregari incorrigibiles, & Synodum quotannis congregari praecipit. Primam epiſtolam, quae in antiquis editionibus deerat, velut ex tenebris erutam evulgarunt Benedictini oper. s. Gregorii editores. At eam vidit Guſſanvillaeus, qui, ut monet col. 1143. edit. Pariſ., praelo indignam putavit, utpote quae genuina non eſſet, & pluribus ſcateret mendis. Secunda vero epiſtola dubia & ſuſpecta eſt. Guſſanvil-

Digitized by Google

ſtatem in reliquas Siciliae eccleſias firmare queat. In ea Felici vices ſuas dederit Gregorius; an ideo metropolita pronuntiabitur? At dedit & Maximiano Syracuſano, nec is tamen metropolita fuit; dedit & aliis epiſcopis, & ipſis Subdiaconis Romanis. Indulſerit eidem Felici poteſtatem cogendae ſynodi: nonne dedit & Siagrio Auguſtodunenſi in Gallia, qui merus erat epiſcopus, & Petro Subdiacono in Sicilia, qui ne epiſcopus quidem? Congregare Synodum iure ſuo fuit quidem metropolitae; iuſſu vero pontificis fuit vel epiſcopi, vel presbyteri, vel ſubdiaconi. Iuſſerit tandem, Felicem *ſtudioſum eſſe circa fratres*; quid tum? Epiſcopi cum ſimplices, tum metropolitani inter ſe *fratres* dici conſueverunt, ob parem omnium dignitatem. At epiſtola illa inſcribitur *Felici in Sicilia*? Nimirum librarii, non Gregorii eſt eiuſmodi inſcriptio: unde, ea deleta, haec epiſtolae praefixa eſt epigraphe in Romana operum s. Gregorii editione an. MDXCI. & an. MDCXIII. *Felici epiſcopo Meſſanenſi*. Sed ea fuerit genuina: nonne epiſcopis a regionibus, quas incolebant, nomen inditum a Gregorio, aliiſque; qui tamen metropolitani non fuerunt? Ita in Concilio Nicaeno II. (26) Theodorus Catanenſis dicitur *ſanctiſſimus Siciliae epiſcopus*. Gregorius M. (27) ſcribit *Secundino & Iohanni epiſcopis Siciliae*, hoc eſt Secundino Tauromenitano, & Iohanni Syracuſano. Idem (28) ſcribit *Leoni*, *Secundino*, *Iohanni*, *Dono*, *Lucido*, *Traiano*, *epiſcopis Siciliae*, puta Leoni Catanenſi, Secundo Tauromenitano, Iohanni Syracuſano, Dono Meſſanenſi, Lucido Leontino, & Traiano Melitenſi: cumque Meſſanenſem poſt Catanenſem, Tauromenitanum, & Syracuſanum poſuerit, illis ſuperiorem non fuiſſe manifeſte oſtendit.

DE

villaeus primam epiſtolam inter ſpurias; hanc vero, etſi corruptam agnoſcat, inter genuinas tamen recenſet. Diſcretionem hanc reiicit Labbeus to. VI. Conc. col. 1300. cui altera ſine altera nec ſalvari, nec damnari poſſe videtur: hinc iſtam aeque ac illam veluti Gregorio M. indignam reprobant Blondellus, Caveus, Dupinius, aliique. Eam tamen ipſi s. Gregorio vindicant Benedictini recentiores eius Operum editores. Rationes utrinque adductas expendat lector; quae etſi falſam epiſtolam non demonſtrant, dubiam certe ſuſpectamque reddunt. Eo vel maxime quod farrago ſit ex genuinis Gregorii epiſtolis compilata.

(26) Act. III.

(27) Lib. X. ep. LVII.

(28) Lib. XIII. ep. XVIII.

Digitized by Google

DE ORTV ET PROGRESSV

METROPOLEΩN ECCLESIASTICARVM

IN REGNO NEAPOLITANO ET SICVLO.

PARS SECVNDA,

IN QVA DE METROPOLITANIS ET ARCHIEPISCOPIS IN VTROQVE REGNO A PATRIARCHIS CPOLITANIS INSTITVTIS FVSE DISSERITVR.

CAPVT I.

De Calabriae & Siciliae epiſcopis a Romano metropolita ad CPolitanum patriarcham abductis.

HActenus oſtenſum, epiſcopos omnes Regni Neapolitani ac Siculi a primis eccleſiae temporibus ad Leonem Iſaurum, non alium a Romano pontifice metropolitanum agnoviſſe: nunc ad fata variaſque viciſſitudines recenſendas, quas metropolitica Romani antiſtitis poteſtas in eccleſiis utriuſque Regni potentia Iſauri, aliorumque Graecorum Auguſtorum eſt paſſa, decedere par eſt. Sub Leone Iſauro, qui ab anno DCCXVII. ad DCCXLI. regnavit, & Gregorio III., qui ab anno DCCXXXI. ad DCCXLI. pontificatum geſſit, Calabriae & Siciliae epiſcopi anno DCCXXXII. a Romano metropolita ſuo ad patriarcham Byzantinum traducti ſunt. Nimirum Iſaurus bellum ſacris imaginibus, earumque cultoribus palam indixit: eoque nomine Germanum patriarcham CPnum ſede depulit; Romanos pontifices Gregorium II., eiuſque ſucceſſorem Gregorium III. catholicae doctrinae vindices exagitavit. Hinc factum, ut a Graeco Imperio omnes fere Italiae ſuperioris regiones defecerint. Quare Caeſar in rabiem actus ob vindicatum a Romanis praeſulibus imaginum cultum, ac amiſſam ditionem, Calabros & Siculos, quod conſtantes eſſent illarum cultores, novis gravibuſque vectigalibus afflixit, ac

ac Romanae eccleſiae patrimonia in Calabria & Sicilia poſita (*) redegit in fiſcum, teſte Theophane loco mox afferendo. Idem Imperator adverſus Romanam ſedem infremens, non eccleſias modo Illyricianas, verum etiam Calabriae & Siciliae (quae ſolae in Italia ei ſuperfuerant) a Romana ſede avulſit, & Anaſtaſio patriarchae CPolitano iconomacho, qui Germano ſuffectus eſt, ſubiecit. Diſerte Hadrianus I. (1) teſtatur, tunc a Graecis *dioeceſim Archiepiſcoporum*, & *epiſcoporum*, *cum patrimoniis* Romanae eccleſiae a Graecis avulſam fuiſſe, *quando ſacras imagines depoſuerunt*, puta ſub Leone Iſauro, qui primus ſacras evertit imagines: *Dudum quippe*, ait, *quando eos pro ſacrarum imaginum erectione adhortati ſumus, ſimili modo & de dioeceſi tam Archiepiſcoporum, quam & epiſcoporum ſanctae catholicae & apoſtolicae Romanae eccleſiae, quae tunc cum patrimoniis noſtris abſtulerunt* (Graeci), *quando ſacras imagines depoſuerunt*. Profecto iam ante annum DCCLXXXVII. Calabros Siculoſque praeſules patriarchae CPno paruiſſe, Concilium Nicaenum II. eo anno celebratum ſatis evincit. In hoc Calabri Siculique antiſtites, Hadriani P. epiſtolae ſubſcribentes (2), Tharaſium οἰκουμενικὸν ἡμῶν πατριάρχην *oecumenicum patriarcham ſuum* eſſe fatentur. Sic enim ſubſcribit Iohannes Tauromenitanus: *Cum velut divinus orthodoxiae terminus ſint litterae, quae ab Hadriano Papa ſenioris Romae ad pios Imperatores, nec non ad* THARASIVM VNIVERSALEM PATRIARCHAM NOSTRVM *miſſae ſunt, ita profiteor ſuſcipiens ſacras iconas*. Tum eodem prorſus modo ſubſcribunt *Gaudioſus epiſcopus Meſſanae*, *Theodorus Panormi*, *Stephanus Bibonenſis*, *Conſtantinus Leontinae*, *Theodorus Taurianae*, *Chriſtophorus s. Cyriacae*, *Theotimus Crotonenſium*, *Theodorus Tropaeorum*, *Sergius Nicoterenſium*, & *Galato ex perſona Stephani Syracuſani*. Ergo & hi Siculi Calabrique praeſules Tharaſium & *univerſalem patriarcham*,

&

(*) De patrimoniis Romanae eccleſiae, praeſertim Calabritano, Siculo, & Campano, quae per ſubdiaconos Romanos adminiſtrabantur, confer Sigonium de Regno Ital. lib. 1. Berter. chorograph. Ital. med. aevi Murator. diſſ. LXXIX. Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. v. p. 298. ſeqq. tom. III. Ioh. de Iohan. Codic. diplom. Sicil. diſſ. v. & Benedictinos not. in epiſtolas s. Gregorii M.

(1) Ep. ad Carol. M. apud Harduin. Conc. tom. IV. col. 819.

(2) Act. II.

Digitized by Google

& *ſuum* eſſe confitentur. Quis haec ab epiſcopis Romano pontifici ſuffraganeis dicta credet? Hinc etiam colligitur, iam ante eum annum DCCLXXXVII., quo Concilium Nicaenum II. celebratum eſt, non tunc primum, epiſcopos Siciliae & Calabriae a Romana ad Byzantinam ſedem traductos fuiſſe. Adſcendere autem ad tempora Iſauri, cuius tyrannide avulſi fuerunt, nihil vetat; quin omnia ſuadent.

Hanc vero Calabriae ac Siciliae epiſcoporum a Romana ad CPnam ſedem abductionem anno DCCXXXII. contigiſſe, perbelle adſtruitur teſtimonio Theophanis, qui memorata Iſauri facinora refert ad annum Incarnationis ſecundum Alexandrinos DCCXXIV. Imperii Leonis XVI. (qui eſt annus Chriſti DCCXXXII. ac pontificatus Gregorii III. (*) ſecundus): *Imperator autem*, inquit, *contra Papam* (Gregorium III.), *Romaeque & Italiae deſertores inſaniens*; κατα τȣ παπα, και αποστασιας Ρώμης, και Ιταλιας, *& plane furiis invectus, claſſem ingentem adverſus eos miſit, & Manem Cibyrrhaeotarum Ducem ei praefecit. Summum tamen dedecus vanus ille Princeps retulit; claſſe in mare Adriatico naufragium paſſa. Ex quo in furorem actus Dei ille hoſtis, Arabico ſenſu imbutus, auctiora Siculis & Calabris populis parte tertia tributa in ſingula hominum capita impoſuit. Patrimonia vero, quae dicuntur ſanctorum & coryphaeorum Apoſtolorum, qui in veteri Roma coluntur*, τα δε λεγομενα πατριμωνια των άγιων και κορυφαιων Αποστολων των εν τη πρεσβυτερα Ρωμη τιμωμενων, *tria nimirum cum medio auri talenta, eorum eccleſiis ab antiquo aſſignata & penſa, in publicum aerarium conferri iuſſit. Inſpici inſuper atque deſcribi maſculos infantes, qui naſcerentur, quemadmodum olim Pharao Hebraeorum pueros mandavit: quod tamen neque ipſi eius doctores Arabes in chriſtianos Orientales admiſerunt.* Nullam quidem Theophanes, aliique Graeci avulſionis dioceſeωn mentionem

(*) Pagius Critic. Baron. ad A. C. DCCXXX. n. 11. Ioh. de Iohanne Cod. diplom. Siciliae diſſ. 2. n. 18. aliique putant, Calabros Siculoſque epiſcopos ſub Leone Iſauro Imp. & Gregorio II. pontifice anno DCCXXX. ad CPolitanum Antiſtitem traductos. At Theophanes Iſauri deliramenta refert ad annum Leonis XVI. qui erat Chriſti DCCXXXII., quo anno Gregorius III. pontificatum gerebat, mortuo Gregorio II. an. DCCXXX.

Digitized by Google

nem iniiciunt, Graeca profecto fide; ut ſcilicet patriarchatus ſui CPolitani phylacteria dilatarent, perinde ac ſi eccleſiae Illyrici, Calabriae, & Siciliae a priſcis temporibus ad Byzantinam ſedem pertinuiſſent, non ſub Iſauro primum uſurpatae fuiſſent. Verum quod Graeci ſiluerunt, id expreſſit Hadrianus I. (3), dum dioeceſim cum patrimoniis Romanae Sedi ablatam expoſtulat, *quando ſacras imagines depoſuerunt* Graeci, hoc eſt Iſauro imperante. Ecquis autem concoquat, Iſaurum in Romanum pontificem adeo furentem, patrimonia Calabritana & Sicula proſcripſiſſe, eius vero ſacrae in Illyricum, Calabriam, & Siciliam iuriſdictioni parſiſſe; praeſertim cum oblatis honorum illiciis Neapolitanum aliosque epiſcopos in ipſa Campania Romae proxima, a Romana ſede avertere molitus ſit?

Quae cum ita ſint, haud iis ſubſcribendum, qui defectionem hanc Calabrorum & Siculorum antiſtitum ſive ante Iſaurum (*), ſive ſerius eveniſſe putant. Antoninus Amicus (4) non ſine ratione coniecit, Siculos epiſcopos non multo ante Concilium CPnum II. anno DCCLXXXVII. coactum ad Patriarcham CPnum defeciſſe. Rem acu tetigiſſet, ſi ad Iſauri tempora adſcendiſſet. Baronius (5) anno DCCCLIV. Siciliae epiſcopos ad CPolitanum patriarcham abductos tradit, quo s. Ignatius patriarcha CPolitanus Gregorium Syracuſanum epiſcopum depoſuit; quod iuriſdictionem Byzantini patriarchae in Siculos praeſules arguit. Ei ſuffragatur Nicolaus I. (6), dum Gregorii crimen arguit, qui *in Ignatium*, SVVM *videlicet* PATRIARCHAM, *rediviva impietatis iacula irreverenter exacuit*, puta, eiecto Ignatio, Photium ordinavit. Verum iam ante id tempus Siculos & Calabros epiſcopos iuris Graecorum fuiſſe, ex Concilio Nicae-

(3) Cit. ep. ad Carol. M.

(*) Immerito Siciliam a Romana eccleſia diſtractam, & CPno patriarchae contributam Iuſtiniani aevo, ſcribunt Th. Balſamon in can. II. Concilii CPni, & Claud. Salmaſ. in Apparat. de primat. Papae; diu enim poſt Iuſtinianum Siciliae epiſcopos Romano metropolitae paruiſſe, evincunt in primis Gregorii M. epiſtolae, qui anno DCIV. deceſſit. Vide ſupra part. II. cap. IV. & VI.

(4) Diſſ. de antiquo urb. Syracuſ. Archiep.

(5) In Annalib. ad an. DCCCLIV. n.8.

(6) Ep. IX. ad Michaël. Imp., apud Harduin. Conc. tom. V. col. 184.

Digitized by Google

caeno II. anno DCCLXXXVII. habito plane conficitur, in quo epiſcopi Siciliae & Calabriae ſe Tharaſio CPno patriarchae ſubditos produnt, uti ſupra oſtenſum.

Iam vero Piccolus (7), & Pirrus (8) an. DCCCLXX., poſt Nicolaum I. qui an. DCCCLXVII. deceſſit, Siciliam ad Graecum patriarcham defeciſſe, putant. Zavarronus etiam (9) Calabriae ac Siciliae avulſionem ad tempora Photii patriarchae refert. His praecipue momentis ducuntur. (I) Hadrianus I. anno DCCLXXXV. a Conſtantino & Irene petiit (10), ut *patrimonia B.Petri, & conſecrationes Archiepiſcoporum, & epiſcoporum, ſicut olitana conſtat traditio, noſtrae dioeceſis exiſtentes penitus canonice s. Romanae reſtituantur eccleſiae*. Rurſus anno DCCLXXXVII. apud Carolum M. queritur (11), ſe poſtulaſſe reſtitutionem *dioeceſis tam Archiepiſcoporum, quam & epiſcoporum Romanae eccleſiae, quae tunc cum patrimoniis noſtris abſtulerunt* (Graeci), *quando ſacras imagines depoſuerant*; nullamque poſtulationis ſuae rationem in Septima Synodo a Graecis habitam, nec ullum a Conſtantino ac Irene reſponſum de ea re accepiſſe. Nec Siciliae, neque Calabriae meminit Hadrianus, quod tunc abſtractae non fuiſſent; ceteroqui nihil erat, cur omitterentur: quin eo iuſtior conquerendi cauſſa exurgebat, quod eae Romae multo propiores eſſent, quam ceterae. (II) Nicolaus I. (12) anno DCCCLX. dum avulſarum ſedium reſtitutionem expoſcit, ſingulas enumerat provincias, *utramque Epirum, Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, utramque Daciam, Myſiam, Dardaniam, Praevalim*; addit etiam *Calabritanum patrimonium & Siculum*; tandemque petit, ut *conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo a Romana Sede impendatur*. Cur Calabriae reſtitutionem non urget, maxime quod Calabritanum poſtulat patrimonium, a Graecis per ſummam iniuriam Romanae Sedi

(7) Diſſ. de antiq. iure eccleſ. Sicul. part. I. cap. XXIV.

(8) Diſſ. de antiq. urbis Syracuſar. archiepiſcop.

(9) Not. ad Bullam Godani Archiepiſcopi Acheruntin. p.80. ſeqq.

(10) Ep. ad Conſtantin. & Iren. quae refertur Act. II. Septimae Synodi apud Harduin. Conc. tom. IV. col. 94.

(11) Ep. ad Carol. M. apud Harduin. ibid. col. 819.

(12) Ep. ad Michaël. Imp. apud Harduin. Conc. cit. tom. V. p. 225. & ſeq.

Digitized by Google

ablatum? Cur e Sicilia non niſi Archiepiſcopi Syracuſani conſecrationem, & Siculum patrimonium ſibi reddi petit? Numnam prudentis pontificis fuit de ſolis praediis, unaque ſede litem Graecis movere; de Sicilia vero univerſa, quae multo potior erat, deque Calabria nihil conqueri? Profecto petit pontifex patrimonia Calabra & Sicula, quod haec tantum fuerant ablata: non petit Calabriam, & Siciliam univerſam ſibi reddi, quod illae ſibi ſubeſſent. (III) Avulſionis Siciliae & Calabriae veſtigia antiquiora non occurrunt, quam in diatypoſi Leonis Sapientis circa an. DCCCLXXXVII. edita.

Haec ſpecioſiora ſunt, quam ut negotium cuique creare poſſint. (I) Nihil obturbat, ab Hadriano Calabriam & Siciliam expreſſe non memorari; nam is nec Illyricianas commemorat eccleſias, quas tamen a Romana ad CPnam dioeceſim transfugiſſe, & ab Hadriano fruſtra ad Romanam eccleſiam revocatas, inter omnes convenit, ac ne ipſe quidem dubitat Pirrus. Sed Hadrianus haud obſcure epiſcopos Calabriae & Siciliae ſignificat, dum ſibi reſtitui poſtulat *patrimonia B. Petri Apoſtolorum principis, & conſecrationes Archiepiſcoporum & epiſcoporum, ſicut olitana conſtat traditio*, ſive *dioeceſim tam Archiepiſcoporum, quam & epiſcoporum*, tunc cum patrimoniis abſtractam a Graecis, *quando ſacras imagines depoſuerunt*. Quinam, obſecro, hi *archiepiſcopi*, & *epiſcopi*, quos ex *olitana traditione* Romanus pontifex conſecrare ſolebat, niſi Illyriciani, qui *Apoſtolicae ſedis moderamine antiquitus praecipuo regebantur*, ut Anaſtaſii (13) verbis utar; itemque Calabri Siculique, qui inde uſque a primis ſaeculis a Romano metropolita conſecrabantur, eique arctius adhaerebant? Quaenam *dioeceſis Archiepiſcoporum & epiſcoporum*, cum patrimoniis a Romana ſede abſtracta tempore indicti per Iſaurum ſacris imaginibus belli, niſi Illyriciana, Calabriae & Siciliae? In Illyrico enim ante avulſionem extabant *Archiepiſcopi*, ut Theſſalonicenſis, Cretenſis, aliique, quorum patriarcha erat Romanus pontifex; in Calabria vero & Sicilia *epiſcopi* tantum, quibus Romanus praeſul tamquam metropolita praeerat. (II) Nicolaus I. iis verbis, quibus queritur, *occupata ab Orientalibus Romanae eccleſiae iura, & provinciis iis ſpoliatam, quas velu-* ti

(13) Praef. ad VIII. Synodum

Digitized by Google

ri peculiares Romanus pontifex regere conſuevíſſet , non ſolas Illyricianas , ſed & Calabras Siculaſque eccleſias haud obſcure deſignat. Conſtat enim in iura Romanae ſedis impetum feciſſe Graecos ſub Leone Iſauro ; provincias vero illas , quas ab antiquiſſimis temporibus Romanus pontifex tamquam peculiares adminiſtrabat, fuiſſe Illyricianas, ac urbicarias, inter quas Calabria & Sicilia recenſebantur. Praeterea nihil clarius de Sicilia a Romana ſede avulſa dicere potuit, quam cum conſecrationem Syracuſani Archiepiſcopi ſibi reſtitui poſtulavit. In Syracuſano enim Archiepiſcopo, ad obedientiam Romanae ſedis redeunte, ceteri Siciliae epiſcopi comprehenduntur. Cur vero de Calabriae eccleſiis tacuerit, incertum eſt. Forte id factum, quod anno DCCCLX. quo epiſtolam illam Nicolaus ſcripſit, Apulia & Calabria a Saracenis miſerandum in modum infeſtaretur; quibus cohibendis cum Graeci impares eſſent, Baſilius Imp. anno DCCCLXX. ſubſidiarias copias a Ludovico II. obtinuit, quibus Saraceni profligati ſunt. Fruſtra itaque pontifex reſtitutionem poſtulaſſet illarum eccleſiarum, quas invaſerunt Saraceni, a Graeco Imperatore, qui, ut ipſe urbes Calabriae retineret, aut amiſſas recuperaret, praeſidium ab Occidentis Imperatore petere coactus fuit. Porro ſatagebat pontifex ad officium revocare Syracuſanum Archiepiſcopum, qui caput adverſus Romanam ſedem extulerat, Photii partibus ſtudens, ut & Byzantini patriarchae audacia reprimeretur, & ceteri Siciliae praeſules, revocato Syracuſano, ad obedientiam Romanae Sedis redirent: cum contra Calabri epiſcopi formidine, aut honorum illecebris capti, CPno Throno ſubeſſent, quin aliquid in Romanam ſedem molirentur. Quidquid de hac re ſit, plura & gravia momenta evincunt, Calabriam & Siciliam ad patriarcham CPnum ſub Iſauro abductam; ut negativum argumentum, ab Hadriani & Nicolai ſilentio petitum, nullius ponderis habendum eſſet. (III) Falſum eſt, vetuſtiora avulſionis Siciliae & Calabriae veſtigia non haberi, niſi in Diſpoſitione Leonis Sapientis circa an. DCCCLXXXVII. edita; nam potiſſimum ex Conciliis CPno II. an. DCCLXXXVII. & CPno IV. anno DCCCLXX. celebratis conſtat, Calabros Siculoſque epiſcopos iamdiu a Romano ad CPnum

 thro-

thronum abductos fuiſſe: ex Theophane autem, & apertiſſimo Hadriani I. teſtimonio docemur, avulſionem hanc opera Leonis Iſauri factam. Nec porro Leo Sapiens diatypoſeωs ſedium CPolitano throno ſubiectarum, ſed Leo Iſaurus primus extitit auctor, quamvis ab Imperatoribus paſſim aucta, atque immutata fuerit (14).

CAP. II.

De iuriſdictione patriarchae CPlitani in epiſcopos Calabriae ac Siciliae.

PAtriarcha Byzantinus, Graecorum Caeſarum gratia fretus, in epiſcopos Calabriae ac Siciliae, ſedi ſuae iam deputatos, primum metropoliticam, tum, illorum nonnullis ad metropoliticam dignitatem evectis, patriarchicam exercuit poteſtatem. Byzantino ſe throno ſubditos manifeſte produnt Calabri Siculique epiſcopi, qui Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. interfuerunt, dum Tharaſium CP. & *univerſalem patriarcham*, & *ſuum* adpellant, uti ſupra demonſtravimus. Profecto patriarcha CPnus epiſcopos Calabriae & Siciliae ordinabat, ad concilium convocabat, eoſque, ſi quid gravius peccaſſent, deponebat, aliaque metropolitani, aut patriarchae in ipſos munera exercebat.

Conſecratos Calabriae & Siciliae epiſcopos a Graeco patriarcha fuiſſe, Acta Concilii CPni IV. dubitare non patiuntur. Huic enim concilio, quamvis oecumenico, exceptis Romanae eccleſiae legatis, ac ſedium Orientalium Vicariis, non alii interfuerunt epiſcopi, quam qui CPolitano throno ſubiecti, a veris ante Photium patriarchis, hoc eſt Methodio, aut Ignatio, vel certe metropolitanis ab ipſis conſecratis, fuerant ordinati. Teſtatur id Anaſtaſius Bibliothecarius, qui eidem octavae Synodo adſuit (1): *Non te ſcandalizet*, inquit, *ſubſcribentium paucitas*, *quia dum Photius diu* (hoc eſt, annis undecim) *tyrannidem exercuiſſet*,

(14) Vide infra cap. III.

(1) Not. ad ſubſcriptiones Octavae Synodi a ſe verſae, apud Harduin. Conc. tom. V. Act. X.

ſet, *& paene omnes a piis deceſſoribus ſuis ſacratos depoſuiſſet*, *& in loca eorum fautores ſuos tantummodo provexiſſet*, *quorum nullus in hac Synodo eſt receptus*, *iſti ſoli ex priorum patriarcharum conſecratione ſuperſtites* (*ſuſceptibiles* habent alii codices) *ſunt inventi*. Et Nicetas (2) de octava Synodo oecumenica loquens: *Poſtero die* (Act. II.) *ſacerdotes & antiſtites omnes*, *qui a Methodio & Ignatio ſanctiſſimis patriarchis conſecrati erant*, *artibuſque & inſidiis ad Photii communionem abrepti erant*, *libellis poenitentiae porrectis cum lacrymis ſupplices ad s. Synodi pedes procubuerunt*. Hinc habes, ſolos epiſcopos CPolitano patriarchatui obnoxios, a Methodio aut Ignatio conſecratos, qui aut a partibus Ignatii conſtantes ſteterant, aut Photium deſerentes praeſcriptum ſibi *epitimium ſeu poenam ſuſceperunt*, ad Synodum admiſſos fuiſſe; excluſos autem, qui Photio adhaeſerant, nec divelli ab eo patiebantur. Interfuerunt autem e Sicilia *Nicetas Cephaludii*, *Antonius Aleſii*, *Gregorius Meſinae*, *& Euthymius Catanae*, qui metropolitanus paſſim in Actis dicitur. Ex Calabria vero *Nicephorus Crotonis*, *Georgius s. Cyriacae*, *Demetrius Scyllacii*, *Leontius Regii*, *Paullus Taurianae*. Ergo hi Siculi Calabrique praeſules a Methodio aut Ignatio conſecrationem acceperant. Diſerte in Actis Synodi (3) Euthymius epiſcopus Catanae, Zacharias Tauromenitanus, & Gregorius Syracuſanus (poſtremi hi duo a Synodo excluſi, quod a Photio avelli noluerint (*)) a ſanctiſſimis Methodio & Ignatio patriarchis conſecrationem accepiſſe dicuntur. Nicolaus I. (4) an. DCCCLX. a Michaële Aug. petiit, ut *conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo a ſede Apoſtolica* impendatur: quod haud exegiſſet, ſi is poſt Iſauri tempora ordinari a patriarcha CPolitano non conſueviſſet. Marcianus II. Theodoſii III. in ſede Syracuſana ſucceſſor; *non Romae conſecratus*, *ſed a tribus epiſcopis Syracuſis*, dicitur in veteri catalogo MS. eccleſiae Syracuſanae (5). Hic autem Marcianus epiſcopatum iniit poſt

(2) In vita Ignatii apud Harduin. Conc. tom. V. col. 987.

(3) Act. III. & IV.

(*) Vid. Anaſtaſ. not. ad VIII. Synod. apud Harduin. Conc. tom. V. p. 225. & 126.

(4) Ep. ad Michaël. Imp. apud Harduin. Conc. tom. V. p. 225. & ſeq.

(5) Conf. Chriſtoph. Schobar in Catalog. Epiſcopor. Syracuſan. & Pirrum Notit. Syracuſ. in Marcian. II. p. 609.

Digitized by Google

poſt annum DCCXXXII. quo Iſaurus Siciliae eccleſias a Romana avulſit. Nihil tam ſingulare in hoc epiſcopo catalogi illius Auctor notare poterat, quam vetuſti moris immutationem. Graeci enim Siculos epiſcopos a Romana ſede avertere ſategerunt vel eo illicio, ut non CPolim conſecrationem accepturi proficiſci cogerentur, ſed in eadem urbe acciperent.

Ab eodem CPolitano patriarcha Calabri & Siculi antiſtites ad ſynodum convocabantur. Sane, ut ii conventibus Romanis ad Synodum uſque ſub Agathone P. an. DCLXXIX. celebratam, frequentes interſuerunt, quippe Romano metropolitae ſuffraganei; ita in ſynodis exinde Romae habitis numquam comparent: contra in conciliis CPolitanis poſt Leonem Iſaurum coactis, utpote Graeco patriarchae iam obnoxii, utramque faciunt paginam. Ita ſeptimae Synodo oecumenicae, ſive Nicaenae II. CPoli anno DCCLXXXVII. habitae, octodecim Calabriae ac Siciliae praeſules Graece ſubſcribunt: *Conſtantinus epiſcopus Regii. Theodorus Catanae. Iohannes Tauromenii. Galato presbyter & vicarius Stephani epiſcopi Syracuſani. Gaudioſus Meſſanae. Theodorus Panormi. Stephanus Bibonis. Conſtans Leontinae. Theodorus Taurianae. Chriſtophorus Adriaces, ſive s. Cyriacae. Baſilius Liparenſium. Theotimus Crotonis. Baſilius Neſſiorum ſive Inſulae. Conſtans Carinae. Theophanes Lilybaei. Iohannes Trocaleos. Theodorus Tropaeorum. Sergius Nicoterenſium*. Synodo oecumenicae octavae, ſeu CPolitanae IV. anno DCCCLXIX. & DCCCLXX. celebratae, Graece ſubſcribunt e Calabria epiſcopi quinque: *Nicephorus Crotonis. Georgius s. Cyriacae. Demetrius Scyllacii. Leontius Regii. Paullus Taurianae*. Ex Sicilia vero quatuor: *Nicetas Cephaludii. Antonius Aleſii. Gregorius Meſinae. Euthymius Catanae.* Tandem Photianae Pſeudo-Synodo anno DCCCLXXIX. habitae ad Photium poſt obitum Ignatii ſedi CPnae reſtituendum (6), e nova veterique Calabria ſubſcribunt *Leo Regii*, *Marcus Hydruntis*, *& Demetrius Scyllacii*. Ex Sicilia vero unus *Samuel Liparorum* (*); nam Photii fautores Gregorius Syracuſanus iam Ni-

(6) Apud Harduin. Conc. tom. VI. p. 213.

(*) Eidem Pſeudo-Synodo Photianae ſubſcribunt *Philippus Meſenae*, & *Stephanus Bareos*. At Philippus non Meſſinae in Sicilia, ſed in provincia Europae, quae

Nicaenus, & Zacharias Tauromenitanus iam Chalcedonenſis epiſcopi, inter Bithyniae metropolitanos conſederunt.

Cauſſae quoque Calabrorum Siculorumque praeſulum a CPolitano patriarcha cognoſcebantur, ab eoque illi criminis rei coërcebantur. Ignatius patriarcha Gregorium Syracuſanum cognomento *Asbeſtam* depoſuit, *quod homo flagitioſus videretur*, ut inquit Metrophanes Smyrnenſis (7). Rem ſic enarrat Nicetas (8): *Cum eſſet patriarcha* (Ignatius) *conſecrandus*, *Gregorium* (Syracuſanum epiſcopum) *ne initiationi ſuae intereſſet*, *admonuit*, *donec per otium cauſſa ipſius diligenter cognoſceretur*. Sane iudicium de Gregorio inſtituere non potuiſſet CPolitanus patriarcha, ſi ad ſe Sicilia haud pertineret. Ipſe Nicolaus I. (9) Ignatii in Syracuſano epiſcopo exauctorando poteſtatem agnoſcit, ſupremumque dumtaxat iudicium Romanae ſedi reſervatum, oſtendit: *Qui olim* (Gregorius) *a fratre*, *&* *comminiſtro noſtro Ignatio*, *&* *a Synodo*, *quae ſub ipſo erat*, *depoſitus eſt*: *&* *ut Apoſtolica ſedes in eius damnatione conſentiret*, *ab ipſo conſacerdote noſtro poſtulata eſt* . . . . . *Sed benignitate Dei*, *&* *patientia ſedis Apoſtolicae in ſuperbiam abutens*, *in ipſum videlicet* IGNATIVM PATRIARCHAM SVVM *rediviva iacula impietatis irreverenter exacuit*, *&* *eo ſuperſtite Neophytum* (Photium) *in CPolitanam eccleſiam conſecravit*: quibus verbis agnoſcere videtur CPni patriarchae in Siculos antiſtites poteſtatem.

C A P. III.

De metropolitanis & archiepiſcopis in Calabria & Sicilia a patriarchis CPolitanis inſtitutis.

PAtriarcha CPnus, ut Calabriae ac Siciliae epiſcopos a Romana ſede avulſos ſibi magis devinciret, epiſcopos quoſdam illu-

quae in Graecorum Notitiis inter ſedes autocephalas refertur, epiſcopus fuit; nam inter metropolitas collocatur, uti recte vidit Piccolus de antiq. iur. eccleſ. Sicul. part. I. cap. XXV. Stephanus autem non *Bareos* in Apulia, ſed in Helleſponto epiſcopus fuit. Vide infra cap. III. & IV.

(7) In Actis VIII. Synodi oecumenic.

(8) In vita Ignat. apud Harduin. Concil. tom. V. col. 962. Latina.

(9) Ep. IX. ad Michaël. Imp. apud Harduin. cit. loc. col. 184.

illuſtrium in illis civitatum *metropolitanos*, aut *archiepiſcopos* (*), conſtituit, ut eo velūti nexu quodam & ipſi arctius obſtringerentur, & eorum opera ceteri quoque antiſtites in obedientiae CPnae ſedis continerentur. In nova quidem Calabria a Graeco pontifice omnium primus metropolitica dignitate exornatus eſt Reginus epiſcopus; deinde antiſtes Sanctae Severinae: in veteri autem Calabria Hydruntinus praeſul primum *archiepiſcopus*, tandemque *metropolita* renuntiatus eſt. In Sicilia porro primus Syracuſanus antiſtes metropoliticam dignitatem eſt nactus; mox Catanenſis *archiepiſcopus* evaſit. De his omnibus ſingulatim diſpiciendum eſt.

In

(*) Apud poſteriores Graecos *metropolitanus*, & *archiepiſcopus* invicem diſtinguebantur. Metropolitanus enim dicebatur, qui ſuffraganeis praeerat epiſcopis; *archiepiſcopus* vero, qui nullos ſub ſe haberet epiſcopos, ſed honoratior inter ceteros praeſules erat; ſic appellatus, non *quod epiſcoporum princeps & ordinator ſit, ſed tamquam principium epiſcoporum*, ἀλλ' ὡς ἀρχὴ ἐπισκόπων, uti Balſamon inquit loco mox laudando. Ita *metropolitani* nomen dignitatis ac poteſtatis; *archiepiſcopi* ſolius dignitatis fuit. Praeclare incomparabilis Mazochius diſſ.hiſtoric. de cathedr.eccleſ.Neap.part.II.cap.II.p.114. *Simplex* (ἀρχιεπισκοπὴ)„ Archiepiſcopatus„ *honor erat apud Graecos inter metropolitas & epiſcopos interiectus. Itaque meri huiuſmodi Archiepiſcopi cedebant honore metropolitis, epiſcopis ceteris praecedebant.* Confirmat haec Balſamon in Meditatis apud Leunclav. lib.VII. Iur. Graeco-Roman. p.451: *Quippe*, inquit, *a ſanctis Patribus eſt ſancitum, ut eae dioeceſes, quae multas habent urbes ſub epiſcoporum gubernatione conſtitutas, a metropolitanis adminiſtrentur*, παρὰ μητροπολιτῶν διεξάγεσθαι, *quos etiam ipſi canones* πρώτους„ primos„ *appellant. Quae vero ſub ſe non habent urbes aliquas, epiſcoporum regimini ſubditas*„ Archiepiſcopos „ *habeant pontifices; ut inferiores hae quidem ſint metropolibus, at epiſcopatibus ſuperiores.* Hinc in Graecorum diatypoſibus aliae ſunt μητροπόλεις, *metropoles*; alii ἀρχιεπισκοπαὶ, *archiepiſcopatus*. Verum ipſi recentiores Graeci *metropolitani* & *archiepiſcopi* nomine promiſcue utuntur, ad ſignificandos antiſtites epiſcopis carentes, honore tamen ſupra ceteros provinciae epiſcopos pollentes. Nilus Doxopatrius ſcribit, Antiochenam ſedem aevo ſuo habere ſub ſe metropoles tredecim, ἔχει ἐν μητροπόλεις σήμερον δεκατρεῖς; tum recenſitis metropolibus, quae ſub ſe habent epiſcopatus, ſubdit, ἔχει δὲ καὶ μητροπόλεις ἄλλας ἡ Ἀντιοχεία, μὴ ἐχούσας ὑφ' ἑαυτὰς ἐπισκόπους, *habet praeterea & alias metropoles, quae ſub ſe nullos habent epiſcopos*. Idem Nilus in Notitia patriarchatus Hieroſolymitani metropolitanos epiſcopis carentes vocat ἐπισκόπους αὐτοκεφάλους, *epiſcopos ſui iuris*, hoc eſt, metropolitanis non ſubditos, qui αὐτοκέφαλοι ἀρχιεπίσκοποι appellantur in Notitia CPni patriarchatus apud Carolum a s. Paullo p.9. Hinc habes, iuniores Graecos nunc *metropolim*, nunc *archiepiſcopatum* adpellaſſe ſedem, quae alias epiſcopales ſub ſe habent: nunc *archiepiſcopatum* ἁπλῶς, aut cum adiuncto *autocephalum archiepiſcopatum* dixiſſe ſedem archiepiſcopali honore ornatam, ſed ſine ſubiectis epiſcopis.

Digitized by Google

In nova itaque Calabria Reginus epiſcopus metropoliticam adſequutus eſt dignitatem. Sed a quo patriarcha, & quo primum tempore, in tanta monumentorum inopia & caligine certo haud definietur. A vero propius abeſt, Anaſtaſium patriarcham, ipſo furente Leone Iſauro, hoc Regino praeſuli decus contuliſſe. In Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. coacto (1) Conſtantinus Reginus epiſcopus conſedit inter Manuelem Hadrianopolis Thraciae, qui *metropolita*, & Nicetam Gotthiae, qui *archiepiſcopus* erat; ſubſcripſit autem inter metropolitas Smyrnae, & Patrarum, quarum epiſcopus, non ſecus ac Reginus, metropolita creatus fuit, poſtquam a Romana dioeceſi fuerat avulſus: unde coniicere licet, epiſcopum Reginum tunc metropolitanum fuiſſe. In Pſeudo-Synodo etiam Photiana an. DCCCLXXIX. congregata inter metropolitanos conſedit *Leo Regii* (2). In diatypoſi Leoni Sapienti vulgo tributa, ſed quae Leoni Iſauro potius adiudicanda eſt (*), illud occurrit, εἰσι δὲ οἱ ἀποσπασθέντες ἐκ τῆς Ῥωμαϊκῆς διοικήσεως, τῶν δε

(1) Act. I.

(2) Act. I. ſub init.

(*) Duae proſtant Notitiae ſedium CPno throno ſubiectarum; altera Leonis, altera Andronici. Prior inſcribitur: Ἡ γενομένη διατύπωσις παρὰ τοῦ Βασιλέως Λέοντος τοῦ σοφοῦ ὅπως ἔχουσι τάξεως οἱ Θρόνοι τῶν Ἐκκλησιῶν τῶν ὑποκειμένων τῷ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, *Diſpoſitio facta per Imp. Leonem Sapientem, quem ordinem habeant Throni eccleſiarum patriarchae CPno ſubiectarum*. Ea primum prodiit in Io. Leunclavii Iure Graeco-Rom. lib. II. p. 89. deinde ex MS. Vaticano ſed minus integra Graece & Latine edita eſt a Carolo a S. Paullo Appendic. ad Geograph. eccleſ. p. 38. tum caſtigatior ex alio Codice MS. a Iac. Goaro ad calcem Codini de offic. & officialib. CP. p. 329. & ex MS. Bodleiano integrior a Beveregio not. ad canon. Trullan. XXXVI. tom. II. Synodic. M. p. 135. ſeqq., tandemque ex MStis Vaticanis ab Aſſemano de Reb. Neap. & Sicul. cap. IX. p. 482. tom. III. Quiſnam huius διατυπώσεως auctor extiterit, incertum eſt. Confectam ſub Leone Armeno circ. an. DCCCXIIII., Allatius de conſenſ. utriuſq. eccleſ. lib. I. cap. XXIV.; ſub Leone autem Sapiente & Photio patriarcha circ. an. DCCCLXXXVII. factam, tradunt Gretſerus ad Codin. p. 113. Miraeus notit. orb. chriſt. lib. I. cap. X. Leunclavius, ac reliqui prope omnes. Verum primus eiuſmodi diſpoſitionis auctor fuit Leo Iſaurus, & Anaſtaſius patriarcha, quam ſequentes Imperatores aut patriarchae, vel librarii aut ICti, nonnullis mutatis, additis, vel detractis, paſſim interpolarunt. Et ſane diatypoſis Leoniana a Goaro & Aſſemano edita, ſimplicior eſt, nec tot metropolitis & Archiepiſcopis ſcatet, propiuſque ad eccleſiaſticam Graecorum politiam octavi ſaeculi accedit. In ea adnotantur haec: *Avulſi a dioeceſi Romana, nuncque throno CPno ſubiecti metropolitani, & qui ſubſunt eis epiſcopi, hi ſunt. I. Theſſalonicenſis. II. Syracuſarum. III. Corinthi. IV. Regii. V. Nicopoleos. VI. Athenarum. VII. Patrarum . . . . Ab Orientali pariter dioeceſi ſeiunctus eſt metropolita Seleu-*

δε τελουνθεις ὑπο τον θρονον Κωνσταντινουπολεως μητροπολιται, και οἱ ὑπ' αὐτοις ἐπισκοποι. α. ὁ Θεσσαλονικης. β. ὁ Συρακουσης. γ. ὁ Κορινθου. δ. ὁ του Ῥηγιου. ε. ὁ Νικοπολεως. ς. ὁ Αθηνων. ζ. ὁ Πατρων. *Sunt autem avulſi a Romana dioeceſi, nunc vero throno CPno ſubiecti metropolitani, & qui ſubſunt eis epiſcopi. I. Theſſalonicenſis. II. Sy-*

Seleucae, Iſauriae, ipſeque cum ſubiectis ſibi viginti quatuor epiſcopis ſub CPno agit. Iam Leo Iſaurus a Romana ad CPnam ſedem eccleſias Illyricianas, Calabras, & Siculas traduxit. Et ergo potius, quam Leoni Armeno, aut Sapienti adiudicanda eſt diatypoſis, in qua poſt enumeratos metropolitas & archiepiſcopos CPno throno ſubiectos, etiam avulſi a Romana ſede, & CPnae ſuppoſiti recenſentur. Idem Iſaurus patriam regionem ſuam ab Antiochena dioeceſi abſtraxit, & Anaſtaſio patriarchae CPno ſubiecit; nam ei in ſacras imagines infrementi non Romanos modo antiſtites, ſed & Germanum CPnum, Coſmam Alexandrinum, Theodorum Antiochenum, & Theodorum Hieroſolymitanum obſtitiſſe, ex Theophane & Hadriano P. liquet. Vid. Baron. ad A. C. DCCXXX. n. 3. Sed & a Leone Iſauro potius, quam Armeno, aut Sapiente diſpoſitionem illam editam, ſuadet enumeratio ſedium epiſcopalium a Romana divulſarum ſub metropolita Syracuſano & Regienſi. Sub illo enim viginti duo epiſcopatus Siciliae & adiacentium Aeoliarum aliarumque inſularum; ſub hoc autem ſeptem tantum recenſentur. Nimirum ſub Iſauro univerſa Sicilia CPno Imperio ſuberat; non autem Calabria, cuius pars a Longobardis poſſidebatur. Porro in hac Notitia nec Catana in Sicilia, nec Hydruntum in veteri Calabria inter *archiepiſcopatus*; nec ſancta Severina in nova Calabria inter *metropoles* refertur: quod etiam eamdem Leone Sapiente multo antiquiorem eſſe confirmat. Nec vero condi ea diſpoſitio potuit ſub *Leone Sapiente & Photio patriarcha an. 6391.*, qui eſt Chriſti DCCCLXXXIII., ut habet ἐκθεσις Goariana: tum quia hoc anno Baſilius Macedo imperabat, adeoque illius nomine ſignari potiſſimum oportebat, ut ut Leonem filium in Imperii conſortium adſciverit; tum quod Leo inde uſque ab an. DCCCLXXIX. Theodori Santabareni fraude in inſidiarum ſuſpicionem adductus, a patre purpura exutus, in vincula coniectus gemebat; nec in patris gratiam, Imperiique conſortium rediit, niſi paullo ante Baſilii mortem, quae ineunte anno DCCCLXXXVI. accidit. Ut autem Leo ad Imperium evectus eſt, Photium Santabareno ſtudioſiſſimum CPna ſede eiecit, inque Armeniacorum monaſterium Bordi detruſit, teſte Leone Grammatico apud Pagium Critic. Baron. ad an. DCCCLXXXVI. n. 4. Ex diſpoſitione autem a Beveregio vulgata patet, eam Leone Sapiente & Photio longe vetuſtiorem eſſe; nam in ea nulla Leonis aut Photii mentio iniicitur, & porro in provincia Armeniae, ad epiſcopatum Iαλιμβανων adnotatur: *χωριον ὁθεν ὁρμαται, ὁ την παρουσαν φιλοπονησας βιβλον Βασιλειος. Regio ex qua ortus Baſilius, qui praeſentem librum elaboravit.* Tandem in provincia Cypri ad epiſcopatum Lapithum haec adnotantur: *Λαπιθος ἐν ᾗ ἐγεννηθη Γεωργιος ὁ Κυπριος ὁ γραψας την βιβλον ἐξ ἧς ταυτα μετειληφθησαν, Lapithus, qua natus eſt Georgius Cyprius, qui librum ſcripſit, ex quo haec ſumta ſunt.* Hinc habes, Baſilium quemdam Armenum (diverſus hic a tribus Baſiliis, ad quos extant Photii epiſtolae), *praeſentem librum elaboraſſe*, hoc eſt librum hunc epiſcopatuum compoſuiſſe; quemdam vero Georgium Cyprium codicem illum ſcripſiſſe, ex quo haec notitia deſumta eſt. Ex vetuſtiori ergo codice, a Georgio Cyprio aut compoſito, aut ſcripto, Baſilius Armenus notitiam hanc confecit; quam praeterea per-

Digitized by Google

Syracuſanus. III. Corinthiacus. IV. Reginus. V. Nicopolitanus. VI. Athenienſis. VII. Patrarum. Tum ſeptem in Calabria ſedes ſub Regina recenſentur: Ἐπαρχία Καλαβρίας. Ῥήγιον. Λοῦκροι. Σκυλάκιον. Κρότωνον. Κωνσταντία. Τρόπαιον. Ταυριανά. Βιβῶνοι. *Provincia Calabria. Regium. Locri. Scylaceum. Croto. Conſtantia. Tropaea. Tauriana. Vibo.* In diſpoſitione vero a Goaro edita undecim epiſcopatus Regino ſubiecti afferuntur; nam in Throno XXXI. legitur: Τῷ Καλαβρίας ἤτοι τοῦ Ῥηγίου. α. ὁ Βιβῶνος. β. ὁ Ταυριανῶν. γ'. ὁ Λοκρίδος. δ'. ὁ Ρουσιάνου. ε'. ὁ Σκυλακίου. ς'. ὁ Τροπαίου. ζ. ὁ Ἀμαντείας. η. ὁ Κρότωνος. θ'. ὁ Κωνσταντίας. ι. ὁ Νικοτέρων. ια ὁ Κασάνου. *Calabriae, ſeu Regii. I. Bibonae. II. Taurianorum. III. Locridis. IV. Ruſiani. V. Scyllacii. VI. Tropaei. VII. Amanteae. VIII. Crotonae. IX. Conſtantiae. X. Nicoterorum. XI. Caſſani.* Tandem in diatypoſi, a Leunclavio & Aſſemano vulgata, tredecim Regino epiſcopi ſubditi recenſentur: Λβ. τοῦ Ῥηγίου, ἤτοι τοῦ Καλαβρίας. α'. ὁ Βιβῶνος. β'. ὁ Ταυριανῶν. γ'. ὁ Λοκρίδος. δ'. ὁ Ρουσιάνου. ε'. ὁ Σκυλακίου. ς'. ὁ Τροπαίου. ζ'. ὁ Ἀμαντείας. η'. ὁ Κρότωνος. Θ. ὁ Κωνσταντίας, ι'. ὁ Νικοτέρων. ια. ὁ Βισουνιανοῦ. ιβ. ὁ Νεοκάστρου. ιγ. ὁ Κασάνου. XXXII. *Regienſi, ſive Calabriae ſubduntur epiſcopi I. Vibonis. II. Taurianae. III. Locrorum. IV. Ruſiani. V. Scylacei. VI. Tropaeae. VII. Amanteae. VIII. Crotonis. IX. Conſtantiae. X. Nicoterenſium. XI. Biſuniani. XII. Neocaſtri. XIII. Caſani.* Nimirum, in vetuſtiſſimo illo diatypoſeos exemplari ſeptem exhibentur eccleſiae

l 2

perveruſtam eſſe, antiqua locorum nomina & diviſiones manifeſte produnt. Illud a vero propius abeſt, Graecos diſpoſitionem ſedium CPno throno ſubiectarum a Leone Iſauro inchoatam, quod primo illius auctori ob nominis infamiam tribuere verebantur, Leoni alteri, pſeudo-cognomine in epigraphe adpoſito, paſſim adſcribere maluiſſe. Ceterum ex collatis invicem diverſis Leonianae diatypoſeos exemplaribus ſtatim perſpicitur, eam ab inſequutis Imperatoribus paſſim auctam & immutatam, tandemque totam ab Andronico Palaeologo inverſam fuiſſe: quo factum, ut nullum primae illius diatypoſeos genuinum exemplar ad nos pervenerit. Altera vero Notitia confecta eſt ab Andronico Palaeologo Seniore, anno mundi 6809. qui eſt Chriſti MCCXCII. Ea inſcribitur: Ἔκθεσις Βασιλέως Κυροῦ Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου τοῦ γέροντος, ὅπως τὴν ἔχουσι τάξιν αἱ ὑποκείμεναι μητροπόλεις τῷ πατριαρχικῷ θρόνῳ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, *Expoſitio Imp. Domini Andronici Palaeologi Senioris, quem locum nunc teneant metropoles, quae CPno throno ſubiectae ſunt.* Hanc Latine tantum edidit Gentianus Hervetus inter opera Th. Balſamon. p. 1095. ſed mutilam & mancam. Deinde Graece & Latine ex accuratis Codicibus Franciſcus Iunius, Iac. Gretſerus, & Iac. Gaorus ad calcem Codini Curopalatae de Officiis, inter Notitias Graecorum epiſcopatuum: tandemque ex codicibus Vaticanis Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul. cap. IX. p. 516. tom. III.

ſiae Regino metropolitano ſubditae, quod ſub Leone Iſauro non univerſa Calabria Graeco imperio parebat, ſed pars a Longobardis poſſidebatur. In reliquis vero exemplaribus nunc undecim, nunc tredecim recenſentur, quod procedente tempore plures Regino epiſcopatus ſubiecti ſunt; nam ſaeculo IX. & X. Graecorum res in Calabria, imminuta Longobardorum dominatione, maxime floruerunt (*). Porro rebus Graiorum in Regno penitus exciſis Northmannorum virtute, redditaque Romanae eccleſiae iam inde a ſaeculo undecimo Calabria; Graeci, ne hanc amiſiſſe viderentur, Reginum antiſtitem inter metropolitanos CPno throno ſubiectos recenſere nihilominus perrexerunt. Ita in Ectheſi Andronici Palaeologi Senioris anno MCCXCII. edita, num. XXXVIII. inter metropoles exhibetur Regium in Calabria, quae a ſede XXXI. ad XXXVIII. devecta dicitur: Λη. ὁ Καλαβρίας, καὶ αὐτη Θρονος οὖσα λα. Εἰς λη. ὑπεβιβάσθη. *Trigeſima octava metropolis Calabriae. Et ipſa thronus exiſtens* XXXI., *ad* XXXVIII. *deſcendit*. Quin Re-

(*) Haec de Regino metropolita habet Marca noſter: *Urbem autem Regium, quae in Brutia ſita eſt, metropoleos dignitate ornatam fuiſſe, diſcimus ex Notitia veteris eccleſiae CPnae* (Diatypoſim Leonis Philoſophi intelligit) *quae inter metropoles avulſas a Romana dioeceſi Syracuſas recenſet atque Regium ex Italiae provinciis. Non eſt tamen diſſimulandum, in eadem diatypoſi ſeu laterculo provinciarum metropolitam Regii collocatum eſſe in ordine trigeſimo ſecundo metropolitarum, qui a ſede CPolitana pendent, inſcriptumque Calabriae metropolitam; quum tamen, ut dixi, Regii civitas ſita ſit in provincia Brutiae. Unde nolim aliquis colligat, mendum irrepſiſſe in textum, ſed innovationem factam fuiſſe in provinciarum Italiae inferioris appellatione & tributione . . . . Sed quadraginta ſex poſthaec annis* (hoc eſt anno DCCXXVI.) *pars illa Italiae, quae ab Imperatoribus CPolitanis retenta eſt, Calabriae nomen eſt indepta*. Et poſt alia ſubdit: *Hinc factum, ut in diatypoſi Graeca Regium dicatur metropolis Calabriae, quamvis pertineat ad provinciam Brutiae, non autem ad Calabriam ſpecialiter dictam. Duodecim autem epiſcopatus huic metropoli adſcripti in illa diatypoſi partim ſiti ſunt in Brutia, ut Conſentiae, Crotonae, Scyllacii ... partim ſiti ſunt in Calabria, ut Locrenſis, Vibonenſis, Taurianus & Tropeianus*. Quidquid ſit de tempore, quo Calabriae nomen ad Brutios translatum eſt (qua de re peculari παρέργῳ huic diatribae adnexo ediſſeram), certum eſt, in diatypoſi Leoni Sapienti tributa non duodecim, ut Marca ſcribit, ſed aut ſeptem, ut in vulgata a Beveregio, aut undecim, ut in edita a Goaro, aut tredecim, ut in ea quam Leunclavius in lucem extulit, epiſcopos Regino metropolitae ſubditos recenſeri. Omnes autem ii epiſcopatus in Brutiis ſeu nova Calabria ſiti ſunt: proinde diligentiſſimus Marca dormitat, dum in veteri Calabria Locrenſem, Vibonenſem, Taurianum, & Tropeianum epiſcopatus collocat.

Digitized by Google

Reginus praeſul inter *Hypertimos* , hoc eſt metropolitas honoratiores, refertur in catalogo inſcripto , Περι της ταξεως των Θρονων μητροπολιτων. Τινες αὐτων λεγονται Ἐξαρχοι , και ὑπερτιμοι , τινες ὑπερτιμοι μονον , *De ordine thronorum metropolitanorum , quinam ex illis dicantur Exarchi & Hypertimi , & quinam Hypertimi tantum* (3). Sic enim legitur n. XXVIII. Κη. ὁ Ῥηγιυ, ος και Καλαβριας λεγεται, ἐξαρχιαν ὀυκ ἐχει. XXVIII. *Reginus qui & Calabriae appellatur, exarchiam non habet*. Et Nilus Doxopatrius, qui anno MCXLIII. ſcripſit (*): Ἀλλα, inquit, και ἡ Σικελια μετα ταυτα, και ἡ Καλαβρια γεγονεν ὑπο τον Κωνσταντινυπολεως, και ἡ ἁγια Σιβερινη, ἡ και Νικοπολις καλυμενη ... Ἡ δε Καλαβρια παλιν ἑνα μητροπολιτην τ Ῥηγιυ ειχε δε τας ἀλλας ἐκκλησιας ἐπισκοπας ὑφ᾽ ἑαυτην ἠγυν τ Ταυριανην, ὁπυ ὁ ἁγιος Φαντινος το Μοναστηριον , τ Βιβωνην, ἀνθ᾽ ης νυν το Μιλιτον , τ Κωνσταντιαν , τ και Κωσεντιαν νυν λεγομενην , και τας λοιπας πασας τας ὑπο τ Καλαβριαν . . . . *Sicilia praeterea , & Calabria ſe CPolitano ſuppoſuerunt , & ſancta Severina , quae & Nicopolis dicitur . . . . Calabria quoque unum metropolitam Reginum , reliquas vero eccleſias epiſcopatus ſibi vindicabat ; Taurianam, in qua ſancti Fantini monaſterium eſt : Bibonem cuius locum occupavit Miletum ; Conſtantiam , quae Coſentia nunc dicitur , & reliquas omnes , Calabriae ſubiectas* . Et n. XXXI. inter provincias & metropoles CPnae ſedi ſubditas Reginam refert : Λα. Το Ῥηγιον της Καλαβριας, ἐχυσα ἐπισκοπας ιγ΄. XXXI. *Regium Calabriae habens epiſcopatus* XIII. Nec illud hic praetereundum , Gregorium VII. (4) quam in Calabras eccleſias Reginus metropolita a Graeco pontifice acceperat iuriſdictionem agnoviſſe, eamque ſervatam voluiſſe; ubi enim Calabriae ſedes recuperavit, Militenſem epiſcopum (recens Militenſis epi-

(*) Nilus Doxopatrius , Graecus Archimandrita, in Calabria aut Sicilia natus, dum Panormi moraretur , rogatu Rogerii I. Siciliae Regis an. 6651. Indict. VI. qui eſt Chriſti MCXLIII. conſcripſit Συγγραμμα περι των πεντε πατριαρχικων Θρονων , και των ὑπο αὐτυς Ἀρχιεπισκοπων , και Μητροπολεων , και των ὑπο τ. μητροπολεις Ἐπισκοπων , και των ἐνοριων ἑκαστυ πατριαρχικυ Θρονυ, *de quinque Patriarchalibus Thronis , & illis ſubiectis Archiepiſcopatibus , & Metropolitatibus , & qui his ſubduntur epiſcopi , & Dioeceſibus uniuſcuiuſque ſedis patriarchalis* . Integrum libellum e Codice Bibliothecae Leidenſis Graece & Latine vulgavit Stephanus le Moyne Var. Sacr. tom. I. p. 211. Schiſmaticus hic monachus & ignavus & mendax fuit. Eius ἀσυνεσιας & mendacia refellit Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul. cap. X. tom. III. & cap. IV. tom. IV. Sed aurum ex immunditie ſeligendum .

(3) Apud Goarum & Aſſeman. cit. loc.

(4) Lib. IX. ep. XXIV.

epiſcopatus ex reliquiis Taurianae ac Vibonis a Rogerio Comite fundatus fuit (5)) conſecrare detrectavit, *niſi diligenter examinata iuſtitia, Militenſem eccleſiam ad Regitanae parochiae conſecrationem non attinere conſtiterit*.

Novus deinde metropolitanus s. Severinae in eadem nova Calabria emerſit. Sed cuius patriarchae opera, & quo tempore, aeque obſcurum eſt. Non abs re hariolari poſſumus, ante ſaeculum decimum fuiſſe inſtitutum. Sane potius ſaeculo nono, quam decimo, quibus Graecorum in Calabria res, imminuta Longobardorum dominatione, floruerunt, novus s. Severinae epiſcopatus a Graecis inſtitutus, & ad metropolim eccleſiaſticam evectus eſt. In diatypoſi a Beveregio edita nulla metropoleos ſanctae Severinae mentio habetur, quod ſcilicet ea Leone Sapiente valde antiquior eſt; cum contra poſt Leonem Iſaurum Severianus metropolita emerſerit. In ea vero, quam Leunclavius & Aſſemanus evulgarunt, n. XLIX. collocatur metropolis s. Severinae in Calabria: ΜΘ τῆς ἁγίας Σιβηριανῆς Καλαβρίας. α'. ὁ Εὐριάτων. β'. ὁ Ἀκεραντίας. γ'. ὁ Καλλιπόλεως. δ'. ὁ τῶν Αἰσύλων. ε'. ὁ τοῦ Παλαιοκάστρου. XLIX. *throno s. Severianae Calabriae ſubduntur I. Euriatenſis. II. Acerantinus. III. Callipolitanus. IV. Aiſylorum. V. Veteris caſtri* (6). In conſtitutione Siſinnii patriarchae CP. *ne duo fratres accipiant duas conſobrinas* edita an. DCCCCXCVII. memoratur Baſilius s. Severinae metropolita. Ceterum Graeci more ſuo, ne eccleſiis throno Byzantino ſemel ſubiectis excidiſſe viderentur, metropolitanum s. Severinae inter praeſules Graeco pontifici ſubiectos enumerare non dubitarunt, etiam deleta in eccleſias Calabras illius poteſtate, redditoque Romano pontifici Northmannorum ope veteri in Calabriam iure. Hinc nil mirum, ſi in diſpoſitione Andronici Palaeologi ſaeculo XIII. deſinente confecta num. LXI. inter metropoles a Romana ad CPolitanam ſedem abductas recenſeatur *s. Severiana*, hoc eſt s. Severina poſt locum XLVIII. ad LXI. translata: ξα'. ἡ Ἁγία Σιβεριανὴ μη-ὑπὸ, ξα'. γέγονεν LXI. *Sancta Severiana poſt locum* XLVIII. *ad* LXI. *devecta eſt*. Et Nilus Doxopatrius, qui circa medium ſae-

(5) Vide de hac re opus noſtrum *de epiſcopatibus Regni Neapolitani & Siculi cum veteribus tum novis part.* IV. *cap.* III.

(6) De his epiſcopatibus conſule opus noſtrum ſuperius laudatum part. III. cap. I.

Digitized by Google

ſaeculum XII. ſcripſit, memoriae prodidit, *Calabriam ſe CPno ſuppoſuiſſe, & s. Severinam, quae & Nicopolis dicitur*. Tum ſubdit: Ἦν δὲ καὶ ἡ ἁγία Σεβηρίνη μητρόπολις ἔχουσα καὶ αὐτὴ διαφόρους ἐπισκοπάς, ὡς τὴν Καλλίπολιν, τὰ Ἄσυλα, τὴν Ἀχεροντίαν, καὶ τὰς λοιπάς, καὶ εἰσὶν ἀναγεγραμμέναι, καὶ αὗται αἱ ἐκκλησίαι ἐν τοῖς Τακτικοῖς τῶν Νομοκανόνων ἐν τοῖς θρόνοις Κωνσταντινουπόλεως. *Erat & s. Severina metropolis, habens & ipſa ſub ſe varios epiſcopatus, Callipolim, Aſyla, Acherontiam, & reliquas: & ſunt hae eccleſiae deſcriptae in Tacticis Nomocanonis ſub throno CPolitano*. Et n. L. inter ſedes throno Byzantino ſubditas recenſet s. Severinam: Ἡ ἁγία Σεβηρίνη τῆς Καλαβρίας, ἔχουσα ἐπισκοπὰς ε. *Sancta Severina Calabriae, habens epiſcopatus* v. (*)

Tandem Hydruntum in veteri Calabria, a Romana ſede ſub Iſauro diſtracta (**), primum Archiepiſcopatus honorem

(*) Audiamus cl. Marcam de hac re loquentem: *In Calabria antiqua, & in Apulia*, inquit, *duae metropoles excitatae videntur a Graecis poſt tempora Leonis Iſauri, Hydruntina ſcilicet & s. Severinae. Earum meminit diatypoſis Leonis Philoſophi, quae nupero Graecorum invento nullum epiſcopatum Hydruntinae; ſubiicit; s. Severinae vero metropoli, quae Calabria quoque dicitur, quatuor epiſcopatus ſubmittit, quorum unus eſt Acherontinus in Apulia*. Recte Noſter coniicit, poſt Leonis Iſauri tempora duos a Graecis inſtitutos metropolitas, *Hydruntinum* & *Severianum*. Porro Hydruntum in veteri, ſancta Severina in nova Calabria eſt, non in Apulia; huic autem in diatypoſi Leoni Philoſopho tributa quinque, non quatuor ſubiiciuntur epiſcopatus. Continuo Marca ſubdit: *Ea tempeſtate ceteri epiſcopatus, ut Barenſis, Brunduſinus, aliique in Apulia diſtracti erant ab Imperio CPolitano per Ludovicum II. Imp., Lotharii filium*. Nimirum cauſſam, cur in diatypoſi Leonis nulla Barii, Brunduſii, aliorumque Apulorum epiſcoporum mentio ſit facta, hanc affert, quod ab Imperio CPno fuerant a Ludovico Imp. avulſi. At ſibi perſuadet magnus vir, Apuliae epiſcopos Graecorum vi ad thronum CPnum traductos: quod a veritate alienum eſſe, oſtendetur cap. IV. Profecto in diatypoſi Leonis aliiſque Notitiis Graecorum non alii commemorantur antiſtites a Romana ad CPnam ſedem abducti, quam Hydruntinus in veteri, Reginus & Severianus cum ſuffraganeis ſuis in nova Calabria, quod ceteri omnes Regni Neapolitani praeſules ſub iuriſdictione Romani metropolitae ſui erant, ab eoque numquam defecerunt: quod cit. cap. IV. ſuſe demonſtrabitur. Iam vero ſi Apuliam ab Orientali Imperio abſtraxit Ludovicus Imp., ideoque Apuli epiſcopi ad Romanae ſedis ſubiectionem rediere; profecto, recuperata a Baſilio Macedone Apulia an. DCCCLXXX. epiſcopi Apuli ad obedientiam CPni patriarchae rediiſſent, proinde eorum fieri mentio debuiſſet in diatypoſi Leonis Sapientis, Baſilii Imp. filii, editae, ut vulgo creditur, an. DCCCLXXXVII.

(**) Lucentius ad Ughell. in Hydruntin. epiſcop. & Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul. cap. x. p. 553. tom. III. ſcribunt, Hydruntinam ſedem a Romana avulſam ſub Nicephoro Phoca Imp. & Polyeucto patriarcha circ. an. DCCCCLXVIII. ob locum Luitprandi ſupra deſcriptum. Verum Hydruntum ab aevo Leonis Iſau-

rem a Graecis eſt nacta. Hinc in diatypoſi Leonis, quam Goarus edidit, Hydruntum inter metropoles honorarias recenſetur in throno LV. τω Ὑδρουντος, ὁμοιως, *Hydruntino*, *ſimiliter*, hoc eſt θρονος ὑποκειμενος οὐκ ἐστιν, *qui ſubſit nullus eſt thronus*, ut paullo ante de Euchaitarum, & Amaſtridenſi ſedibus dixerat. Ita etiam Hydruntina ſedes inter archiepiſcopales recenſetur in aliis laterculis patriarchatus CPolitani, ante Polyeucti tempora confectis. In Pſeudo-Synodo Photiana an. DCCCLXXIX. celebrata inter metropolitas conſedit *Marcus Hydruntis*: unde habes, Hydruntinam ſedem iam inde a ſaeculo nono a ceteris diſtinctam fuiſſe. Poſtea ſaeculo decimo, quum Graecorum in

ſauri Graecis ſuberat. Paullus Diaconus lib. VI. cap. I. refert, Romualdum Beneventanum Ducem Graecis abſtuliſſe Tarentum & Brundusium: unde colligitur, Hydruntum & Callipolim in veteri Calabria Graecis remanſiſſe. Conſtantinus Porphyrogeneta de adminiſtr. Imp. cap. XXVII. Hydruntum & Callipolim ſub Graecorum poteſtate ſuperfuiſſe tradit. Ecquis umquam ſibi perſuaſerit, Iſaurum in Romanam ſedem furentem, eccleſias omnes in provinciis ſibi ſubiectis a Romana ad CPnam ſedem avertiſſe, inque ipſa Campaniae fauce Neapolitanum antiſtitem ad ſe trahere molitum; ſolam vero Hydruntinam Romano pontifici vectigalem reliquiſſe? An vero Marcus Melodus Hydruntinus praeſul, Canonum & acoluthiarum, quae etiamnum a Graecis recitantur, auctor, Romanae metropoleos fuit? Vel uno hoc nomine eum ſuaque omnia Graeci exploſiſſent. Vere Nilus Doxopatrius de V. thron. ſcripſit Marcum hunc a CPno patriarcha ordinatum: Α'υτικα γαρ ὁ Μελωδος και Ποιητης Κυριος Μαρκος ἐυρισκεται ἐν Ὑδρουντο πολεως μητροπολιτης παρα του Κωνσταντινουπολεως. *Namque Melodus ac Poeta Dominus Marcus Hydruntum a CPno miſſus fuiſſe comperitur*. Claruit Marcus iſte non circa anno DCCL. uti Caveo Hiſt. litterar. p. 344. tom. I. nec an. DCCLXXVIII. uti Franciſco de Aſte in Memorab. eccleſ. Hydrunt. viſum; ſed ſub noni ſaeculi exitum: nam Nicephorus Calixtus apud Allat. de libr. eccleſ. Graecor. p. 75. refert, eum ſuſcepiſſe magni Sabbati canonem *ex ſapientiſſimi Imperatoris Leonis mandato* ſupplere. Tandem Hydruntina eccleſia inter *archiepiſcopales* refertur in diatypoſibus ſedium Byzantino throno ſubditarum, quae ante Nicephorum & Polyeuctum conditae ſunt. Idem Aſſemanus cit. loc. p. 554. ſubdit, Hydruntinum praeſulem non diu ſub CPno duraſſe. Verum Hydruntina eccleſia ſub ipſo Iſauro in CPnam ſedem cum ceteris tranſcripta fuit; adeoque ſemel abducta ſub Graecis remanſit ad Northmannos uſque. Hinc *Nicetas metropolita Hydruntinus*, & *Nicolaus Hydruntinus* an. MXXVIII. interfuerunt. Synodicae conſtitutioni Alexii Studitae patriarchae CP. Mox Hydruntinum antiſtitem Romano anno MXXIT. paruiſſe, colligit ex apparitione s. Benedicti Petro Hydruntinae *civitatis epiſcopo*, ad fugam Landulfi Abbatis Caſſinenſis CPolim impediendam, quam enarrat Leo Oſtienſis lib. II. cap. XXXIX. At nihil hinc extundi poteſt, quod faciat ad rem,

in Apulia res felices eſſent, inſtante Nicephoro Phoca Imp., Polyeuctus patriarcha CPnus circa an. DCCCCLXVIII. metropoliticam dignitatem Petro III. Hydruntino epiſcopo obtulit, quam olim Hydruntinae ſedi, honoris tantum cauſſa, non reipſa Graeci contulerant, ut Graecum ritum, Latino depoſito, adoptaret. Rem ſic enarrat Luitprandus Cremonenſis epiſcopus, qui ab Othone I. legatus CPlim miſſus fuit ad Nicephorum Phocam (7): *Nicephorus cum omnibus eccleſiis homo ſit impius, livore quo in nos abundat, CPolitano patriarchae praecepit*, UT HYDRUNTINAM ECCLESIAM IN ARCHIEPISCOPATUS HONORE DILATET; *nec permittat in omni Apulia ſeu Calabria Latine amplius, ſed Graece divina myſteria celebrari ..... Scripſit itaque Polyeuctus CPnus patriarcha privilegium Hydruntino epiſcopo, quatenus ſua auctoritate habeat licentiam epiſcopos conſecrandi in Acirentila*, (Acherentia), *Turcico*, *Gravina*, *Maceria*, (Matera), *Tricarico*, *qui ad conſecrationem Domini Apoſtolici pertinere videntur.* Verba *ut in Archiepiſcopatus honore dilatet* oſtendunt, Hydruntinam ſedem multo ante *archiepiſcopatus* honorem habuiſſe, quod & Graecorum latercula confirmant; mox vero ad metropolitica iura dilatari. Niceta metropolita Hydruntinus anno MXXVIII. interfuit Synodicae conſtitutioni Alexii Studitae patriarchae *de diverſis cauſſis ad univerſas metropoles & archiepiſcopatus pertinentibus* (8). Eodem deſinente anno Nicolaus Hydruntinus adfuit alteri conſtitutioni eiuſdem Alexii *de iis qui per donationem monaſteria conſequuntur* (9). Hinc hariolari poſſumus, defuncto CPoli Niceta, ibi electum conſecratumque fuiſſe Nicolaum. Ceterum Graeci Hydruntinam ſedem non amplius iuris ſui, utpote Romano pontifici ſub Northmannis reſtitutam, inter throno Byzantino obnoxias recenſere de more perrexerunt. Hinc in diſpoſitione Andronici Palaeologi n. LXVI. inter metropoles affertur Hydrus, quae ex ſede LIV. ad LXVI. deſcendit: ξϛ. ὁ Ὕδρους νδ. ὢν, εἰς ξϛ. κατηχθη. LXVI. *Hydrus ex* LIV. *ad* LXVI. *devenit* (*).

(7) In Legation. ad Nicephor. Phocam, quam edidit. Baron. ad an. DCCCCLXVIII. n. 84. & exactius Muratorius Script. rer. Italic. part. I. tom. II.

(8) Apud Leunclav. Iur. Graeco-Roman. tom. I. p. 256.

(9) Apud Leunclav. cit. loc. p. 259.

(*) Praeter recenſitas ſedes, nullae aliae in Regno Neapolitano metropoliticam

Non in Calabria modo, ſed & Sicilia CPolitanus patriarcha metropolitanos & archiepiſcopos inſtituit, ut inſulae illius epiſcopos ſibi arctius adligaret. Primum Syracuſanus antiſtes *metropolita*; tum Catanenſis *archiepiſcopus* eſt factus. A quo autem patriarcha, & quo primum tempore Syracuſano praeſuli metropolitica dignitas collata ſit, in tanta monumentorum inopia & caligine certo ſtatui nequit. Forte ab Anaſtaſio patriarcha, ipſo regnante Iſauro, eam obtinuit dignitatem. Marcianus II. Syracuſanus epiſcopus, qui Theodoſio III. ſucceſſit, *non Romae con-*

cam aut archiepiſcopalem dignitatem a Graeco patriarcha adeptae ſunt. In diatypoſi Leonis num. XIV., aliiſque Notitiis inter archiepiſcopatus CPno throno ſubiectos ἡ Νεάπολις, *Neapolis* recenſetur. At ex ipſis diſpoſitionibus evincitur, ibi non de Neapoli *Campaniae*, ſed de Neapoli *Piſidiae* ſermonem inſtitui. Vide infra cap. IV. in not. Porro inter Archiepiſcopatus eidem CPno antiſtiti ſubditos a Nilo Doxopatrio *de quinque thron. patriarchalib. ad Roger. Reg.* num. XXVI. ἡ Κότρων, *Cotro* refertur. At haec neque ſub Graecis, nec deinde ſub Northmannis archiepiſcopale decus obtinuit. In diatypoſi Leonis num. XXXII. inter epiſcopos Regino metropolitae obnoxios octavo loco recenſetur ὁ Κρότωνος, *Crotonenſis*. In Synodis Crotonenſis numquam metropolitanus aut archiepiſcopus, ſed merus ſemper epiſcopus eſt habitus. Ita in Concilio Lateranenſi ſub Martino P. an. DCXLIX. legitur Θεοδοσίου ἐπισκόπου Κροτώνων, *Theodoſio Crotonenſium epiſcopo*. In Concilio Romano ſub Agathone P. an. DCLXX. Πέτρος ἐλάχιστος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐν Κρότωνι ἐπαρχίας Βρουτίων, *Petrus humilis epiſcopus ſanctae Crotonenſis eccleſiae provinciae Brutiorum*. In Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. Act. I. Θεοτίμου (al. Θεοδώρου) ἐπισκόπου Κρότωνος, *Theotimo* (al. Theodoro) *epiſcopo Crotonenſi*. In Concilio CPno IV. an. DCCCLXX. Act. I. *Nicephoro Dei amantiſſimo epiſcopo Crotonae*. Sub Northmannis praeter *Regium* & *ſanctam Severinam*, nulla alia in nova Calabria metropolitica aut archiepiſcopalis ſedes extitit. Dum vero Nilus Crotonenſem ſedem inter archiepiſcopales refert, ſecum ipſe conflictatur; is enim duos tantum metropolitas ponit in nova Calabria, archiepiſcopum nullum: *Calabria quoque*, inquit, *unum metropolitam Reginum, reliquas vero eccleſias epiſcopatus ſibi vindicabat ... Erat & ſancta Severina metropolis habens. & ipſa ſub ſe varios epiſcopatus ... & ſunt hae eccleſiae deſcriptae in Tacticis Nomocanonis ſub throno CPno*, hoc eſt in diſpoſitione Leonis, aut Andronici. Idem Nilus metropolitas enumerans, num. XXXI. *Regium Calabriae tredecim epiſcopatus* ſub ſe habere ait. Quinam hi epiſcopatus Regino metropolitae ſubiecti? Non alii, quam tredecim illi, qui in Leonis diſpoſitione (inter quos octavo loco *Crotonenſis* ponitur) aliiſque Notitiis, quas Nilus prae oculis habuit, recenſentur. Ergo Graeculus ἀσύστατα docet, dum eamdem Crotonenſem ſedem, nunc *epiſcopalem*, nunc *archiepiſcopalem* facit. Ei fraudi fuit octavae Synodi Actio X., ubi ſubſcribit *Nicephorus metropolita Cotronae*. Sed ibi pro *metropolita* legi *epiſcopum* iubent adcurati conciliorum editores: nam metropolitani & Archiepiſcopi ſupra ſubſcripſerant; tum ſequuti ſunt meri epiſcopi, inter quos Crotonenſis. Videſis ſubſcriptiones laudatae Act. X. apud Labb. Conc. tom. X. p. 631.

Digitized by Google

conſecratus, *ſed a tribus epiſcopis Syracuſis*, dicitur in veteri catalogo epiſcoporum Syracuſanorum (10). Hic autem Marcianus epiſcopatum iniit poſt annum DCCXXXII., quo Leo Iſaurus Siculas eccleſias a Romana avulſit. Marciano in Syracuſana cathedra ſucceſſit Theodoſius IV., atque huic Stephanus II., qui nunc *epiſcopus*, nunc *Archiepiſcopus Siciliae* dicitur in Actis Concilii Nicaeni II. an. DCCLXXXVII. celebrati. Act. I. legitur: Γαλατωνος πρεσβυτερε, και τον τοπον ἐπεχοντος Στεφανε ἐπισκοπε Συρακυσιων, *Galatone presbytero*, *& locum retinente Stephani epiſcopi Syracuſani*. Act. IV. ſubſcribit: Γαλατων ἐλαχιστος πρεσβυτερος, και προσωπε Ἀρχιεπισκοπε Σικελιας, *Galaton exiguus presbyter*, *& ex perſona Archiepiſcopi Siciliae*. Et rurſus Act. VII. Γαλατων ἀναξιος πρεσβυτερος, και ἐκ προσωπε ἐπισκοπε Συρακυσης, *Galaton indignus presbyter*, *& vicarius Stephani epiſcopi Syracuſae* (*). Gregorius Asbeſta Syracuſanus, qui

m 2 Pho-

(10) Apud Pirrum Not. eccleſ. Syracuſ. in Marciano II. p. 609.

(*) Pirrus Notit. Syracuſ. eccleſ. n. XLVII. & Piccolus de antiq. iur. eccleſ. Sicul. part. II. cap. VIII. contendunt, Galatonem in Concilio Nicaeno II. non *Syracuſani*, ſed *Regienſis* epiſcopi vicem obiiſſe; tum quia Act. I. edit. Binii legitur, *Galatone Archipreſbytero locum tenente Regii*. *Stephano epiſcopo Syracuſano*; tum quod Act. II. ſcriptum eſt, Γαλατως πρεσβυτερος, και ἐκ προσωπε τε ὁσιωτατε τε Ῥηγιε, *Galatus presbyter*, *& ex perſona ſanctiſſimi epiſcopi Regii*. At enim Galaton in ea Synodo vices Syracuſani antiſtitis geſſit; nam ſemel Act. I. ſubſcripſit, occupans τοπον Στεφανε Ἐπισκοπε Συρακυσιων, ut eſt apud Harduin. Conc. tom. IV. p. 30.; iterum Act. IV. ἐκ προσωπε Ἀρχιεπισκοπε Σικελιας; ac tertio Act. VII. ἐκ προσωπε Στεφανε Ἐπισκοπε Συρακυσης. Duo vero illa Synodi loca Act. I. & II. Binianae edit. corrupta ſunt. Sane huiuſs Concilii Actioni I. & Conſtantinus epiſcopus Regii, & Galato vice Syracuſani adfuerunt: *convenientе . . . Conſtantino epiſcopo Regii*, *Galatone presbytero & locum retinente Stephani epiſcopi Syracuſani*, ut eſt apud Labb. Conc. pag. 686. & Harduin. Conc. pag. 270. tom. IV. Si ergo Conſtantinus Regienſis interfuit, certe vicario haud egebat: proinde Galato nomine Syracuſani praeſulis ſubſcripſerit neceſſe eſt. Et Actioni VII. ſubſcribunt & Κωνσταντινος ἀναξιος Ἐπισκοπος τε Ῥηγιε, *Conſtans* (al. Conſtantinus) *indignus epiſcopus Regii*, & Γαλατων ἀναξιος πρεσβυτερος και ἐκ προσωπε Στεφανε Ἐπισκοπε Συρακυσης, *Galaton indignus presbyter*, *& ex perſona Stephani epiſcopi Syracuſae*. Ita ex fide probabilium codicum emendato uno aut altero codicis mendo, omnis ſalva res erit. Sunt vero qui ſuſpicantur, Galatonem Regini ac Syracuſani praeſulum vices uſque ad Actionem VI. ſuſtinuiſſe; donec Conſtans ſeu Conſtantinus Regienſis adventaverit, qui Actioni VII. ipſe per ſe ſubſcripſit; Galatonem autem obire Stephani Syracuſani vices perrexiſſe. Verum Conſtantinus Actioni I. interfuit, adeoque vicario non egebat, & porro Galaton unius tantum epiſcopi vices in Actis gerit. Numnam is in Actionibus I. & VII. vices Syracuſani antiſtitis geſſit, in II. & III. Regienſis medio tempore abſentis? Nihil prorſus eſt, unde id iure ſuſpiceris. Tandem Franciſcus Scorſus in Homil. Theoph.

Cera-

Photium CPoli conſecravit, metropolitica dignitate fulgebat: Namque Nicolaus I. (11) anno DCCCLX. a Michaële Auguſto petiit, ut *conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo* a Romana Sede impenderetur. Gregorio Nicaeam a Photio translato, Theodorus in ſede Syracuſana ei ſucceſſit. Hunc *Archiepiſcopum* appellat idem Nicolaus (12): *Mittantur*, inquit, *etiam de parte Ignatii* ARCHIEPISCOPI QVIDAM, *Antonius Cyzici*, *Baſilius Theſſalonicae*, *Conſtantinus Lariſſae*, THEODORVS SYRACVSANORVM, *Metrophanes Smyrnae*, & *Paulus epiſcopus Ponti Heracleae* (*). In τάξει προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν, *Ordine praeſidentiae ſanctiſſimorum patriarcharum*, edito a Beveregio (13), epiſcopatus XXII. in Sicilia recenſentur: Νῆσος Σικελίας. I. Συρακοῦσα. II. Κατάνη. III. Ταυρομένιον. IV. Μεσσήνη. V. Κεφαλοίδιν. VI. Θερμῶν. VII. Πάνορμος. VIII. Λιλυβαῖον. IX. Τριόκαλις. X. Ἀκράγαντος. XI. Τυνδάρων. XII. Καρίνης. XIII. Λεοντίνη. XIV. Ἀλεῦσις. XV. Γαῦδος. XVI. Μελίτη. XVII. Λιπάρις. XVIII. Βυρκανος. XIX. Δίδυμοι. XX. Οὔρικα. XXI. Τὰ ἄναρεα. XXII. Βαζλουδιν. *Inſula Siciliae. I. Syracuſa. II. Catana. III. Taerebenium. IV. Meſſene. V. Cephaludium. VI. Thermum. VII. Panormus. VIII. Lilybaeum. IX. Triocalis. X. Agrigentum. XI. Tyndarum. XII. Carina. XIII. Leontina. XIV. Aleuſis. XV. Gaudus. XVI. Melita. XVII. Lipara. XVIII. Vulcania. XIX. Didymi. XX. Vrica. XXI. Aena-*

Caramei prooem. I. §. 4. adſeverat, binos in VII. Synodo duorum praeſulum vicarios adfuiſse: quorum uni nomen Γαλάτων, *Galato*, quem Syracuſani praeſulis; alteri Γαλάτας, *Galata*, quem Regienſis epiſcopi vicarium pronuntiat. Nominum & perſonarum diverſitatem colligit ex Actionibus I. IV. & VII. quibus Γαλάτων *Galato* perſonam ſuſtinet epiſcopi Syracuſani, & ex Actione II. in qua Γαλάτας *Galata* ex perſona epiſcopi Regii ſubſcribit: & porro in Actionibus I. IV. & VII. Γαλάτων Syracuſani praeſulis vicarium agit; nec Γαλάτας *Galatae* nomen occurrit in Actione VII. quod iam Regienſis epiſcopus, cuius is vices obibat, adventaſſet. Nae is ingenio hac in re abutitur contra veritatem.

(11) Ep. ad Michaël. Aug. apud Harduin. Conc. tom. V. p. 225.

(12) Ep. VIII. ad eumdem Michaël. Imp. apud Labb. Conc. tom. IX.

(*) Cl. Ioh. de Iohanne de div. Siculor. offic. cap. II. p. 79. ſcribit, Theodorum hunc Syracuſanum epiſcopum haud exiſtimari, quod depoſitio Gregorii Asbeſtae, cui ab Ignatio patriarcha fuerat ſuffectus, *a Sede Apoſtolica non ſuſcepta* remanſit infirma, uti loquitur Nicolaus I. Numnam ſemper infirma remanſit? At Theodorum Syracuſanum tandem Archiepiſcopum iure agnoſcit Nicolaus ipſe cit. loc.

(13) Not. in Can. Trullan. XXXVI.

Digitized by Google

Aenaria. *XXII. Baſiludium*. Porro in Τάξει τῶν μητροπολιτῶν, καθὼς ἐν τῷ Χαρτοφυλακίῳ ἀναγέγραπται, καὶ ὅσοι Ἐπίσκοποι τῶν ὑπὸ μητροπολίτας, *Ordine metropolitanorum prout deſcriptus eſt in Chartophylacio, & quot epiſcopi ſubſint metropolitis*, quem Goarus edidit (14), ſub Syracuſano metropolita tredecim enumerantur epiſcopi: Τῷ Συρακούσης, Σικελίας. I. ὁ Ταυρομενίου. II. ὁ Μεσήνης. III. ὁ Ἀκράγαντος. IV. ὁ Κρονίου. V. ὁ Λιλυβαίου. VI. ὁ τοῦ Δρεπάνου. VII. ὁ τῆς Πανόρμου. VIII. ὁ τῶν Θερμῶν. IX. ὁ Κεφαλουδίου. X. ὁ Ἀλέσσης. XI. ὁ Τυνδαρίου. XII. ὁ Μελίτης. XIII. ὁ Λιπάρεως. *Sub Syracuſano Siciliae. I. Tauromenii. II. Meſſanae. III. Agrigentis. IV. Chronii. V. Lilybaei. VI. Drepani. VII. Panormi. VIII. Thermarum. IX. Cephaludii. X. Aleſae. XI. Tyndarii. XII. Melitae. XIII. Liparae*. Et Nilus Doxopatrius (15) Syracuſanum univerſae Siciliae metropolitam fuiſſe ſcribit: εἶχε δὲ ἡ πᾶσα ἕνα μητροπολίτην τὸν Συρακούσης, αἱ δὲ ἄλλαι πᾶσαι ἐκκλησίαι τῆς Σικελίας ἐπισκοπαὶ ἦσαν τοῦ Συρακούσης, καὶ αὐτὸ τὸ Πάνορμον, καὶ τὰ Θέρμα, καὶ τὸ Κεφαλούδιον, καὶ τὰ λοιπά. *Sicilia autem univerſa unum metropolitam habet Syracuſanum; reliquae vero Siciliae eccleſiae Syracuſani erant epiſcopatus, etiam ipſe Panormus, & Therma, & Cephaludium, & reliquae*. Deinde inter metropoles CPno throno ſubiectas n. XLV. Syracuſas enumerat: με. Ἡ Συράκουσα τῆς Σικελίας, ἔχουσα ἐπισκόπους κα. α. ὧν ἡ Κατάνη. β. ἡ Ταυρομένη. γ. ἡ Μεσσήνα. δ. τὸ Κεφαλούδη. ε. τὰ Θέρμαι. ς. Πάνορμος. ζ. Λιλύβαιον. η. Τρόκαλα. θ. Ἀκράγας. ι. Τυνδάριον. ια. Καρίνη. ιβ. Λεοντίνη. ιγ. Ἄλεσα. ιδ. Γαῦδος νῆσος. ιε. Μελίτη νῆσος ἡ λεγομένη Μάλτα. ις. Λίπαρις νῆσος. ιζ. Βούλκανος. ιη. Δίδυμος. ιθ. Οὔστικα. κ. Ταίναρος. κα. τὸ Βασιλούδη XLV. *Syracuſa Siciliae, habens epiſcopatus* XXI. *I. Catanae. II. Taurominae. III. Meſſanae. IV. Cephaludii. V. Thermorum. VI. Panormi. VII. Lilybaei. VIII. Trocalorum. IX. Acragantis. X. Tindarii. XI. Carines. XII. Leontines. XIII. Aleſae. XIV. Gaudi inſula. XV. Melita inſula, quae dicitur Malta. XVI. Liparis inſula. XVII. Vulcani. XVIII. Didymi. XIX. Vſtinae. XX. Tenari. XXI. Baſiludii*. Ceterum Syracuſana urbe a Saracenis an. DCCCLXXVIII. prope deleta, & Archiepiſcopo Panormum ad Amiram abducto, antiſtes ei ordinari deſiit. Labente tempore Graeci plurimi, qui Panormi, ubi ſedes Agarenorum Amirae erat, ſub eorum iugo vive-

(14) In Appendic. ad Codin. Curopalat. p. 386.

(15) De quinq. thron. patriarchalib. ad Roger. I.

Digitized by Google

vivebant, ibi Archiepiſcopum ſibi elegerunt: inque ea urbe is a Northmannis repertus fuit anno MLXXII., quo Panormo potiti ſunt (16). Quod ergo Syracuſanus Archiepiſcopatus iamdiu ſub Saracenis ſuppreſſus fuerat, rata potius Panormitani Archiepiſcopi iura, ſub Saracenorum dominatione parta, habuerunt Romani pontifices Alexander II. & Gregorius VII. (17).

Mox Catanenſis in Sicilia ſedes *Archiepiſcopalem* dignitatem a Graecis eſt nacta. Certum autem eſt, decus hoc ſub Leone Iſauro haud habuiſſe. In diatypoſi enim Leoni Sapienti tributa, quae certe ſub Leone Iſauro incoepta eſt, Catana inter epiſcopatus Syracuſano metropolitae ſubditos, non inter metropoles αὐτοκέφαλοι exhibetur. Augurari non abs re poſſumus, Catanam ad archiepiſcopatus dignitatem evectam ante Concilium Nicaenum II. anno DCCLXXXVII. celebratum. In hoc enim *Theodorus Catanae* poſt Nicetam Gotthiae metropolitam collocatur, ante omnes Siciliae epiſcopos. Praeterea cum metropolita Syracuſanus abeſſet, ac pro eo vicario nomine Galatus presbyter interveniſſet, quoties Siculi praeſules ſuam expromere ſententiam vellent, aut ſolus ipſe loquitur, aut ſemper eſt a capite intercedentium (18). Porro Nilus Doxopatrius (19) Catanam propter s. Leonem eius epiſcopum honore archiepiſcopali auctam inquit: Ἀλλὰ καὶ αὐτὴ ἡ Κατάνη ἐπισκοπὴ οὖσα τὸ παλαιὸν τῆς Συρακούσης ἐτιμήθη παρὰ τῶν Βασιλέων διὰ τὸν ἅγιον Λεόντιον τὸν ταύτης ἐπίσκοπον, εἰς Ἀρχιεπισκοπήν. διὸ καὶ οὐδὲ ἔχει ἐπισκόπους ὑφ᾽ ἑαυτήν. πλὴν ἐν τοῖς Τακτικοῖς ἀριθμεῖται καὶ αὕτη ἐν τοῖς θρόνοις Κωνσταντινουπόλεως. *Sed & Catana ipſa antiquitus cum eſſet epiſcopatus, propter s. Leonem eiuſdem epiſcopum, ab Imperatoribus ad archiepiſcopatum evecta eſt: quapropter nullum ipſa ſub ſe epiſcopatum habet, licet eadem in Tacticis inter ſedes CPno ſubiectas adnumeretur* . . . . . Idem repetit num. LXVI., dum ſedes CPno throno ſubditas enumerat: μϛ. Ἡ Κατάνη ἐπισκοπὴ οὖσα Συρακούσης τιμηθεῖσα δὲ διὰ τὸν ἅγιον Λέοντα. XLVI. *Catana, quae cum Syracuſani eſſet epiſcopatus, propter s. Leonem in archiepiſcopatus dignitatem provecta eſt*. Ergo eiuſmodi decus vel ipſo vivente Leone, vel paullo poſt obti-

(16) Vide Gaufred. Malaterram lib. II. ep. XLV., & Pirrum not. I. eccleſ. Panormit. p. 53. & ſeq.

(17) Conf. diploma Calixti II. ad Petrum Archiepiſcop. Panormit. apud Pirrum cit. loc. p. 82.

(18) Conf. Act. I. & II.

(19) Cit. opuſc. de quinq. thron. patriarch. ad Roger. Regem.

Digitized by Google

obtinuit. Leo autem Catanenſis iam epiſcopus a *Leone & Conſtantino Impp.*, audita prodigiorum eius fama, CPolim arceſſitus eſt, ut habent eius Acta apud Caietanum (20). A vero propius abeſt, Imperatores hoſce fuiſſe Conſtantinum Copronymum, eiuſque filium Leonem, quem adhuc puerum, rogantibus Proceribus, in conſortium imperii anno DCCLXXVI. pater adſcivit, atque hic anno DCCLXXX. mortuus eſt. Ante hunc igitur annum s. Leo Catanenſis erat epiſcopus, & ante an. DCCLXXXVII. quo Theodorus Catanae Concilio Nicaeno II. interfuit, obiiſſe oportuit. In Concilio CPno IV. an. DCCCLXX. habito inter Metrophanem Smyrnae, & Michaëlem Rhodi metropolitas recenſetur *Euthymius metropolitanus Catanae*. Euthymio in Catanenſi ſede ſucceſſit Antonius, qui *metropolita civitatis Catanae* appellatur in lamina plumbea apud Ficoronium (21). In diatypoſi Leoniana, a Leunclavio & Aſſemano vulgata, loco XLV. collocatur Catanenſis Archiepiſcopus: Τῷ Κατάνης θρόνῳ ὑποκείμενος οὐκ ἔστιν, *Catanenſi qui ſubſit nullus eſt thronus*. Quin vel poſt Catanam Romanae ſedi per Northmannos redditam, Graeci eam ſedibus CPno throno ſubditis accenſere perrexerunt. Ita in Ecthesi Andronici Palaeologi, deſinente ſaeculo XIII. conſcripta, num. LVII. inter metropoles Graeco pontifici ſubditas refertur Catana: νζ. ἡ Κατάνη μδ. οὖσα, εἰς νζ. κατήχθη, *Catana ex* XLIV. *loco in* LVII. *deſcendit* (*).

CAP.

(20) In Act. SS. Siculor. tom. II. p. 5. & ſeqq.

(21) In collect. de plumbis diplomat. tab. XVI. n. 4.

(*) Iohannes de Iohan. Codic. diplomat. Sicil. diſſ. II. aliique ſcribunt, etiam Tauromenitanam, & Meſſanenſem in Sicilia ſedes ad archiepiſcopalem dignitatem per Graecos evectas. Tauromenio decus hoc afferit, quod Tauromenitani epiſcopi Zacharias, Gregorius, & Theophanes dicuntur *archiepiſcopi*. At Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. interfuit *Iohannes Tauromeniae* epiſcopus, qui inter reliquos Siciliae antiſtites numeratur. In diatypoſi Leoniana ſub Syracuſano metropolita recenſetur *Tauromenitanus* epiſcopus. In aliis laterculis ſedium throno Byzantino ſubiectarum numquam inter honorarias metropoles Tauromenium, uti Catana in eadem Sicilia, exhibetur. Zacharias Cophus Tauromenitanus Photio adverſus Ignatium patriarcham adhaeſit, quodque divelli ab eo noluerit, a Concilio CPno IV. an. DCCCLXX. eiectus eſt, ſedeque Tauromenitana excidit. Eum metropolitam Chalcedonenſem Photius creavit, teſte Niceta. Gregorius vero Cerameus *Archiepiſcopus Tauromenii* non alibi dicitur, quam in inſcriptione *Homiliarum in Evangelia dominicalia, & feſta totius anni*, quas Graece ſcripſit. Eodem *archiepiſcopi* nomine vocatur Theophanes Cerameus in Homiliis Graece conſcriptis, qui ſub Rogerio Rege Apuliae ac Siciliae (hic ab an. MCXXIX. ad MCLII. regnavit) floruit. Sed levibus incertiſque hiſce momentis, praeſertim

gra-

Digitized by Google

C A P. IV.

Nullum in ceteras Regni eccleſias, Calabris & Siculis exceptis, CPolitani patriarchae ius.

HActenus Byzantini patriarchae auctoritatem in eccleſias Regni, ac metropolitas & Archiepiſcopos in veteri novaque Calabria, inque Sicilia ab illo paſſim inſtitutos, expoſuimus: oſtendendum nunc eſt, Graecorum pontificem in reliquas omnes Regni eccleſias, praeter Calabras Siculaſque, nullum ullo tempore ius exercuiſſe. Iam univerſi Campaniae, Samnii, Apuliae, ac Lucaniae epiſcopi, ſive Ducatus Beneventani, Neapolitani, Surrentini, Amalphitani, Caietani, Principatus Capuani & Salernitani, Romano metropolitae ſuo ſemper adhaeſerunt, nec umquam ab eo avulſi. Si qui harum regionum praeſules ambitionis ſpiritu acti archiepiſcopale decus a CPolitano patriarcha ſibi oblatum admiſere, honorem illegitime partum dimittere a Romano pontifice cogebantur: quique a Romanae Sedis obedientia deſciſcentes ad Graecorum ſchiſma accedebant, eccleſiaſti-

gravioribus in contrarium obnitentibus, Tauromenio locus inter archiepiſcopales haud dandus. Quod vero ad Meſſanenſem ſedem, fruſtra ea inter archiepiſcopales refertur, quia in diatypoſi Leonis Sapientis inter archiepiſcopatus CPno throno ſubiectos num. XVII. recenſetur ἡ Μεσήνη, *Meſena*, hoc eſt Meſſana; nam haec non de Meſſana Siciliae, ſed provinciae Europae intelligenda eſt. Diſerte Notitia Graeca apud Carolum a s. Paulo p. 34. Ἐπαρχίας Εὐρώπης, ὁ Δριζιπάρων, ἤτοι Μεσήνης, *provinciae Europae, Driziparorum, ſive Meſenes*. Drizipara, Ptolomaeo teſte, eſt Thraciae oppidum, Arcadiopoli vicinum in Itinerario Antonini. Conſonat τάξις προκαθεδρίας τῶν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν καὶ αὐτοκεφάλων καὶ Ἐπισκόπων, *Ordo praeſidentiae ss. patriarcharum, & metropolitarum, & autocephalorum, & epiſcoporum*, edita a Goaro Append. ad Codin. Curopalat. de Officialib. CPnis, ubi num. XLIII. inter autocephalas numeratur: Ἐπ. τῆς αὐτῆς, ἤτοι Θρᾴκης, ὁ Μεσήνης, *provinciae eiuſdem, ſeu Thraciae, Meſene*. Confirmant haec Concilium Nicaenum II. an. DCCLXXXVII., cui *Gaudioſus Meſſanae* e Sicilia, & CPnum IV. an. DCCCLXX. cui *Gregorius epiſcopus Meſinae* ſubſcripſere. In his enim ſynodis antiſtes *Meſſanae*, ſive *Meſinae*, ſemper *epiſcopus*, numquam *archiepiſcopus* appellatur, nec niſi inter meros Siciliae epiſcopos numeratur; contra ac de Catanenſi praeſule factum, qui utpote archiepiſcopus a Graecis creatus, *Metropolitae* titulo in Concilio CPno IV. exornatur, & inter Smyrnenſem, ac Rhodium metropolitanos interiicitur, certiſſimo partae dignitatis argumento.

Digitized by Google

ſiaſtica communione, graduque ſuo eiiciebantur. Et ſane Leo Iſaurus, primus avulſionis eccleſiarum a Romana Sede auctor, tantum Calabris ac Siculis tributum capitationis imponere, ſoloſque Calabriae & Siciliae epiſcopos avertere a Romano metropolita potuit; reliquarum provinciarum non item, quod ſcilicet in eas provincias, quae tantum ex Italicis Graeco Imperio remanſerant, per Praeſides ſuos abſolutam exercebat poteſtatem, non autem in ceteras, quod eae aut Longobardis ſubeſſent, aut a propriis Ducibus regerentur, qui tamquam foederati, non ſubiecti Graecis Auguſtis obtemperabant, ſuaque privilegia ſervari ſarta tecta volebant. Romualdus Beneventanus Dux circ. an. DCLXIX. Graecis abſtulit Tarentum, Brunduſium, aliaſque urbes, eoque tandem res venit, ut praeter veterem Calabriam, extremoſque Brutios; ac Siciliam, reliqua Longobardis ceſſerint: qua de re in παρέργῳ huic diatribae adiecto opportunus dicendi locus. Inter urbes, quae Longobardis totum Longobardiae & Calabriae Thema occupantibus, remanſerunt in poteſtate Graecorum, *Neapolim*, *Caietam*, *Surrentum*, & *Amalphim* enumerat Conſtantinus Porphyrogeneta (1). Harum tamen urbium Graeco imperio foederatarum epiſcopi a Romano pontifice ordinabantur. Quin Graeci poſt Iſaurum, etſi quas olim adquiſiverant ſedes mordicus retinerent, in urbibus tamen quas aut occupabant, aut recuperabant, ea oeconomia utebantur, nihil ut in iis quantum ad eccleſiaſticam politiam innovarent. Ita Graeci Auguſti triennio & novem menſes Longobardiam poſſederunt, nempe ab anno DCCCLXXXXI. quo Beneventum eſt captum, ad an. DCCCLXXXXV. quo a Guidone Duce recuperatum. Sed nihil a Graecorum Strategis eo temporis ſpatio, quo Beneventanum Ducatum rexerunt, in eccleſiaſtico regimine immutatum, evincunt ipſa Strategorum praecepta, data Abbati Monaſterii s. Sophiae de Benevento, s. Mariae de Cingla, & s. Mariae de Plumbariola apud Leonem Oſtienſem (2), & Maioni Abbati monaſterii s. Vincentii de Vulturno apud Auctorem Chronici Vulturnenſis (3). Idem conſtat ex ſerie epiſcoporum

Tom.VI. n Sam-

(1) De Adminiſtr. Imper. cap. XXVII.

(2) Lib.I. Chronic. Caſin. cap.XLIX.

(3) Lib.IV. pag.413.

Samnii & Apuliae, qui tempore illo occupati a Graecis Beneventani. Ducatus iuris eſſe Romanorum pontificum perrexerunt. Porro quas ſaeculo X. & XI. urbes in Apulia Graeci recuperarunt, CPolitano pontifici non ſubdidere, ne Romanos antiſtites ſibi infenſos redderent. Quin Graeci Strategi Auguſtorum ſuorum nomine Apulis epiſcopis a Romano pontifice conſecratis privilegia manere ſarta tecta iuſſerunt, uti conſtat ex privilegio a Calocyri Catapano dato Rhodoſtamo Tranenſi epiſcopo an. Ch. DCCCCLXXXIII., & ex diplomate a Gregorio Trachaniota conceſſo Chryſoſtomo Archiepiſcopo Barii & Trani an. Ch. DCCCCXCIX., de quibus mox dicetur. Hinc factum, ut poſt avulſas per Iſaurum a Romana Sede Calabriae ac Siciliae eccleſias, Calabri Siculique praeſules conciliis CPolitanis frequentes adfuerint, nunquam in Romanis: contra vel poſt Iſaurum epiſcopi in Ducatu Beneventano, Neapolitano, aliiſque eiuſmodi locis degentes, compareant in conciliis Romae celebratis; quod ſcilicet numquam a Romano metropolita ſuo diverterint. Concilio Romano ſub Zacharia P. an. DCCXLIII. habito interfuere *Auderamus Biſuntianus*, *Anfridus Cuſentinus* (4), *Caeſareus Beneventanus*, *Theodorus Capuanus*. Concilio Romano ſub Paulo P. an. DCCLXI. *Domnus Marturanenſis* (5) ſubſcripſerunt. Concilio autem Romano ſub Leone IV. an. DCCCLIII. *Sergius Cumanus*, *Talarus Minturnenſis*, *Liuderiſius Marſenſis*, *Urſus Archidiaconus vicem agens Petri epiſcopi Theatinenſis*, *Rampertus presbyter vicem agens Hieremiae epiſcopi Aprutienſis*. Et Concilio Romano ſub Nicolao I. an. DCCCLXI. *Leodriſius Marſicanus*, *Landulfus Capuanus*, *Leo Caietanus*, *Iohannes Terracinenſis*, *Georgius Traiectanus*, & *Athanaſius Neapolitanus* (6). In diplomate pontificis Paulli I. de eccleſia & monaſterio erectis in paternis aedibus ſub titulo SS. Stephani & Silveſtri PP. an. DCCLXI. dato leguntur *Leo Salernitanus*, *Suthinius Tranenſis*, *Leontius Amiterninus*.

(4) Apud Baron. ad A.C. DCCXLIII. legitur *Anfredus Tarentinus*. Sed *Anfridus Coſentias* habetur in Codice vetuſtiſſimo Caſſinenſi Longobardicis litteris conſcripto apud Vghell. in addend.

(5) Apud Baron. ad A.C. DCCLXI. Vid. Dominic. Georgium diſſ. de eccleſia Setina.

(6) Teſte Petro Subdiac. in eius vita apud Murator. S.R.I. tom. II. part. II. n. 16. p. 1059.

Digitized by Google

ninus. Haec plane oſtendunt, epiſcopos hoſce ſemper iuris Romanae Sedis fuiſſe. Sed & univerſos Campaniae, Samnii, Apuliae ac Lucaniae praeſules vel poſt Iſauri tempora a Romano pontifice conſecratos, numquam a CPolitano, eo etiam tempore quo urbes in iis regionibus poſitae Graeco Imperio parebant, compertum eſt. Hinc nil mirum, ſi in Graecorum Notitiis non niſi veteris novaeque Calabriae & Siciliae ſedes inter throno Byzantino ſubditas referantur.

Quae propoſuimus ut luculentius innoteſcant, inquirendum modo eſt, an epiſcopales ſedes, Neapolitana in Campania, Barenſis, Sipontina, Tranenſis, Brunduſina, & Tarentina in Apulia, ullo umquam tempore CPolitano patriarchae fuerint ſubiectae. Quod ad Neapolitanum antiſtitem attinet, conſtanter is Romano metropolitae inde uſque a primis eccleſiae temporibus adhaeſit, nec ullo umquam tempore Graeco patriarchae ſubſuit. Eum vel poſt Iſauri tempora cleri populique Neapolitani teſtimonio electum a Romano pontifice conſecratum, ex Iohanne Diacono (7) compertiſſimum eſt. In Synodis quoque Romanis, poſt Calabriam & Siciliam a Romana Sede divulſas coactis, Neapolitanus epiſcopus non raro comparet. Molitus quidem eſt Byzantinus patriarcha Neapolitanum praeſulem ſibi pellicere, oblato epiſcopatus illicio; ſed operam luſit. Rem enarrat Ioh. Diaconus (8): *Hic* (Sergius Neapolitanus epiſcopus) *dum a Graecorum pontifice* (*) *Archiepiſcopatum* (*) *nanciſceretur*, *ab Antiſtite Romano correptus*, *veniam impetravit*. Non prodit hi-

(7) In Chronic. Neapol. epiſcop. apud Murator. S.R.I. tom. I. part. II.

(8) In vit. Sergii epiſcopi Neapol. XXVII.

(*) Ita dicebatur patriarcha CPolitanus, qui etiam *κατ' ἐξοχὴν Patriarcha* apud nos nuncupatus: non quod Sedes Neapolitana patriarchae CPolitano ſubiaceret, ſed quod quum ſaecularis tunc Neapolitanorum reſpublica ſaltem honore tenus principi CPolitano ſubeſſet; eo fiebat ut Regiae urbis Antiſtes a Neapolitanis, qui in ritibus plurimis etiam CPolitanae eccleſiae politiam ſequebantur, ſine addito ſedis, *ἁπλῶς patriarcha* diceretur. Sic ſancti Eutychius, & Thomas regiae urbis antiſtites *ἁπλῶς patriarchae* vocantur in vetuſto Neapolitanae eccleſiae Kalendario, ut obſervat Mazochius comment. in illud Kalendar. die XXII. Mart. p. 99. & die VI. April. p. 269.

(*) Intellige merum Archiepiſcopatus honorem ſine ſuffragnaeis epiſcopis. Vide quae de hac re diximus cap. III. p. LXXX. in not.

ſtoriographus ſub quo Imperatore, & a quo patriarcha Sergius fuerit ſollicitatus. Sed tempora Leonis Iſauri ſatis congruunt, quum Sergius, Conſtantino Copronymo imperante, non niſi annis tribus ſupervixerit: unde facinus conferri in Anaſtaſium iconomachum poteſt. In irritum autem molimina Graecorum abiere; nam Sergius a Romano pontifice Gregorio III. reprehenſus, ventoſam illam dignitatem, ab illegitimo largitore ſurreptam magis, quam ſibi comparatam abiecit; ac epiſcopali dignitate contentus, Romanum metropolitam agnoſcere, ut antea, ſatius duxit (*). Revera Sergii in Sede Neapolitana ſucceſſores num-

(*) Praeclare vir ad miraculum ſapientiſſimus Mazochius diſſ. hiſtoric. de cathedr. eccleſ. Neap. part. II. cap. II. §. IV. p. 114. ſeq. oſtendit, *nullo umquam tempore CPolitanis patriarchis in ſedem Neapolitanam ius ullum fuiſſe*. Eius haec ſunt verba: *Neapolitanos pontifices ubi canonice electi eſſent, Romam fuiſſe miſſos ab Romano pontifice confirmandos & conſecrandos, totus Iohannis diaconi pontificalis liber locis omnibus clamat: nec uſquam ullius Byzantino patriarchae ſubiectionis veſtigium aut exemplum ab eo affertur, praeter illud Sergii celeberrimum: quod quia rem, de qua agimus, mirifice confirmat potius, quam enervet; minime omittendum reor. Sub octavi ſaeculi initia poſt s. Laurentii epiſcopi obitum, quo pacto agente Iohanne Duce Neapolitano Sergius electus fuerit, poſtquam ſatis accurate chronographus narraſſet, haec addit*:„Hic (*Sergius*) dum a Graecorum pontifice (*h. e. Patriarcha CPno*) Archiepiſcopatum (*nudam autem archiepiſcopalem dignitatem, ſine iure metropolitico intelligit*) nanciſceretur; ab antiſtite Romano (*Gregorio II. qui tunc ſedebat*) correptus, veniam impetravit„. *Hunc in modum Byzantini patriarchae tunc irriti ceſſere conatus. Hinc diu poſtea Archiepiſcopali apice Neapolitana ſedes apud Latinos caruit: nec niſi decimo ſaeculo Neapolis metropoliticam dignitatem ab Sede Apoſtolica obtinuit*. Deinde pergit: *Dixi Neapolim per illos trecentos prope annos, qui inter Sergium epiſcopum & vergentis decimi ſaeculi terminum interceſſerunt, ea dignitate apud Latinos caruiſſe: nam ceteroqui apud Graecos ab illo uſque Sergii Neapolitani facto ſedes Neapolitana ſemper inter archiepiſcopatus nudos (h. e. metropolitico throno carentes) Byzantino patriarchae ſubditos numerata fuit, etſi Neapolitanorum ingratiis, at faſtu tantum ac molimine conſueto Graecorum. Itaque in celebri Leonis Novella apud Leunclavium lib.* III. *Iur. Graec. Rom. inter Archiepiſcopatus metropolitico throno carentes ſub CPlitano patriarcha num.*XIV.„Neapolis„*ponitur, num.* XV.„Meſſana„. *Etſi ſunt qui ab illa Leonis* διατυπώσει Neapolim *abeſſe malunt, aut ſi ſit, aliam Neapolim intelligi iubent: quaſi vero ab immodico Graeculorum tumore quidquam periculi immineat. Sed & Nilus Doxopatrius Rogerio Regi, uti volunt, coaevus accuratam deſcriptionem tum metropoleon tum ſimplicium Archiepiſcopatuum Byzantino throno ſubiectorum elucubravit, quam Leo Allatius lib.* I. *Conſenſionis cap.*XXIV. *edidit, in qua poſt metropoliticos thronos recenſentur quatuor & triginta*„Sedes Archiepiſcopales (ἀρχιεπισκοπαὶ) quae throno CPolitano ſubiacent, nulli tamen Metropolitarum obnoxiae (μήτε ἔχουσαι ὑφ' ἑαυτὰς ἐπισκοπάς) nec habentes ſub ſe ullos epiſcopatus„. *Inter quas num.* IX.„Neapolis,

Digitized by Google

numquam ſe *Archiepiſcopos* dixere ad Sergium illum, qui primus Neapolitanorum praeſulum *Archiepiſcopus* dicitur, vivebatque

lis„ *num.* XXVI. (ἡ Κοτρω)„Cotro„*legitur. Itaque, ut dixi, ab illo Sergii inauſpicato ambitu Neapolitani antiſtites apud Graecos*„ Archiepiſcopi throno carentes„*audiebant; at apud noſtros pari loco ac ceteri epiſcopi erant: donec tandem poſt medium decimum ſaeculum (quo anno, incertum) a Romano pontifice non merum duntaxat Archiepiſcopi nomen, ſed & metropoliticam dignitatem ſunt noſtri Antiſtites aſſecuti.* Tandem not. XIII. inter alia ſubiicit: *Illud autem propius fidem eſt, ſtatim poſt Capuam (primam omnium hujus Regni ſedium anno 968. ab Iohanne* XIII. *in metropolim erectam) & Beneventum anno ſequente, ſtatim Neapolim eodem honore auctam fuiſſe.* Mihi autem pro ea, quae cuique in re litteraria conceditur ſentiendi libertate, ac iure veritatem, quae prae omnibus colenda eſt, detegendi, liceat in nonnullis a ſummo viro diſcedere. Primum inquit is (Muratorium not. LXIII. in Ioh. Diacon. Chronic. ſequutus) Sergium Neapolitanum *a Gregorio II. qui tunc ſedebat* reprehenſum, quam *Archiepiſcopatus* dignitatem a CPolitano patriarcha oblatam acceperat, reieciſſe. At Sergii ambitioni non Gregorius II., ſed Gregorius III. obſtitit. Conſtat enim ex Theophane, Leonem Iſaurum in rabiem actum Calabros Siculoſque graviſſimis tributis oppreſſiſſe, eccleſias Illyricianas, Calabras & Siculas a Romana ad Byzantinam Sedem traduxiſſe, anno Imperii eius XVI., qui eſt Chriſti DCCXXXII. Hoc autem anno Gregorius III. pontificatum gerebat, mortuo an. DCCXXX. Gregorio II. Vide ſupra cap. I. p. 70. & ſeq. Deinde poſt Iannonium Hiſt. Civ. Regn. Neap. lib. VI. cap. VII. tradit ex διατυπώσει Leonis, Graecos ab illo Sergii facto Neapolitanum in Campania praeſulem inter nudos archiepiſcopos Byzantino patriarchae ſubditos, itemque Meſſanenſem in Sicilia, numeraſſe. At *Neapolis*, quae ibi num. XIV. refertur, non Campaniae, ſed *Piſidiae* eſt. Diſerte in Notitia apud Carolum a s. Paullo in Appendic. p. 34., & Goarum ad calc. Codini Πισιδίας Ἐπαρχίας, ὁ Νεαπόλεως, *Provinciae Piſidiae, Neapolis*. Ex hac Piſidiae provincia Concilio CPolitano IV. an. DCCCLXIX. & DCCCLXX. habito *Leontius miſericordia Dei Archiepiſcopus Neapoleos*; & Pſeudo-Synodo Photianae ad Photium CPolitanae Sedi reſtituendum poſt Ignatii obitum an. DCCCLXXIX. coactae Λεόντιος Νεαπόλεως, *Leontius Neapolis*, ſubſcripſere. Nihil prorſu eſt, cur Leontium illum Neapolitanum in Campania praeſulem fuiſſe ſuſpiceris; nam anno DCCCLXIX. & ſequente, quo Synodus illa CPoli habita eſt, non Leontius, ſed Athanaſius Neapolis in Campania eccleſiae praeerat, qui a Leone IV. anno DCCCL. conſecratus, an. DCCCLXXII. deceſſit; nec is umquam CPolim conceſſit, ut ex Iohanne Diacono & Petro Subdiacono in eius vita conſtat. Pari modo *Meſene*, quae in eadem Leonis διατυπώσει num. XV. inter Graecos archiepiſcopatus affertur, non Siciliae eſt, ſed *Driziparis* Europae, ut ex ipſis Graecorum laterculis probatum dedimus cap. III. p. 96. in not. A Leonis itaque diſpoſitione abſunt *Neapolis* Campaniae, & *Meſſana* Siciliae. Has autem, ſi inter archiepiſcopatus a Graecis receniſeri perhibeamus, nihil quidem ab impotenti Graeculorum faſtu, ventoſaque Graecia rei noſtrae metuimus: tantum tot veris Graecorum mendaciis falſum adiicere mendacium, vel Graecorum ipſorum ingratiis, iure pertimeſcimus. Illud vero praeſtanti viro excidiſſe nollem, Nilum *accuratam* deſcriptionem metropoleon & archiepiſcopatuum Byzantino throno ſubiectorum confeciſſe. Numnam accuratus dicetur Graeculus hic, qui ſub Rogerio Rege ſcripſit, quo tempore Calabris Siculiſ-

Digitized by Google

que ann. MV. & MVI., parta nimirum a Romano pontifice metropolitica dignitate. Sergii huius anteceſſor Athanaſius III. an. DCCCC-

culiſque eccleſiis Romano pontifici iam reſtitutis, nulla uſpiam erat, quae Graeco patriarchae ſubeſſet: & tamen ille de iis loquitur perinde ac ſi adhuc Graecanici iuris eſſent? Qui Graecorum partibus ſtudens in deſcribendis metropolibus & archiepiſcopatibus Byzantino antiſtiti obnoxiis, rebuſque Regni, tot *ἀσύστατα* & mendacia congeſſit, quot in legentium oculos confeſtim incurrunt? Vide cl. Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. IV. tom. IV. & cap. X. tom. III. Ne longius evagemur, Nilus inter archiepiſcopatus num. IX. *Neapolim*, num. XII. *Meſenem*, & num. XXVI. *Crotonem* refert. Dum archiepiſcopalibus Graecorum ſedibus *Neapolim* & *Meſenen* accenſet, aut Graecorum latercula ſequitur, aut ab iis diſcedit: ſi prius, de Neapoli Piſidiae, ac Meſſana Europae accipiendus eſt, uti veteres Notitiae liquido demonſtrant; adeoque falſum eſt, Nilum Neapolim Campaniae, & Meſſinam Siciliae recenſuiſſe: ſin poſterius, ſecum ipſe confligatur. Nimirum idem Nilus num. XLV. inter metropoles recenſet Syracuſas, epiſcopatus XXI. ſub ſe habentes; num. III. ſub Syracuſana metropoli *Meſſenam*; & num. XII. inter archiepiſcopatus *Meſenen* ponit. Si haec *Meſene* eadem eſt ac Meſſana Siciliae; aut duae in Sicilia Meſſanae aevo Nili fuerint oportet, quarum altera ſub Syracuſis epiſcopalis, altera archiepiſcopalis erat; aut uno eodemque tempore eadem Meſſana & epiſcopatus fuerit, & archiepiſcopatus: quo quid abſurdius? At magis eſt, ut Nilum Meſſanam Europae, non ſecus ac Neapolim Piſidiae inter archiepiſcopatus enumeraſſe putemus. Dum vero ipſemet Nilus *Crotonem* inter archiepiſcopales ſedes collocat, ſplendide mentitur; certum enim eſt, Crotonem nec ſub Graecis, nec Northmannis eiuſmodi decus adeptam. Quin accuratus hic metropoleon & archiepiſcopatuum deſcriptor ſibi non conſtat in hac re; nam ex *Tacticis Nomocanonis ſub throno CPolitano*, hoc eſt *διατυπώσει* Leonis, aut *ἐκθέσει* Andronici, duos tantum in Calabria metropolitas *Reginum* & *ſanctae Severinae*, archiepiſcopum vero nullum agnoſcit: Metropolitas autem enumerans, num. XXXI. *Regium Calabriae* ſub ſe habere XIII. *epiſcopatus*, inquit. Quinam tredecim hi epiſcopatus metropolitae Regino ſubditi? Profecto iidem, qui in Leonis diſpoſitione exhibentur, inter quos num. XXXII. octavum locum obtinet ὁ Κρότωνος, *Crotonenſis*. Hanc Leonis *διατύπωσιν* ſpectavit Nilus, dum tredecim Regino metropolitae epiſcopatus ſubiectos enumeravit, adeoque eorum numero *Crotonenſem* quoque comprehendit. *Ἀσύστατα* ergo docet, dum num. XXVI. inter archiepiſcopatus *Crotonem* refert, eamdem ſcilicet ſedem nunc ad epiſcopalem deprimens, nunc ad archiepiſcopalem immani arbitrio extollens. Vide ſupra cap. III. in not. p. XC. Tandem imperare mihi non poſſum, ut incomparabili Mazochio adſtipuler, ſubiicienti, *poſt Capuam anno* DCCCCLXVIII. *& Beneventum anno ſequente*, *ſtatim Neapolim* in eccleſiaſticam metropolim evectam fuiſſe. Verum Capua non anno DCCCCLXVIII., ut cum Baronio ac Ughello ſummus vir tradit, ſed anno DCCCCLXVI. metropoliticam dignitatem eſt nacta: tum Beneventum anno DCCCCLXIX.: poſt Beneventum ſtatim Salernum anno DCCCCLXXXIV.: tandemque Neapolis; quae quo anno metropolitica dignitate ornata ſit, non liquet. Coniici tantum poteſt, primum eius Archiepiſcopum fuiſſe Sergium illum, qui ann. MV. & MVI. vixit. Quare adfirmari iure nequit, Neapolim *ſtatim* poſt Beneventum archiepiſcopale decus adeptam fuiſſe; tum quia poſt Beneventum ſtatim Sa-

Digitized by Google

DCCCCXXXVII. & DCCCCLX. ſe *epiſcopum* ſubſcribit . Haud hic praetereunda Muratorii (9) adnotatio : *Iam a naſcente* , inquit , *Chriſti eccleſia Romano patriarchatui ſubeſſe coeperunt ſingulae Occidentis eccleſiae, atque adeo Campania ipſa, in qua Neapolis . Vide nunc quibus artibus patriarcha CPolitanus uſurpare Romano pontifici , ac in ſuam ditionem trahere Neapolitanum epiſcopum moliretur , nempe oblato Archiepiſcopi titulo . Neque ſibi ab hiſce illecebris cavit Sergius epiſcopus, ambitionis ſpiritu actus. Sed ex Iohanne Diacono diſcimus , eumdem reſipuiſſe, ac in irritum ceſſiſſe Graecorum conatus , obſiſtente Papa , ſcilicet , ut opinor , Gregorio II.*, immo Gregorio III. (vide adnot. ſubiectam ſupra p.CI.).Iterum Byzantinus patriarcha iuſſu Conſtantini Copronymi conatus eſt Neapolitanum ſibi antiſtitem pellicere . Iohannes Diaconus (10) memoriae prodit, Paulum Neapolitanum epiſcopum *a Romano pontifice conſecratum propter Graecorum connexionem recipere noluiſſe concives ſuos* . Poſt obitum enim Calvi praeſulis Neapolitani Paulus Neapolitanae eccleſiae diaconus a pontifice Paulo I. circ. an. DCCLXIII. conſecratur antiſtes . Hanc electionem aegre tulit Copronymus Imp., qui Graecum epiſcopum intrudere in ſedem Neapolitanam ſatagebat, ut eius opera Neapolitanorum animi a cultu ſacrarum imaginum averterentur . Neapolitani autem , qui in civilibus *poteſtati Graecorum* , ut idem inquit Iohannes, *parebant*, Paulum recens conſecratum intra urbem *propter Graecorum connexionem* recipere noluerunt, ne Graecum in ſe Caeſarem concitarent, ſed ad s. Ianuarii extra moenia ſedere aliquamdiu permiſerunt , quo ex loco eccleſiae negotia adminiſtrabat, eique tamquam paſtori ſuo morem gerebant ; donec poſt biennium fere Imperatori ſignificantes ſe paſtore diutius carere non poſſe, Paulum ſollemniter in ſede locarunt . Ita repetiti Graiorum in Neaplitanam eccleſiam auſus in caſſum ceſ-

Salernum eiuſmodi dignitatem adſecuta eſt ; tum quod ſpatium annorum XXXVI., quot decurrunt ab anno DCCCCLXIX. quo Beneventum metropolitica ſedes evaſit, ad annum MVI. quo Sergius vixit, tam breve ac propinquum aeſtimari non debet. Confer infra part. III. cap. I.

(9) Not. LXIII. in Ioh. Diacon. Chron.

(10) In vit. Pauli Neap. epiſcop.

ceſſerunt; nec Byzantino patriarchae ullo tempore licuit in eam ius ullum exercere (*).

Animum nunc ad Apulos epiſcopos convertamus. Apuliae praeſules Barenſis, Tranenſis, Sipontinus, Tarentinus, aliique ſemper Romano metropolitae adhaeſerunt, ab eoque ordinationem accepere. Si enim tempora ſpectes, quibus Apulia ſub Longobardorum dominatione erat, nulla ſuboriri hac de re dubitatio poteſt. Si vero tempora attendantur, quibus Graeci Apuliam tenuere; tantum abeſt, ut Apulos epiſcopos a Romana in CPolitanam ſedem traduxerint, ullove pacto vexaverint Graeci, ut potius rebus ſuis optime conſultum putaverint, epiſcopos illos a Romano pontifice conſecratos privilegiis exornare, eorumque iura ſarta tecta tueri. Ita Calocyrus Catapanus Italiae in diplomate Rhodoſtamo Tranenſi epiſcopo an. Ch. DCCCCLXXXIII. da-

(*) Ughellus Ital. Sacr. tom. VI., Nicetam, Athanaſii III. ſucceſſorem, ope Aulae CPolitanae, a patriarcha Graeco, Archiepiſcopi titulo donatum, in Sedem Neapolitanam intruſum ſuſpicatur, tum ex Graeco Nicetae nomine, tum ex *Archiepiſcopi* titulo, quo donatur in diplomate Monaſterii s. Sebaſtiani. At Nicetas Latinus, non Graecus epiſcopus fuit, & a Romano, non Byzantino pontifice conſecratus. Nimirum anno DCCCCLXIII. & ſequentibus, quibus Nicetas Neapolitanam adminiſtrabat eccleſiam, CPolis Imperator erat Nicephorus Phocas, patriarcha vero Polyeuctus. Hos tentaſſe tantum, dilatata in Archiepiſcopatus honore Hydruntina Sede, Graecum in Apulia ritum invehere, teſtatur Luitprandus in ſua apud Nicephorum Phocam legatione obita; quidquam vero in Neapolitanam Sedem molitos, non prodit. An vero, ſi Nicetas iuſſu eiuſdem Imperatoris a Polyeucto conſecratus, Neapolim fuiſſet miſſus, id aeque non retuliſſet Luitprandus, qui tum CPoli agebat? Porro ſi Gregorius III. Sergium Neapolitanum archiepiſcopatus dignitatem a CPolitano patriarcha oblatam ſub Leone Iſauro, qui tum in Italia longe lateque dominabatur, abiicere coëgit; numnam Iohannes XIII. & Beneventanorum Ducum, & Principum Capuanorum, & Othonis Imp., & Iohannis Ducis Neapolitani potentia & gratia fultus, aequo animo tuliſſet, Nicetam a Polyeucto patriarcha titulum Archiepiſcopi accipere, ac retinere? Quid quod nuſpiam ſcriptum eſt, Graecum epiſcopum a CPolitano patriarcha Neapolim miſſum, iis praeſertim temporibus, quibus Pandulfus Caputferreus & Landulfus fratres Capuanum ac Beneventanum Principatum, & Iohannes Neapolitanum Ducatum regebant? Nec vero ex Graeco Nicetae nomine conſequitur, eum Graecum hominem fuiſſe, a Byzantino patriarcha in Sedem Neapolitanam intruſum; ceteroquin pari iure ſtatuendum eſſet, *Athanaſium*, *Stephanum*, *Coſmam*, *Euſebium*, *Demetrium*, alioſque Neapolitanos epiſcopos, Graecanico nomine praeditos, e Graecia in Neapolitanam eccleſiam intruſos. Diploma tandem Coenobii s. Sebaſtiani aut ſuppoſitium eſt, aut qui poſterioribus temporibus illud exſcripſit, titulum Archiepiſcopi ampliavit, nova veteribus componens.

Digitized by Google

dato (11), eidem iura ſua rata eſſe iubet: *Idcirco*, inquit, *confirmamus te* (Rhodoſtamum epiſcopum Trani) *per vitam & gaudium ſanctiſſimorum Imperatorum noſtrorum, in ſede tui epiſcopatus, quemadmodum a beatiſſimo Benedicto Papa Romano ſuſcepiſti ordinationem, ut dirigas, & diligenter adminiſtres res maxime utiles, & poſſeſſiones ſanctae huius Dei eccleſiae, ſarciendo & vindicando omnia ab iis, qui damnum afferunt bonis epiſcopatus tui, ſecundum traditum tibi Breve a ſupradicto ſanctiſſimo Papa, qui etiam praecipit, ut ſint ſub tuo epiſcopatu Caſtrum Iuvenazani, Rubi, Minervini, Montemelonis cum omni poſſeſſione eorum, ſicut & prius poſſediſti*. Hinc habes, Rhodoſtamum a Romano pontifice Benedicto VII., qui ab an. DCCCCLXV. ad DCCCCLXXXIV. ſedit, epiſcopum Tranenſem ordinatum fuiſſe, inque Brevi ſeu Bulla ordinationis ab eodem tradita, Tranenſi eccleſiae ſubiecta adfirmari Caſtra *Iuvenacii*, *Rubi*, *Minervini*, & *Montis Milonis*, quae ſane tunc temporis nondum epiſcopos acceperant. Et diplomate a Gregorio Trachaniota Baſto, & Catapano Italiae, Chryſoſtomo Archiepiſcopo Caſtri Barii & Trani an. Ch. DCCCCXCIX. conceſſo (12), vetitum eſt Graecis omnibus Thematum Adminiſtris & Officialibus *iniuriam aliquam, aut angariam, aut aliud quodcumque damnum univerſim inferre ſacris presbyteris Archiepiſcopatus, monachis inquam & monialibus, ipſorum videlicet duorum caſtrorum Barii & Trani*; ac nonnulla privilegia & immunitates iis conceduntur. Porro nullo adſtrui teſtimonio poteſt, epiſcopos Apulos quo tempore in Apulia Graeci dominati ſunt, ad Byzantinum patriarcham defeciſſe, ab eoque conſecratos fuiſſe. Ipſa obluctantur Graecorum latercula, quibus ſedes CPolitano throno ſubiectae exhibentur; ab iis enim abſunt Barenſis, Tranenſis, Tarentina, Brunduſina, aliaeque Apuliae ſedes epiſcopales, quae certe relatae fuiſſent conſueto Graecorum tumore, ſi umquam CPolitano throno paruiſſent; non ſecus ac Hydruntum, Sancta Severina, & Regium enumerantur. Quin Apulos praeſules in obedientia Romanae Sedis manſiſſe

(11) Hoc diploma Graece & Latine primus edidit Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul cap.x. p.558. ſeq. tom.III.

(12) Ext. Graece ac Latine apud eumdem Aſſeman. ibid. p.553. ſeqq.

Digitized by Google

ſiſſe adverſus Graecorum molimina comperimus. Exemplo ſit Iohannes Archiepiſcopus Barenſis, a quo fortiter reſtitum Polyeucto CPolitano patriarchae, qui in gratiam Nicephori Phocae praeceperat omnibus Apuliae & Calabriae Graeco Imperio ſubiectarum epiſcopis, ut non amplius deinceps in azymis Latino ritu, ſed in fermentato pane ſacrificarent (13). CPolim quidem a Graecis abducti ſunt Biſantius Barenſis antiſtes, qui ibi anno MXXXV. deceſſit, eiuſque ſucceſſor Romulantes ſeu Romualdus, qui ab Imperatore CPolim evocatus, exul obiit, teſte Lupo Protoſpatha (14). At id factum, non quod a Romano pontifice conſecrati ſunt, ſed quia Northmannis Graecorum hoſtibus favere dicebantur. Quin ſi quis Apulorum praeſulum, poſthabita Romanae ſedis obedientia, Graeco ſe ſchiſmati adiungeret, anathemate perculſus gradu ſuo excidebat. Ita Iohannes Tranenſis, qui Graecorum tumore abreptus, *Pontificalis & Auguſtalis Syncellus* erat, ut appellatur ab Anonymo in Hiſtoria *translationis s. Leucii epiſcopi Brunduſini* (15), hoc eſt Conſtantini Monomachi Imp. & Michaëlis Cerularii patriarchae CPolitani Cubicularius honorarius (*), quique ſchiſmati ab eodem Cerulario conflato adverſus Latinam eccleſiam ſtuduit, a Nicolao II. in Concilio Melphitano an. MLIX. celebrato depoſitus eſt (16) (**). An-

(13) Vid. Baron. ad A. C. DCCCCLXVI.

(14) In Chronic. ad an. MXXXV.

(15) Apud Bolland. tom. I. ad II. Ianuar.

(*) De Syncellis cum Auguſtalibus, tum patriarchalibus, vide Lupum diſſ. de VIII. Synod. cap. X. & Cangium v. *Syncellus*.

(16) Conſ. Pagium ad A. C. MLIII. n. XII.

(**) Petrus Iannonius Hiſt. Civ. Regn. Neap. lib. V. cap. ult. tradit, *a Romana ſede ſaeculo* IX. *avulſas eccleſias Siciliae, Calabriae, Apuliae & Campaniae, eaſque ad patriarcham CPolitanum acceſſiſſe, uſque ad Northmannorum tempora*. At primum eccleſiarum avulſio ſaeculo VIII. Iſauri tyrannide, non IX., contigit; deinde tantum Calabriae ac Siciliae ſedes, non item Apuliae & Campaniae a Romano ad Byzantinum Antiſtitem abductae ſunt, ut hactenus demonſtratum. Idem Hiſtoricus lib. VI. c. VII. §. I. ſcribit, in Leoniana, aliiſque Graecorum Notitiis inter Archiepiſcopatus CPolitano throno ſubiectos n. XIV. *Neapolim*, & n. XV. *Meſſanam* recenſeri. At in iis diſpoſitionibus de Neapoli *Piſidiae*, deque Meſene *Europae* agi, oſtenſum a nobis eſt cap. III. p. XCVI. in not. & hoc cap. IV. p. CI. in not. Haec praeterea ibidem habet: *Cum Graeci Saracenis & Longobardis Barium & Tranos, aliaſque Apuliae urbes eripuiſſent, earum etiam civitatum eccleſias patriarchae CPolitano ſubiectas fuiſſe. Theod. Balſamon in Expoſitione, quam ipſe imperante Andronico Palaeologo Seniore fecit ſedium patriarchatui CPolitano ſubiectarum, praeter Orientales enumerat inter Occidentales eccleſiam Barii num.* XXVI., *Trani num.* XLIV. . . . . *Hinc, uti teſtantur Beatillus in Hiſt. Barenſ.*

Antequam hinc abeam, praecipua Nili Doxopatrii mendacia in exponendis rebus ad utriuſque Regni eccleſias pertinen-

renſ. *lib.* I. *&* *Chioccarellus de epiſcop. Neapol. an.* DCCL. *in Archivo Barenſis eccleſiae multae ſervantur Graecae bullae originales , a Patriarchis CPolitanis expeditae Archiepiſcopis illius civitatis, quibus Archiepiſcopis electis confirmabatur electio: idque duravit per omne id tempus, quo Barium (effecta etiam metropolis non contemnendi Ducatus , ubi Graecus Magiſtratus reſedit) cum Apulia Graeco Imperio ſubfuit, & donec ab hac provincia Graeci depulſi non fuere per noſtros ſtrenuos Northmannos .* Eadem fere perhibet Hiſt. Civil. lib. VIII. ubi refellens Beatillum, qui Barenſem praeſulem ab Epiphanio patriarcha CPolitano an. DXXX. conſentiente pontifice Felice IV. Archiepiſcopi dignitatem obtinuiſſe contendit, inquit, ex Graecis quibuſdam Bullis in Barenſi Archivo extantibus oſtendi, Barenſem ſedem CPolitano throno ſubiectam fuiſſe quo tempore Graeci Barium tenuere, ac a Balſamone in diſpoſitione ſedium patriarchae CPolitano ſubiectarum Barium num. XXXI. & Tranium num. XLIV. recenſeri ait. Dum haec Iannonius congerit, fucum aut facit, aut ipſe patitur. Eruditi viri παρόραμα eſt, a Graecis Apulia potitis eccleſias Apulas Byzantino patriarchae ſuppoſitas fuiſſe; ii enim ea proceſſerunt oeconomia , nihil ut in Apulia , quantum ad eccleſiaſticam politiam , innovarent , ne Romanos pontifices ſibi infenſos redderent : quin Apuliae epiſcopos Romano metropolitae ſubditos privilegiis exornarunt. Deinde Barium numquam a Romana in CPolitanam ſedem traducta eſt, quamvis urbs Graecis ſubeſſet, ut oſtendunt ipſa nonnulla Graecorum diplomata e Barenſi Archivo evulgata. Porro nec diſpoſitio illa ſedium CPolitano patriarchae ſubditarum a Balſamone confecta eſt, nec in ea de Bario aut Trano mentio iniicitur, ſed de Berrhoea Macedoniae, ac Traianopoli Thraciae. Ea enim per Gentianum Hervetum inter opera Balſamonis p.1065. edita praeſcribitur: *Expoſitio eorum , qui ſubſunt throno patriarchali Reginae civitatum , edita regnante Domino Andronico Palaeologo Sene.* Hic Andronicus ab anno MCCLXXXII. ad MCCCXXVII. imperavit; Balſamon autem anno MCC. patriarcha Antiochenus erat, vixitque ad an. MCCIV. Non ergo ea ἔκθεσις a Balſamone edita eſt, nec Balsamon imperante Andronico Palaeologo Seniore vivebat. In hac vero diſpoſitione non Barium & Tranum Apuliae urbes, ſed Berrhoea Macedoniae, & Traianopolis Thraciae inter ſedes Byzantinae ſubditas recenſentur. Haec enim habet num. XXX. edit. Aſſeman. λ'. ἡ Βέῤῥοια, Ἐπισκοπὴ οὖσα τῆς ἁγιωτάτης Ἀρχιεπισκοπῆς Ἀχρίδος, εἰς Θρόνον λ'. προηχθη. XXX. *Berrhoea , ad ſanctiſſimum Archiepiſcopatum Achridis ſpectans, honore trigeſimi throni affecta eſt.* Et num. XLIV. μδ'. ἡ Τραϊανούπολις λζ' οὖσα , μδ'. γέγονεν. XLIV. *Traianopolis e* XXXVII. *loco ad* XLIV. *deſcendit.* Male Iannonius Barium Apuliae cum Berrhoea Macedoniae, & Tranum eiuſdem Apuliae cum Traianopoli Thraciae confundit. In Concilio Chalcedonenſi *Eutychianus Bareos*, in epiſtola Concilii Cyziceni ad Leonem Imp. *Dominus Bareos*, in Concilio CPno IV. *Paullus Bareos*, inque Pſeudo-Synodo Photiana *Stephanus Bareos* occurrunt. At ii non ad Barim Apuliae, ſed Helleſponti ſub Cyzico pertinent, uti videre eſt apud Le Quien Orient. Chriſt. tom. I. pag. 1048. & Carolum a s. Paullo in Appendic. pag. 34. Neque reggeras, Tranum Apuliae *Traianopolim* dictam fuiſſe, utpote condita *a Tyrrheno filio Diomedis , & a Traiano inſtaurata*, ut habet inſcriptio ſupra fores ci-

tibus, velut ἐν τῷ παρέργῳ ſunt explodenda, ne cui rerum noſtrarum ſtudioſo Graeculus eſſe fraudi queat. Hic itaque agens περὶ τῶν ἐπαρχιῶν καὶ πόλεων τῶν ὑποτεθεισῶν τῷ θρόνῳ Κωνσταντινουπόλεως, καὶ πῶς ὑποτίθενται, *de provinciis & urbibus throno CPolitano ſubiectis, & quomodo ſe ſubiecerint*, ex veteribus Tacticis ſedium CPolitano throno ſubditarum tradit, in Sicilia unum fuiſſe metropolitam Syracuſanum, reliquas vero Siciliae eccleſias ſub Syracuſana metropoli fuiſſe, unumque Archiepiſcopum Catanenſem; in Calabria autem metropolitas duos Reginum, & ſanctae Severinae. Tum ſubdit: ὑποτεθεῖσαι γὰρ καὶ ὁ τῆς Σικελίας θρόνος, καὶ ὁ τῆς Καλαβρίας, καὶ ὁ τῆς Ἁγίας Σεβηρίνης τῷ Κωνσταντινουπόλεως, ἀποσπασθέντες τῆς Ῥώμης, ὅτε Βάρβαροι κατέσχον τὸν Πάπαν, καὶ τὴν Ῥώμην ἠχμαλώτευσαν καὶ ἰδιοποιήσαντο. *Adnexae itaque Siciliae, Calabriae, ſanctaeque Severinae ſedes throno CPolitano, a Romano avulſae, quum Barbari deprehenſo Papa Romam ſpolium factam in proprios uſus converterunt.* Hic bis labitur Nilus. Semel, dum ſanctam Severinam a Romana Sede avulſam perhibet; ea enim non metropolitica modo, ſed & epiſcopalis ſedes ab ipſis Graecis eſt facta; adeoque numquam avulſa. Iterum, dum has Siciliae & Calabriae ſedes tunc a Romana divulſas nugatur, cum Barbari, prehenſo Papa, Romam depopulati ſunt, atque occuparunt; nunquam enim Romanus pontifex adeo liber ab omnium ditione fuit, immo numquam antea in urbe Roma eiuſque diſtrictu dominationem adeptus eſt, niſi quum ſub Leone Iſauro illa eccleſia-

civitatis poſita. Quidquid enim de hac Tranenſium traditione ſit, certum exploratumque eſt, Traianopolim in Andronici diſpoſitione non Italicam, ſed Graecam urbem eſſe; nam eam locum XXXVII. antea habuiſſe ſcribit, nempe in Leoniana διατυπώσει, in qua exponitur, quaenam ea metropolis fuerit: τῆς Τραϊανουπόλεως. Ῥοδόπης, α. ὁ Διδυμοτείχου. β. ὁ Μάκρης &c. *Traianopoleos, Rhodopae.* I. *Didymotichi.* II. *Macrae.* III. *Miſinopolis.* IV. *Anaſtaſiopolis.* V. *Pororum.* VI. *Xanthiae.* VII. *Peritheorii.* VIII. *Theodorii.* Idem Andronicus loquens de epiſcopatibus, qui metropolitae honorem conſecuti ſunt, apud Gretſer. p.129. ait: ἀπὸ τῆς Τραϊανουπόλεως, ὁ Διδυμοτείχου, ὁ Μάκρης, ὁ Ξανθείας, καὶ ὁ Περιθεωρίου, *ex Traianopoli, Antiſtes Didymotichi, Macrae, Xantheae, & Peritheorii.* Ex provincia Rhodope, cuius Traianopolis metropolis dicitur, & epiſcopatibus, qui recenſentur, conſtat, de Traianopoli Thraciae, non Apuliae Andronicum accipiendum eſſe. Tandem recte Iannonius cit. lib. VIII. probat adverſus Beatillum, Barenſem eccleſiam Archiepiſcopatus honorem a CPolitano patriarcha an. DXXX. haud obtinuiſſe. At ipſe ſibi non conſtat Iannonius lib. IV. ubi ipſius Beatilli teſtimonio Barenſi Sedi tam antiquam Archiepiſcopi dignitatem adſerit.

Digitized by Google

cleſiarum avulſio contigit ; tunc enim primum Romanus Ducatus excuſſo *Barbarorum*, h.e. Iconomachorum iugo, Pontifici ſe ſubmiſit : quam ob cauſſam Iſaurus eccleſias Illyricianas, Calabras & Siculas a Romana ſede in Byzantinam transſcripſit. Pergit Nilus : πλην προ τουτου ὁ Παπας ἐνεργησας, κατεχων μερη τινα ἰσχνα και ἐπισκοπας ἐκ μερους τινας ἐν Σικελια, και Καλαβρια· τας γαρ μητροπολεις και τας ἐν αὐταις ἐξοχωτερας κατειχεν ὁ Κωνσταντινουπολεως, μεχρι της των Φραγκων ἐλευσεως. *Nihilominus Pontifex viles quaſdam partes & epiſcopatus nonnullos in Sicilia & Calabria habere deprehenditur ; metropoles enim & urbes in ea illuſtriores ac digniores CPolitanus poſſidebat uſque ad Francorum* (Northmannos intelligit, qui e Francia in Italiam advenerant) *adventum*. Nae Graeculus ſplendide mentitur ; ſingulae enim Calabriae ac Siciliae ſedes a Leone Iſauro a Romana eccleſia avulſae, CPolitano patriarchae paruerunt ad Northmannos uſque, qui Calabria & Sicilia potiti eas Romano pontifici reddiderunt. E veſtigio ſubdit : Α'λλα και ἐν τῃ Λογγιβαρδια, τῃ Α'πουλια, και πασαις ταις ὁλαις χωραις, τας μεν παραλιας μητροπολεις ὑπερεσχετο πρωην κατεχων ὁ Κωνσταντινουπολεως, τας δε λοιπας ὁ Ῥωμης. ὡς και ουτως τας χωρας ἐκ δυο ἀνα μερος κρατειν. *Sic etiam in Longobardia, & Apulia, & in omnibus iis regionibus maritimas metropoles antea poſſidebat CPolitanus, reliquas Romanus, ut regiones illae per partes poſſiderentur*. Verum durante Ducatu Beneventano potior digniorque Apuliae pars Romano pontifici adhaeſit : ut & Ducatus Neapolitanus cum ſuis adpendicibus. Hydrunte autem excepta cum Callipoli & Ruſiano, aliiſque Calabriae ulterioris oppidis, Tarentum, Brunduſium, & reliquae Apuliae urbes ad Beneventanos Duces ut plurimum pertinebant. Porro brevi illo temporis ſpatio, quo Longobardiam poſſederunt Graeci, nihil a Strategis in eccleſiaſtica politia immutatum, uti ſupra oſtenſum. Quare excepta Hydruntina, omnes Apuliae ſedes Barenſis, Tranenſis, Sipontina, Brunduſina, & Tarentina Romano pontifici ſemper adhaeſerunt, quamquam Graecis per aliquot annos ſubiectae. Mox addit Nilus : Ε'πει γαρ το Δικαιον πασης Λογγιβαρδιας της παλαιας Ἑλλαδος ὑπηρ ἠν ὑπο τῳ Βασιλει Κωνσταντινουπολεως, ὁ δε Παπας κεχωρισμενος ἠν, και ὑπο ἑτερα ἐθνη διηλθεν, δια τουτο και ὁ Πατριαρχης εἰχε τας ἐκκλησιας. *Quum autem univerſae Longo-*

gobardiae Ducatus , quae vetus Hellas erat , ſub Imperatore erat CPolitano , Papa vero ſeparatus ſub aliis gentibus vivebat , propterea Patriarcha eccleſias obtinebat . In his verbis σφάλματα plura . Primum Nilus *veterem Helladem* , h. e. *Magnam Graeciam* ad univerſae Longobardiae Ducatum extendit ; ſcilicet *Magnae Graeciae* nomine comprehendi vult quidquid terrarum eſt ab initio Apuliae uſque ad fines novae Calabriae , ſive a Siponto ad ſuperum mare uſque ad Leucopetram , & a Neapoli ad inferum mare, uſque ad Regium. At anguſtiores etiam olim *Magnae Graeciae* fines fuerunt , ut apud Cellarium (17) videre eſt . Deinde Nilus adfirmat , univerſae Longobardiae Ducatum ſub Imp. CPno fuiſſe: quod verum non eſt, ſi Apuliam cum Calabria intelligit; nam praecipuas Apuliae partes Longobardi ſemper obtinuere , praeterquam ab anno DCCCXCI. ad DCCCXCV. quo vertente tempore Graeci Beneventum tenuerunt: inſuper a Salerno uſque ad Conſentiam iidem Longobardi ad mare inferum tenebant . Quare Nilus debuerat tempora diſtinguere , nec Beneventano , Salernitano , & Capuano Principatibus omiſſis , totam eam Italiae partem Byzantino Imperio tribuere . Nugatur porro Graeculus , Papam tunc temporis ſeparatum ſub aliis gentibus vixiſſe ; nam ab an. DLXXI. ad MLXXIII. quo Beneventanus Ducatus ſtetit , Romanus pontifex aut Romae ſedit imperantibus Graecis Auguſtis , nempe ab anno DLXXI. ad DCCXXX. ; aut ipſe rerum potitus eſt , nempe a Leone Iſauro ad noſtra tempora . Continuo ſubdit Nilus : Καὶ τὸ Βρονδήσιον γὰρ καὶ ὁ Τάραντος ἀπὸ Κωνσταντινουπόλεως ἐδέχοντο Ἱερεῖς, καὶ τοῦτο οὐδεὶς ἀγνοεῖ. μεθ' ὃ δὲ οἱ Φράγκοι τὸ τοιοῦτον Δουκᾶτον, τότε ὁ Ῥώμης ἐχειροτόνησεν εἰς πάσας τὰς τοιαύτας ἐκκλησίας. *Nam Brunduſium & Tarentum a CPno Sacerdotes accipiebant ; idque nullum latet . Quum vero Franci* (Northmanni) *hunc Ducatum occuparunt , tunc Romanus in omnibus hiſce eccleſiis ordinationes tenuit* . Hic Graeculus more ſuo mentitur; nam Brunduſium, Tarentum, aliaeque Apuliae urbes , ſive cum Longobardis, ſive Graecis paruerunt, ſemper a Romano, numquam a Byzantino pontifice epiſcopos accepere . Quo factum, ut in Leonis, Andronici, aliiſque Graecis diſpoſitionibus Tarentum, Brundu-

(17) Geograph. antiq. lib. II. cap. IX. p.636.

duſium, aliaeque Apuliae ſedes numquam inter metropoles aut Archiepiſcopatus CPno throno ſubditos referantur, ut Hydruntum, Regium, & Sancta Severina in iiſdem enumerantur. Tandem Nilus opuſculum de quinque thronis patriarchalibus conſcripſit ſub Rogerio Siciliae Rege an. MCXLIII., hoc eſt eo tempore, quo ſurreptae Calabriae ac Siciliae eccleſiae iam fuerant Romano pontifici reſtitutae opera Rogerii Siciliae Comitis, & Roberti Wiſcardi Apuliae & Calabriae Ducis; ita ut nulla uſpiam ſedes eſſet, quae Byzantino patriarchae tunc ſubiaceret. Et tamen Graecus homo de iis paſſim loquitur perinde ac ſi adhuc iuris Graecorum eſſent. Mitto cetera Nili mendacia, quae aut alibi a nobis animadverſa ſunt; aut ab erudito lectore facile deprehenduntur. Quid ei facias, qui voluit cum ratione inſanire, poſteriſque illudere poſſe ſibi temere adblanditus eſt?

C A P. V.

De avulſis Calabriae ac Siciliae eccleſiis Romano pontifici reſtitutis.

QVas Calabriae ac Siciliae eccleſias a Romana ſede abſtractas CPolitano throno Leo Iſaurus adiecit, eas patriarcha Byzantinus, Graecorum Caeſarum potentia fretus, per tria circiter ſaecula mordicus retinuit. Hoc Graecorum facinus Romani Pontifices acerbe ferentes, non ſemel ablatas eccleſias a Graecis Auguſtis ſibi reſtitui poſtularunt, nec ipſorum expoſtulationes effectum umquam conſequutae ab Imperatoribus, ut ut orthodoxam fidem colentibus; quippe qui dioeceſeon poſſeſſionem inter ἀδιάφορα habuerunt. Hadrianus I. (1) per Legatos ſuos ad ſeptimam Synodum oecumenicam litteras ad Conſtantinum & Irenem anno DCCLXXXV. dedit, quibus ablata a Graecis Romanae eccleſiae patrimonia & ſedes reſtitui flagitavit: *Porro & hoc veſtrum a Deo coronatum & piiſſimum poſcimus imperium, ut ſi veram & orthodoxam ſanctae catholicae eccleſiae Romanae nitimini amplecti fidem, ſicut antiquitus ab orthodoxis Imperatoribus, ſeu a ceteris chri-*

(1) Ep. ad Conſtantin. & Irenem, apud Harduin. Conc. tom. IV. col. 94.

Digitized by Google

chriſtianis fidelibus oblata, *atque conceſſa ſunt* PATRIMONIA B. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS *fautoris veſtri*, *in integrum nobis reſtituere dignemini*, *pro luminarium concinnationibus eidem Dei eccleſiae*, *atque alimoniis pauperum*. *Immo & CONSECRATIONES ARCHIEPISCOPORVM ET EPISCOPORVM*, *ſicut olitana conſtat traditio*, *noſtrae dioeceſis exiſtentes penitus canonice s. Romanae reſtituantur eccleſiae*. At ne reſponſum quidem ab iis Auguſtis accepit Hadrianus, nec ulla eius poſtulationis ratio in VII. Synodo a Graecis eſt habita: quod idem queritur Pontifex ad Carolum M. ſcribens (2): *Nos vero pro eadem Synodo* (ſeptima) *nullum reſponſum eidem Imperatori reddidimus*, *metuentes ne ad eorum revertatur errorem*. *Dudum quippe quando eos pro ſacris imaginibus* (ſic) *erectione adhortati ſumus*, *ſimili modo & de* DIOECESI TAM ARCHIEPISCOPORVM, QVAM EPISCOPORVM SANCTAE CATHOLICAE ET APOSTOLICAE ROMANAE ECCLESIAE, *quae tunc cum patrimoniis noſtris abſtulerunt Graeci*, *quando ſacras imagines depoſuerunt*, *& nec reſponſum quodlibet exinde dederunt*. Quin Graecos eam Hadrianeae epiſtolae partem, quae perſonam Tharaſii e laico ad patriarchatum evecti, nomenque *oecumenici patriarchae* uſurpantis, ac dioeceſeon & patrimoniorum reſtitutionem ſpectabat, in ſeptima Synodo *nec recitari*, *nec actis inſeri paſſos fuiſſe*, teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius (3). Deinde Nicolaus I. an. DCCCLX. (4) a Michaële Aug. reſtitui petiit Romanae Sedi Illyricianas eccleſias, itemque *Calabritanum patrimonium*, *& Siculum*, ac praeterea *ut conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo* a Romana ſede impendatur. Tandem Leo IX. (5) a Conſtantino Monomacho an. MLIV. bona & iura Romanae Sedi a Graecis ademta reſtitui poſtulavit: *Collaborare nobis dignare*, *ad relevationem tuae matris ſactae eccleſiae*, *& privilegia dignitatis atque reverentiae eius*, *nec non ad patrimonia recuperanda in tuae ditionis partibus*, *ſicut*

(2) Ep. ad Carol. M. apud Harduin. ibid. col. 819.

(3) In Actis Septimae Synodi e Graeco in Latinum a ſe verſis apud Harduin. Conc. tom. IV. p. 94.

(4) Ep. ad Michaël. Imp. apud Harduin. Conc. tom. V. p. 225.

(5) Ep. ad Conſtantin. Monomach. apud Harduin. Conc. tom. VI. part. I. col. 960.

Digitized by Google

ſicut manifeſte cognoſcere potes ex venerabilium praedeceſſorum noſtrorum, & tuorum ſcriptis, & geſtis.

Verum quam pluries expetitam uſurpatarum ſedium ac iurium reſtitutionem a Graecis obtinere Romani pontifices non potuere, eam tandem Northmannorum virtute ac pietate ſaeculo undecimo conſecuti ſunt. Vt enim Northmanni loca Graecis ſubdita adquirebant, ita CPolitani patriarchae auctoritas in eccleſiis ibi poſitis ruebat, ac Romanus pontifex vetera iura ſua recuperabat. Primum ii Apulia & Calabria pulſis Graecis, tum Sicilia eiectis Saracenis potiti, avulſas ſedes Romano metropolitae reddiderunt. Paſchalis II. diplomate ad Petrum Scylacenum epiſcopum an.MCX. dato, Roberto Wiſcardo, qui an.MLXXXIV., eiuſque fratri Rogerio Comiti, qui an.MCI. obiit, acceptam fert libertatem a Romana ſede recuperatam exercendi veterem auctoritatem ſuam in Calabras eccleſias: *Quia ergo*, inquit, *Deo auctore per. ſtrenuiſſimorum fratrum Roberti quondam nobilis memoriae Ducis, & Rogerii Comitis labores atque victorias, tam ex illa* (Scylacena); *quam ex ceteris Calabrorum eccleſiis, Graecorum tyrannica ceſſavit invaſio. Nos..... ſtatuimus, ut ſicut tu, ita & tui deinceps ſucceſſores per manum ſemper Romanorum pontificum conſecrentur*. Ipſe Nilus Doxopatrius (6) in tempora Apuliae & Calabriae a Northmannis occupatae reſtitutionem avulſarum eccleſiarum Romano pontifici factam confert: *Cum Franci* (hoc eſt Northmanni) *hunc Ducatum* (Apuliae & Calabriae) *occuparunt, tunc Romanus in omnibus his eccleſiis ordinationes tenuit*. Et vero Romanum pontificem inde uſque ab anno MLXXXI. epiſcopos Calabriae conſecraſſe, liquet ex Gregorio VII. (7), qui rogatus a Roberto Comite, ut Miletenſem epiſcopum conſecraret, abnuit, donec illius conſecrationem ad Regienſem metropolitam non pertinere reſciret: *De eo autem, quod ſuper Electo Melitenſi poſtulaſti, noverit Nobilitas tua, nobis eſſe intimatum, ad ius eccleſiae Regitanae pertinere. Vnde non aliter annuendum poſtulationi tuae perpendimus, niſi diligenter examinata iuſtitia, Melitenſem eccleſiam ad praefatae Regitanae*

 paro-

(6) De quinq. thron. patriarchalib. ad Roger. Reg.

(7) Lib. IX. Regeſt. ep. XXIV.

Digitized by Google

parochiae conſecrationem non attinere conſtiterit. Idem pontifex rogatu eiuſdem Comitis electionem epiſcopi Troinenſis, quod ſine conſenſu Legati Apoſtolici & Pontificis peracta eſſet, reſcidit, ac Troinenſem epiſcopum ipſe conſecravit: *De cetero, quia Troinenſem electum a nobis conſecrari poſtulas, licet electioni eius hoc defuerit, quod Legatus Apoſtolicae Sedis, & conſenſus noſter non adfuit: tamen monentes, ne de cetero id fiat, tuae dilectioni, ipſiuſque perſonae laudabili teſtimonio ad id praeſens annuimus, ut veniens, Deo favente, per nos conſecretur*. Non pauca ſuperſunt diplomata, quibus Romanum pontificem ab anno uſque MLXXXI. & MLXXXII. Calabros Siculoſque praeſules Romae conſecraſſe docemur (8). Quin Northmanni non veteres modo eccleſias, ſed & novas in Calabria & Sicilia a ſe fundatas Romano pontifici ſubdiderunt. In diplomate Rogerii Comitis Anſgerio Catanenſi epiſcopo an. MXCI. dato (9) legitur: *Per diverſa loca Siciliae idoneas eccleſias aedificavi iuſſu Summi Pontificis Apoſtolici* (Vrbani II.), *& epiſcopos ibidem collocavi, ipſo eodemque Romanae ſedis Antiſtite & laudante, & concedente, & ipſos epiſcopos conſecrante* (*). DE

(8) Vid. Pirrum in Notit. eccleſ. Meſſanenſ., & Piccol. de antiq. iure eccleſ. Sicul. part. I. cap. V.

(9) Apud Pirrum tom. I. pag. 520.

(*) Chriſt. Lupus ſchol. ad can. VI. Concil. Sardic. contendit, Northmannos Calabria & Sicilia potitos, avertiſſe quidem a CPolitano patriarcha earum regionum epiſcopos; Romano autem pontifici non reddidiſſe ad Willielmum I. Siciliae Regem cognomento *Malum*, qui primus ius conſecrandi epiſcopos Calabros & Siculos Hadriano IV. reddidit. Nititur auctoritate Roberti de Monte, Supplem. ad Chronograph. Sigebert. Gemblacenſ. tom. II. Biblioth. Sicul. pag. 951., qui litteris prodit, Willielmum I. cum Hadriano I. *pacem feciſſe, concedendo ei conſecrationes epiſcoporum Regni ſui, & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit eccleſia Romana; unde diſcordia fuerat inter patrem ſuum Regem Rogerium, & Innocentium, & Eugenium Romanos pontifices*. At libertas conſecrandi epiſcopos Regni a Willielmo Romanae Sedi reſtituta nihil prorſus commune habet cum reſtitutione eccleſiarum a Graecis ablatarum, iamdiu a Northmannis Romanae eccleſiae facta, uti ſcite Baronius ad A. C. MCLV. & MCLVI. oſtendit. Inquit Robertus, Willielmum cum Hadriano *pacem feciſſe, concedendo ei conſecrationes epiſcoporum Regni ſui, & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit eccleſia Romana*. His verbis ſpectavit contentionem inter Willielmum I. & Hadrianum IV. inſtitutam, pacemque inter eos deinde initam. Scilicet mortuo Rogerio Willielmus filius Panormi an. MCLIV. Rex ſalutatur. Id ſine auctoritate ſua factum, aegre tulit Hadrianus; quare eum *Dominum Siciliae*, non *Regem* adpellavit in litteris Willielmo an. MCLV. per Henricum Cardinalem in Siciliam Legatum exhibitis, teſte Romualdo Salernitano in Chronic. apud Murator. S.R.I. tom. VII. Hinc turbae inter

Digitized by Google

DE ORTV ET PROGRESSV

METROPOLEΩN ECCLESIASTICARVM

IN REGNO NEAPOLITANO ET SICVLO.

PARS TERTIA,

IN QVA DE METROPOLITANIS ET ARCHIEPISCOPIS IN VTROQVE REGNO A ROMANIS PONTIFICIBVS INSTITVTIS, AVT CONFIRMATIS DISSERITVR.

NOndum confecta res eſt. Reſtat, ut metropoles & archiepiſcopatus in Regno Neapolitano & Siculo a Romanis pontificibus inſtitutos, aut confirmatos poſtremo loco recenſeamus. Ex iis, quae hactenus edißerta ſunt, plane conſtat, nullum prioribus decem eccleſiae ſaeculis metropolitanum & archiepiſcopum a Romanis pontificibus conſtitutum in utroque Regno fuiſſe; nonnullos vero a

inter Regem ac Pontificem obortae. Ille eodem anno MCLV. bellum in Romanam ditionem intulit, pluribuſque locis potitus eſt: hic vero in Regem anathema dixit, teſte Cardinali de Aragonia in vit. Hadriani IV. apud Murator. S.R.I. tom. III. part. I. Hac fervente controverſia regio edicto epiſcopis Regni interdictum, Romam conſecrationis gratia proficiſci. Inita ſequente anno MCLVI. Beneventi pace, Pontifex Willielmo *conceſſit Regnum Siciliae, & Ducatum Apuliae, & Principatum Capuae*, ut idem ſubdit Montenſis; Rex vero conſecrationes epiſcoporum Regni rurſus Pontifici reſtituit. Ecce tibi ipſa pactorum inter Hadrianum & Willielmum conventorum verba n. IV.: *Conſecrationes & viſitationes libere Romana eccleſia faciet Apuliae, vel Calabriae civitatum .... In Sicilia quoque Romana eccleſia conſecrationes & viſitationes habeat*. Continuo ſubdit Robertus: *Unde diſcordia fuerat inter patrem ſuum Rogerium, & Innocentium, & Eugenium Romanos pontifices*. Non ſub Willielmo ſolum, ſed & ſub Rogerio eius patre epiſcopis Regni vetitum, Romam conſecrationem accepturi pergere. Mortuo nimirum Willielmo Duce Apuliae, eius Ducatus inveſtituram Rogerio, adhuc Siciliae Comiti, negavit Honorius II., eumque an. MCXXVII. excommunicavit, *quia non permittebat, ut Siciliae epiſcopi venirent Romam*, ut inquit Romualdus cit. loc. Similia contigiſſe videntur inter eumdem Rogerium & Innocentium II., quod Anacleto Antipapae adhaeſerit, Regiſque titulum ab eo habuerit. Aliquas etiam inter ipſum Rogerium, & Eugenium III. de hac re diſſenſiones exarſiſſe, colligitur ex Romualdo in Chronic. ad an. MCL.: *Rex Rogerius*, inquit, *Archiepiſcopos & epiſcopos terrae ſuae a Papa Eugenio iuſſit conſecrari*.

Digitized by Google

CPolitanis patriarchis in Calabria & Sicilia tantum creatos; ſplendideque item mentiri eos, qui aut patriae amplificandae ornandaeque ſtudio, aut qua alia de cauſſa ducti, metropolitanos ab antiquiſſimis temporibus in provinciis noſtris admittunt. Tantum enim abeſt, ut Summi pontifices per priora decem ſaecula metropoliticum epiſcopis noſtris decus contulerint, quin potius ſummo ſtudio omnique animi labore curaverint, ut ius omne metropoliticum in cunctas Regni provincias apud Romanam ſedem unice reſideret: quod ex Gregorio M. compertum eſt. Quin nullis flecti vel Summorum Imperantium precibus potuiſſe, ut eiuſmodi praerogativam elargirentur, exemplo liquet Landulfi Capuani epiſcopi, qui gratia fretus Ludovici II. Imp. circa an. DCCCLXIII. quaeſivit quidem ab Iohanne VIII. pontifice, ut Capua metropolis fieret; ſed voti compos haud eſt factus. Ardua ſcilicet ac difficillima res erat, metropolitas in regionibus noſtris inſtituere ubi Romanus pontifex ab eccleſiae initiis eo iure fruebatur. Verum quam Romani Antiſtites praerogativam conſtanter denegaverant, eam primus omnium Iohannes XIII. qui ab anno DCCCCLXV. ad an. DCCCCLXXII. pontificatum geſſit, epiſcopis nonnullis Regni indulſit, ut Principibus de ſe optime meritis gratiam referret. Iohannis exemplo alii deinceps Romani pontifices metropolitas & archiepiſcopos ſimplices crearunt, tum ut Principum poſtulata facerent, tum ut epiſcopos harum provinciarum arctius ſibi adligarent; experti enim didicerant, metropolitanorum & archiepiſcoporum a CPolitano patriarcha pendentium favorem, Graecique ritus obſervationem, ad populos in fide Orientalis Imperii continendos prae militaribus copiis valuiſſe. Quin Romani pontifices pacis ſtudio prudenter inſervientes, ipſis Calabriae antiſtitibus metropolitani dignitatem a Graeco patriarcha ſibi donatam, diplomatibus ſuis confirmarunt. Ob hoc CPolitanorum ac Romanorum pontificum ſtudium inſtituendi metropolitanos & archiepiſcopos in his provinciis factum eſt, ut epiſcopatuum & metropoleon numerus apud nos adeo excreverit, nulla ut chriſtiana gens ſit, quae in hac re Regno noſtro non cedat. Hanc autem *inuſitatam metropoleon & epiſcopatuum multitudinem in Regno nunc Neapolitano magna ex parte profectam*

eſſe

eſſe ab illa Graecorum aemulatione, *qua certabant totidem quaſi vinculis opulentas has florentiſſimaſque tum civitates*, *tum provincias eccleſiae ſuae*, *Imperioque arctius adſtringere*, putat Thomaſſinus (1); nec aliter viſum Chriſtiano Lupo (2). Vere, an ſecus, alibi videbimus (3). Nunc in duodecim Regni Neapolitani provinciis centum plus minus epiſcopatus, metropoles octodecim, archiepiſcopatus tres ſunt; in Siculo autem epiſcopatus ſex, inque vicinis inſulis duo, *Meliteнſis* & *Liparitanus*, metropoles tres. Metropoles Regni Neapolitani hae ſunt. In Campania felice *Neapolis*, *Capua*, *Surrentum*. In Principatu citeriore *Salernum*, *Amalphis*, *Compſa*. In Principatu ulteriore *Beneventum*. In Baſilicata *Acheruntia & Matera*. In Calabria ulteriore *Regium*, & *Sancta-Severina*. In Calabria citeriore *Conſentia*. In Agro Hydruntino *Tarentum*, *Hydruntum*, & *Brunduſium*. In Agro Bariano *Barium*, *Tranum*, & *Manfredonia*. In Aprutio inferiore *Theate*. Archiepiſcopatus vero ſunt *Nazareth* in provincia Tranenſi, *Roſſanum* in provincia Conſentina, & *Anxanum* in provincia Theatina. Eccleſiaſticae Regni Siculi metropoles ſunt *Panormum*, *Meſſana*, & *Monſregalis*. In harum omnium origines inquiſituri, eo incedemus ordine, ut quae metropoles ceteris antiquitate praeſtant, eas fere potiori loco exponemus.

C A P. I.

De eccleſiaſticis Regni Neapolitani metropolibus, *ac primum Capuana*, *Beneventana*, *& Salernitana*.

PRima omnium ſedes in Regno Neapolitano metropolitica dignitate exornata a Romano Pontifice, Capuana eſt (*). Huic metropoliticum decus a Iohanne XIII. collatum

(1) De veter. & nov. eccleſ. diſcipl. part. 1. lib. 1. cap. 43. num. 12.

(2) In can. VI. Concil. Sardicenſ.

(3) In praef. operis noſtri *de epiſcopatib. Regn. Neap. & Sicul. quum veterib. tum nov.*

(*) Quaenam eccleſia in Regno Neapolitano prima omnium metropoliticam dignitatem ſit adepta, diſputant eruditi, praeſertim Capuani, & Beneventani. Tu ſic habe. Si de metropolibus a CPolitano patriarcha inſtitutis quaeratur, Regio in Brutiis (vid. part. II. cap. III.); ſin de erectis a Romano pontifice, Capuae in Campania huius dignitatis antiquitas adiudicanda eſt. Sane Ro-

tum conſtat ; ſed quo anno, non eadem eruditis inſedit opinio. Baronius (1), Peregrinius (2), Noriſius (3), Vghellus (4), Georgius (5), Nucaeus (6), Mazochius (7), aliique permulti ad annum DCCCCLXVIII. referunt. Contra Michaël Monachus (8), Matthaeus Lauretus (9), & Pompeius Sarnellius (10) in an. DCCCCLXXI. conferunt. Blondus (11) autem, aliique nonnulli Capuam anno DCCCCLXVII. archiepiſcepalem dignitate illuſtratam putant, dum Otho II. Imp. Romae coronaretur. Tandem Sigonius (12), Pagius uterque (13), Aſſemanus (14), ac Pratillus (15) ſtatuunt, Capuam metropolim

Romanorum antiſtitum beneficio primum Capua exeunte anno DCCCCLXVI. deinde Beneventum an. DCCCCLXIX., tum aliae Regni ſedes metropolica dignitate paſſim cohoneſtatae ſunt, ut tertia hac parte demonſtrabitur. Scite Baronius ad an. DCCCCLXVIII. n. 91: *Prima omnium*, inquit, *quod invenerim, eccleſia Capuana Archiepiſcopatus dignitate in Regno Neapolitano fuit illuſtrata*. Conſonat Georgius Exercit. de antiq. Ital. metropolib. cap. VII: *Quae urbs primum in Regno Neapolitano metropolis eccleſiaſticae dignitatem ſit nacta, quaeſiverunt eruditi. Decus hoc Capuae primum adiudicant Baronius ad an.* DCCCCLXVIII. *n. 91. & Noris. diſſ. de V. Synodo cap.* X. Tandem concludit: *Quae cum ita ſint, Capuae primum omnium ex urbibus Neapolitani Regni haec dignitas vindicanda. Neque hunc honorem primum adepta eſt Eccleſia Beneventana, ut contendit Pompeius Sarnellus &c.* Idem viſum Muratorio not. in Chronic. S. Sophiae Beneventi tom. I. Diſſert. medii aevi: *In Concilio Romano*, ait, *metropolitanae dignitas Beneventanae primum acceſſit eccleſiae, poſtquam iam Capuana ea praerogativa fuerat inſignita: quidquid perperam in Retractatione ſua dicat nuperus eruditus Criticus*, (Georgius). Hanc vero temporis praerogativam Beneventanae metropoli vindicant Marius de Vipera in *Hiſtor. chronolog. Epiſcopor. & Archiepiſc. Beneventan.*, Pompeius Sarnellius in *Chronolog. Epiſcopor. & Archiepiſcop. Beneventan.* p. 59., Dominicus Georgius *diſſertat. palinodica de Beneventan. metropol. origin.* (ubi magno Numine impellente a Baronii ſententia reſilivit, quam ambabus ulnis in *Exercitat. de antiquis Italiae metropolibus* exceperat), Orlendius in *Orbe Sacr. & profano*, ac Ioh. de Vita in *Diſſertationib. de Antiquit. Beneventan.* At hos aut patriae amor, aut ſummis viris obſequendi ſtudium egit tranſverſos. Viperae Peregrinius in *Diſcurſib. de Campania*, & *in Hiſtor. Princip. Longobard.*; Sarnellio autem, Georgio, aliiſque Pratillus *diſſ. de origin. metropol. eccleſ. Capuan.* iam abunde fecerunt.

(1) Ad an. DCCCCLVIII.

(2) Hiſt. Abbat. Caſſinenſ. in Aligerno.

(3) Diſſ. de V. Synod. cap. X.

(4) Ital. Sacr. tom. VI.

(5) De antiq. Ital. metropolib. cap. VII.

(6) Not. ad Oſtienſ. lib. II. cap. IX.

(7) Diſſ. de Cathed. eccleſ. Neap. part. II. cap. II. p. 115.

(8) In Sanctuar. Campan. p. 382.

(9) In Oſtienſ. lib. II. cap. IX.

(10) In chronol. Epiſcop. & Archiep. Benevent.

(11) Decad. II. lib. III.

(12) Lib. III. de Regno Ital. p. 433.

(13) Senior Critic. Baron. ad an. DCCCCLXV. num. 3. & an. DCCCCLVIII. n. 14. Iunior Breviar. Rom. Pontif. in Ioh. XIII.

(14) De reb. Neap. & Sicul. cap. XIX. p. 625. ſeq. tom I.

(15) Diſſ. de orig. metrop. eccleſ. Capuan.

Digitized by Google

lim effectam a Iohanne XIII. ſub finem anni DCCCCLXVI., ut gratiam referret Pandulfo Caputferreo Principi Capuano, a quo pontifex Roma pulſus liberaliter Capuae fuerat exceptus, ſedique ſuae reſtitutus, conſecrato in ipſa urbe Capua Archiepiſcopo Iohanne Pandulfi germano. Horum ſententiae lubens adſtipulor, quippe quae pluribus, iiſque idoneis fulcitur teſtimoniis. Agmen ducat Leo Oſtienſis (16), qui memoriae prodit: *Huius Abbatis* (Aligerni) *anno* XIX. (lege XVIII.) *Iohannes Papa* (XIII.) *de Roma exiliatus venit Capuam, & rogatus a praefato Principe Pandulfo tunc primum in eadem civitate Archiepiſcopum conſtituit, conſecrato ibi Iohanne fratre eiuſdem Principis Archiepiſcopo*. Quod Oſtienſis, idem ſcriptores alii perhibent. Chronographus Atinenſis, qui deſinente ſaeculo undecimo ſcripſit (17), haec habet: *Tempore Aligerni Abbatis Caſſinenſis* DECIMO OCTAVO ANNO *Iohannes XIII. Papa de Roma profectus venit Capuam; & rogatus a Pandulfo Principe, tunc primum in eadem civitatê Archiepiſcopum conſtituit, conſecrato ibi Iohanne fratre eiuſdem Principis Archiepiſcopo: cui etiam tradidit cum multis aliis civitatibus epiſcopatum Atinenſem*. Conſonat Romualdus Salernitanus, qui chronicon circa finem ſaeculi XII. conſcripſit, in an. DCCCCLXV. & DCCCCLXVI. (18), ubi poſtquam de Othonis Imp. adventu, & coronatione Romae a Iohanne XIII. peracta egiſſet, ſubdit: *Hic etiam* (Iohannes XIII.) *nobilitavit Capuam Archiepiſcopatu, in qua civitate tunc principabatur Pandulfus, cognomento Caputferreus*. Idem refert Chronographus Vulturnenſis (19): *Tunc temporis* (nempe anno DCCCCLXVI.) *Iohannes Papa de Roma exiliatus venit Capuam, & rogatus a Pandulfo Principe, tunc primum Archiepiſcopum in eadem civitate conſtituit, Iohanne eiuſdem Principis fratre inibi conſecrato*. Omnium vero adcuratiſſime rem complexus eſt Chronographus Monaſterii SS. Trinitatis Cavenſis, qui ſaeculo XII. & XIII. vixit (20): *Anno* DCCCCLXVI. *Papa Iohannes per multos menſes aegrotavit in Capua, & in ſo-*

(16) Chronic. Caſſinenſ. lib. II. cap. IX.

(17) Ext. apud Murator. S. R. I. tom. VII. p. 900.

(18) Ext. apud eumdem Murator. cit. tom. VII.

(19) Ext. in Hiſtor. Princip. Longobard. tom. IV. edit. Pratill.

(20) Ext. cit. tom. IV.

Digitized by Google

ſolepnitate Deiparae Virginis in Idus Auguſti cum multis epiſcopis & Abbatibus Iohannem germanum Pandulfi Principis fecit Capuae Archiepiſcopum, ſubiiciens illi decem epiſcopos. Poſt haec cum Pandulfo, & ſuis militibus Romam pergere voluit, ubi pacifice a Romanis acceptus eſt. Nec diſſentit Chronicon Comitum Capuae (21): *Cum Iohannes Apoſtolicus a Romanis nequiter fuiſſet expulſus, & Capuae ſe fugiens aſylaret, Pandulph ſtatim cum eo exercitum recollegit, & Romam indeptus eſt, ſuos emulos ceſus, & fugatus eſt. Propterea eius germanum Iohannem vir Apoſtolicus conſecravit in Aula Archiepiſcopum pro univerſo Principatu.*

Sunt vero qui deſcriptum Oſtienſis teſtimonium elevare connituntur, rati, hoc nobis erepto praeſidio, de Capuanae eccleſiae antiquitate actum eſſe. Nae ii magno conatu maximas agunt nugas. Aiunt nempe exilium Iohannis Papae componi haud poſſe cum anno decimo nono praefecturae Abbatis Aligerni. Etenim Iohannes epiſcopus Narnienſis Kal. Octobr. anni DCCCCLXV. pontifex inauguratus, ſtatim ac pontificatum ſuſcepit, *Maiores Romanorum elatiore animo quam oporteret inſequitur, quos in brevi inimiciſſimos & infeſtos patitur; nam ab Urbis Praefecto* (Petro), *& quodam Rotfredo* (Comite in Campania Romana) *comprehenditur, & Urbe expulſus in Campania cuſtodiae mancipatur*, inquit Continuator Reginonis (22). E cuſtodia, qua tenebatur, Capuam confugit, ubi a Pandulfo Principe Capuano perbenigne exceptus eſt, teſte Oſtienſi, aliiſque Chronologis ſupra relatis. Pontifex *per decem & amplius menſes in Campania afflictus eſt*, ut ait Hermannus Contractus (23). Exeunte autem anno DCCCCLXVI. Romam rediit, ac *tredecim ex Maioribus Romanorum* (idem ſubdit Continuator Reginonis), *qui auctores expulſionis Iohannis Papae fuerint, ſuſpendio interire iuſſit* Otho Imp., qui Romam ſub finem eius anni DCCCCLXVI. venit auxilio Pontificis. Ita compoſitis turbis Romae obortis pacifice deinceps ille Romanae eccleſiae praefuit. Exilium itaque

(21) Edidit Pratillus tom. III. Hiſtor. Princip. Longobard.

(22) Lib. II. inter Scriptor. Rer. Germanic. Piſtorii tom. I. p. 112.

(23) In Chronic.

Digitized by Google

que Iohannis XIII. deſinente anno DCCCCLXV., aut ineunte an. DCCCCLXVI. contigit, undecim circiter menſes duravit, ac exeunte anno DCCCCLXVI. Romae is erat. Iam vero Aligernus poſt obitum Abbatis Maielpoti ab Caſſinenſem praefecturam evectus eſt VIII. Kal. Novemb. an. DCCCCXLIX., & anno DCCCCLVI. die XXII. Novemb. deceſſit. Quare annus XIX. praefecturae Aligerni fuit annus DCCCCLXVIII., quo Iohannes Papa non exul, ſed Romae pacifice erat. Falſo igitur Oſtienſis refert, *Abbatis Aligerni anno* XIX. *Iohannem Papam de Roma exiliatum veniſſe Capuam*, *ibique Archiepiſcopum conſecraſſe*. Sane exilium Papae accidit anno XVI. aut XVII. Abbatis Aligerni, qui eſt annus Chr. DCCCCLXV., aut DCCCCLXVI.; erectio autem Capuanae metropoleos anno XIX. eiuſdem Aligerni, qui reſpondet anno Chr. DCCCCLXVIII. Aut ergo vera erit erectio metropoleos Capuanae ſine adiuncto exilii Papae; aut verum erit exilium Papae, non item erectio metropoleos. Ob implexam itaque rerum verborumque congeriem nihil certi colligi ex Oſtienſi poteſt, eique hac in re fides deneganda eſt.

Verum non uno Oſtienſis praeſidio nititur Capuanae metropoleos antiquitas, ſed tot idoneos habet praedes, quot ſupra congeſſimus. Porro ſi deſcriptus Oſtienſis textus uno mendo eluatur, omnis ſalva res erit. In eo enim pro τῷ Abbatis Aligerni *anno* XIX. legendum *anno* XVIII. Facile σφάλμα irrepere potuit Amanuenſium incuria, qui unam numeralem notam I. numero XVIII. adiunxerunt. Ita correcto textu, rite conveniunt omnia. Scilicet annus XVIII. Abbatis Aligerni, anno DCCCCXLIX. delecti, eſt annus DCCCCLXVI. (ſolent enim veteres Chronologi numerare annos, etiam non completos, ut innumeris docemur exemplis); quo anno contigit exilium Papae, mora in urbe Capua, & inſtitutio Capuanae metropoleos. Omnium de hac re dubium perimit Chronicon Atinenſe, ubi diſertis verbis refertur: *Tempore Aligerni Abbatis Caſſinenſis decimo octavo anno* Archiepiſcopum a Iohanne XIII. exule Capuae creatum. Conſonat Chronographus Cavenſis, qui diſerte teſtatur, Iohannem Capuae per multos menſes aegrotaſſe, ibique Archiepiſcopum creaſſe *anno* DCCCCLXVI., qui reſpondet anno XVIII. Abbatis Aligerni.

Scite Pagius Oſtienſis textum in mendo cubare ſcribit, ac pro *anno* XIX. Aligerni corrigi *anno* XVIII. iubet, qui reſpondet anno Ch. DCCCCLXVI., quo deſinente Iohannes XIII. Romam reverſus eſt: *At verum quidem*, inquit, *Iohannem XIII. hoc anno* DCCCCLXV. *Roma pulſum Capuam veniſſe, annoque ſequenti Romam rediiſſe, ut habet Baronius ex Continuatore Reginonis . . . . Quare in Leone Oſtienſi loco anni* XVIIII. *legendum* XVIII. . . . *Iohannes circa finem anni* DCCCCLXVI. *Romam reverſus eſt, tuncque Capua ab eo metropolitica dignitate exornata*. Iam vero Baronius cum ſenſiſſet difficultatem, quae ex allatis Oſtienſis verbis exurgit, monuit: *Porro conſignatum tempus* (hoc eſt an. DCCCCLXVIII., qui erat decimus nonus Aligerni) *non ad Iohannis exilium, quod longe ante contigit* (nempe anno DCCCCLXV.) *ſed ad collatam illi eccleſiae Archiepiſcopatus dignitatem referri neceſſario debet*. Peregrinus vero, ut nodum diſſolvat, τὸ *exulare* apud Oſtienſem interpretatur *extra ſolum ire*; tum erectionem metropoleos Capuanae non in annum DCCCCLXVI., quo Iohannes XIII. Capuae exul agebat, ac annus XVIII. Abbatis Aligerni erat; ſed in an. DCCCCLXVIII. confert, quo forte cum Othone I. Imp. Capuam pervenit. Eſt quidem cur hominis ingenium mireris; at eius interpretatio impropria & coacta vix punctum ferre poteſt. Quis enim concoquat, Oſtienſem iis verbis *Iohannes Papa* DE ROMA EXILIATVS *venit Capuam*, καταχρηστικῶς loquutum; praeſertim quum de vero Iohannis XIII. exilio nullus ſuperſit duoitandi locus? Uno correcto textus Oſtienſis mendo, tot maeandris non egemus.

Quae ut magis conſiſtant, audiendi nunc ſunt, qui in aliud ab anno DCCCCLXVI. tempus Capuanae metropoleos inſtitutionem coniiciunt. Baronii, aliorumque ſententiae, id factum aientium anno DCCCCLXVIII., quo Iohannes XIII. cum Othone I. Imp. Capuae moratus eſt, graviter obſtant Chronographi ſupra producti, qui Capuam metropolim effectam a Iohanne Papa, cum exul Capuae eſſet, uno omnes ore confitentur. Atqui Iohannem anno DCCCCLXV. Roma pulſum Capuae liberaliter exceptum, ac poſt undecim circiter menſium moram ibi tranſactam, exeunte anno DCCCCLXVI. Romam rediiſſe, ubi pacifice deinceps vixit,

Digitized by Google

xit, teſtatiſſima res eſt. Magis ergo eſt, ut in hunc annum DCCCCLXVI. Capuanae metropoleos erectio retrudatur. Graviſſime autem Baronio, aliiſque obſtat Chronographus Cavenſis, qui diſerte perhibet, *anno* DCCCCLXVI. *Iohannem per multos menſes Capuae aegrotaſſe*, ibique *feciſſe Capuae Archiepiſcopum*, *& poſt haec Romam rediiſſe*, *ubi pacifice a Romanis acceptus eſt*. Conſonat Chronographus Atinenſis, qui memoriae prodit, *tempore Aligerni Abbatis Caſſinenſis anno decimo octavo* (hic annus reſpondet anno Ch. DCCCCLXVI.) *Iohannem* XIII. *Papam de Roma profectum* (hoc eſt deturbatum) *veniſſe Capuam*, *& tunc primum in eadem civitate Archiepiſcopum conſtituiſſe*. Porro Iohannem XIII. anno DCCCCLXVIII. cum Othone I. Capuam veniſſe, quod Baronius tradit, nuſpiam ſcriptum eſt. In epiſtola Othonis Imp. ad Proceres Germaniae data xv. Kal. Februar. an. DCCCCLXVIII. nulla iniicitur mentio Iohannis Papae tamquam cum ipſo Imperatore Capuae agentis: nec Othonem tamquam Capuae praeſentem commemorat Leo Oſtienſis, Capuanae metropoleos inſtitutionem enarrans. Inſcite autem Michaël Monachus, aliique tradunt, Capuam in metropolim erectam anno DCCCCLXVIII., *vel iuxta recentiorem Chronici Caſſinenſis editionem*, *anno* DCCCCLXXI., *quando Iohannes cum Othone iterum Capuae manſit*; etenim anno DCCCCLXXI. nec Othonem Imp., nec Iohannem Papam Capuae fuiſſe, eorum geſta commonſtrant: anno autem DCCCCLXVIII. Otho quidem iuxta Capuam manſiſſe legitur, non item Iohannes pontifex. Tandem Romae Blondo adfirmanti, Capuam a Iohanne XIII. metropolim factam anno DCCCCLXVI. in Othonis II. coronationis celebritate, haud ſubſcribendum; nam Iohannem non Romae, ſed Capuae conſtitutum hanc illi dignitatem contuliſſe, locupletiſſimis Oſtienſis, aliorumque Chronographorum teſtimoniis evincitur.

Capuano metropolitae decem epiſcopi ab ipſo Iohanne XIII. contributi ſunt. Chronicon Comitum Capuae narrat, ab Iohanne pontifice conſecratum Iohannem Pandulfi Principis fratrem *in Aula Archiepiſcopum* PRO VNIBERSO PRINCIPATV, hoc eſt Capuano, ubi Pandulfus reſidebat, cui & Beneventanus tunc ſuberat. Chronicon autem Cavenſe haec habet: *Papa Iohan-*

 nes

nes germanum Pandulfi Principis fecit Capuae Archiepiſcopum; SVBIICIENS ILLI DECEM EPISCOPOS. Vt Chronographo Comitum Capuanorum conſtet cum Chronographo Cavenſi, ſuſpicari potes, non niſi decem in toto Principatu Longobardico epiſcopatus tunc temporis extitiſſe, ob varias, quas antea a Graecis, Saracenis, aliiſque Barbaris paſſus fuerat, calamitates: itaque *pro uniberſo Principatu* in Chronico Comitum Capuenſium explicari per *decem epiſcopos* in Chronico Cavenſi. Inter hos Atinenſem cathedram exprimit Chronographus Atinenſis, dum ait, Iohannem XIII. conſecrato Iohanni Pandulfi Principis fratri Archiepiſcopo Capuano *etiam tradidiſſe cum multis aliis civitatibus epiſcopatum Atinenſem*; qui tamen ab aevo Innocentii III. ſuppreſſus eſt. Tractu temporis novi in hoc Principatu inſtituti epiſcopi Capuano metropolitae adſcripti ſunt. In Notitia quinque Patriarchatuum (24) legitur: *Archiepiſcopus Capuanus hos habet ſuffraganeos: Theanenſem, Calvenſem, Calmenſem, Caſertanum, Soranum, Caiaeztenſem, Sueſſanum, Venafreanum, Aquetenſem*. Et in Notitia e Bibliotheca Thuana eruta (25): *Archiepiſcopus Capuanus hos habet ſuffraganeos: Theanenſem, Caſertanum, Aquinatem, Calvenſem, Sueſſanum, Iſernienſem, Calunilenſem, Venafranum*, Porro Aquinum, Fundi, Caieta, Sora, Sueſſa a Capuano, cui ſuberant, metropolitano ſubducti ſunt, & Romano adſcripti. Nunc ſub Capuana metropoli ſunt epiſcopi ſex, Calatinus, Calenus, Calvenſis, Caſertanus, Theanenſis, & Venafranus.

Poſt Capuam metropolitica Beneventanae Sedi dignitas acceſſit anno DCCCCLXIX. beneficio eiuſdem Iohannis XIII. in Synodo Romae celebrata, rogatu Othonis I. Imp., qui tunc Romae aderat, poſtulante Pandulfo Caputferreo Principe Capuano ac Beneventano, primuſque Beneventi Archiepiſcopus renuntiatus eſt Landulfus ipſius Pandulfi Principis filius. Acta huius Romani Concilii temporis iniuria interciderunt. Tantum bulla erectionis Beneventanae metropoleos in ea Synodo factae ad nos pervenit

(24) Hanc e Codice Regiae Bibliothecae in lucem extulit Carolus a s. Paullo Geograph. eccleſ. tom. I. in Parergo p. 53.

(25) Hanc alteram Notitiam e Codice Bibliothecae Thuanae idem edidit Carolus a s. Paullo cit. loc. p. 65.

Digitized by Google

venit (26). Epiſtolam nempe Iohannes XIII. dat recens electo in eius eccleſiae metropolitanum: *Iohannes epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectiſſimo nobis Landulfo venerabilis Beneventanenſis & Sipontinae ſanctae Eccleſiae, & modo per noſtrae Apoſtolicae conceſſionem Archiepiſcopo*. In ea inquit, ſe Beneventanam cathedram hortatu Othonis I. Imp. in metropolim erexiſſe: *Praeſidentibus nobis in ſancta Synodo acta ante confeſſionem B. Petri Apoſtolorum Principis ſeptimo Kalendas Iunias, praeſente Domno Ottone glorioſiſſimo Imperatore Auguſto Romanorum &c. hortatu benigno ipſius praefati Domni Ottonis clementiſſimi Imperatoris Auguſti &c. intervenientibus Pandulfo Beneventanae, & Capuanae urbium Principe, ſeu Spoleti, & Camerini Ducatus Marchione & Duce, ſimulque & Landulfo excellentiſſimo principe filio eius &c.* Tum Beneventanae metropoli decem ſubiicit epiſcopos, palliumque Landulfo mittit, & quibus diebus eo ad ſacrum uti liceat, praeſcribit. In fine legitur: *Dat. VII. Kalendas Iunii Anno pontificatus Domni noſtri Iohannis XIII. Papae IV. Imperatoris Othonis Maioris VII. & Minoris II. Indictione XII. Anno Dominicae Incarnationis* DCCCCLXIX. Iam vero Chronographus Monaſterii S. Sophiae Beneventi (27) in annum DCCCCLXX. Beneventanae metropoleos inſtitutionem confert: *Anno* DCCCCLXX., ait, *Papa Iohannes* (*XIII.*) *primum conſecravit Landulfum Archiepiſcopum Beneventanum*. Sed quum ex allata Iohannis XIII. epiſtola metropoliticum Beneventanae Sedi decus anno DCCCCLXIX. collatum pateat, in praecedentem annum retrudendum eſt, quod in hunc annum DCCCCLXX. Chronographus ille conſignavit. Beneventanae metropoleos iura Iohannes XIV., Gregorius V., aliique pontifices diplomatibus ſuis confirmarunt (28).

Olim Beneventano metropolitae parebant epiſcopi permulti; eiuſque provincia per Samnium, Apuliam, & Aprutium latiſſime patebat. Decem ſuffraganeas eccleſias Landulfo ad Capuae Archiepiſcopatum evecto adſignavit Iohannes XIII. cum poteſta-
te

(26) Ext. apud Labb. Concil. tom. IX. col. 1238:

(27) Ext. in Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. p. 361. edit. Pratill. & Murator. diſſ. Italic. medii aevi tom. I.

(28) Vid. Vghell. Italiae Sacr. tom. VI.

Digitized by Google

te epiſcopos in iis conſecrandi (29): *Epiſcopos conſecrare, qui veſtrae ſubiaceant ditioni, ſcilicet s. Agathae, Abellini, Quintodecimi, Ariani, Aſculi, Bibini, Vulturariae, Larini, Teleſiae, Aliphi ... confirmamuſque tibi ſimiliter Sipontum, & eccleſiam s. Michaëlis in Gargano*. Deinde ſuffraganeorum numerus excrevit. Sequentes ſuffraganei recenſentur in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Beneventanus hos habet ſuffraganeos: Teleſinum, s. Agathes; Aliſienſem, Montis Marenenſem, Montis Corvinum, Avellinum, Vitanum, Avenenſem, Binarienſem, Aſculenum, Licberinum, Torribulenſem, Draconarienſem, Vulturanum, Alarinum, Civitatenenſem, Termolenſem, Frequentinum, Buninenſenſem, Wardienſem, Muſanenſem*. In Notitia e Bibliotheca Thuana edita hi afferuntur: *Archiepiſcopus Beneventanus hos habet ſuffraganeos: Teleſinum, Montis Marini, Vicanum, Aſculenſem, Dragonarienſem, Florentinum, Termolenſem, Bivinenſem, s. Agathae, Montis Corvini, Arianenſem, Lucerinum, Vulturanenſem, Civitatenſem, Frequentinum, Warclienſem, Aliphanum, Avellinum, Boianenſem, Tortibulenſem, Alarinum, Liſienſem, Terventinum, Muſanenſem*. Conſonat Provinciale Romanum Leonis X. iuſſu anno MDXIV. editum: *Archiepiſcopus Beneventan, cuius civitas eſt Romanae Eccleſiae, hos habet ſuffraganeos: Theleſin, s. Agathenen, Maphan, Montis Marani, Montis Corvini, Avellin, Vicen, Arianen, Boianen, Aſculen, Tortibulen, Civitatis s. Mariae (olim ſcribebatur civitas Lucerin, & ſcribebatur epiſcopo Lucerin) Dragonarien, Vulturarien, Leſinen, Frequentin, Treventin, Banuen, Guardien*. Poſtea epiſcopatuum alii aliis temporibus abſtracti, alii ſuppreſſi; ſicque anguſtioribus finibus definita provincia eſt. Nunc huic Sedes Beneventanae ſubſunt: Abellinum, cui Frequentum adiunctum, Alipha, Arianum, Aſculum, Boianum, Bovinum, Guardia, Larinum, Luceria, Mons Marianus, s. Agatha, s. Severus, Termulae, Trevicum, Vulturaria, cui adiunctus Mons Corbinus.

Poſt Beneventum Salerno, Principatus titulo nobili, nec Capua & Benevento ulla re inferiori, metropoliticam dignitatem con-

(29) Vide bullam Iohannis XIII. apud Labb. cit. loc.

Digitized by Google

contulit pontifex Iohannes xv. anno DCCCCLXXXVI. (*), Principe Salernitano Iohanne II., creato primum Archiepiſcopo Amato. Haec diſertis verbis enarrat Chronicon Cavenſe (30). Inquit enim in an. DCCCCLXXXIII: *Salernitani ſuos Principes expellunt; & in eorum Principem extulerunt Iohannem de Lamberto Tuſcanenſe in pridie Kl. Ianuarias. Eius urbis epiſcopus Amatus Romam ad Pontificem* (ſedebat tunc Benedictus VII., qui anno DCCCCLXXXIV. obiit) *fugit per mare*. Hoc igitur anno Amatus Salernitanus erat epiſcopus, non Archiepiſcopus. Deinde in an. DCCCCLXXXVI. haec habet: *Amatus Eps. Salernitanus factus eſt in ſua Sede Archie-*

(*) Putat Ughellus Ital. Sacr. tom. VII. de Archiepiſcop. Salernit. in metropolim Salernum a Benedicto VII.P. an. DCCCCLXXXIV. erectam, ac Amatum primum fuiſſe eius Archiepiſcopum: *Amatus*, inquit, *ultimus Salernitanus epiſcopus praefuit poſt annum* DCCCCXXXI. *Eum fuiſſe primum Archiepiſcopum conſtat cum ex Benedicti VII. privilegio, qui anno* DCCCCLXXXIV. *Salernum Archiepiſcopatu nobilitavit, tum ex bulla Iohannis XV. ad Grimoaldum Archiepiſcopum Salernitanum an.* DCCCCXCIII. *quae eiuſdem Amati mentionem facit. Iohannes Princeps tunc Salerni erat, eiuſque opera Salernitanae eccleſiae Archiepiſcopatus iura delata fuerunt*. Ughello adſtipulantur Bollandus tom. II. ad XV. Iun. not. ad Acta translation. corpor. SS. Viti, Modeſti, & Creſcentiae Martyr. n. 8: *Aiſt ante annum* DCCCCLXXXIV. *Archiepiſcopi titulum ignoravit Salernum, eo primum donatum a Benedicto P. VII.* In eadem ſententia eſt Iannonius Hiſt. Civil. Regn. Neapolit. lib. II. cap. 8. & lib. VIII. cap. 4., ubi Amatum Salernitanum Archiepiſcopi dignitate a Benedicto V. (lege VII.) an. DCCCCLXXXIV. donatum ait. Nec multum abludit Cantelius Hiſtor. metropolit. urb. part. III. diſſ. III. cap. 7: *Amatum*, inquit, *Salerni primum fuiſſe Archiepiſcopum anno circiter* DCCCCLXXXIII. *duo ſunt, quae nobis fidem faciunt, datum a Benedicto VII. privilegium, & Iohannis XV. diploma: ex quibus intelligere licet Iohannis ſub haec tempora Principis Salernitani precibus indulſiſſe Benedictum VII., iam Principatus titulo nobile, & Capua nulla re inferius, Archiepiſcopatus dignitate ornaretur*. Iam vero Ughellus huius ſententiae ſignifer laudat quidem bullam erectionis Salernitanae metropoleos; ſed eamdem, ut aequum erat, non affert. Hinc iure Muratorius ad an. DCCCCLXXXIV. tom. V. Annal. Ital. p. 913. ſuum ſuſtinet adſenſum circa tempus, quo Salernitana metropolis erecta eſt: *Contendit Ughellus*, inquit, *hoc anno* (DCCCCLXXXIV.) *eccleſiam Salerni erectam a pontifice Benedicto VII. ad gradum archiepiſcopalem. Tantum citat, ſed non affert bullam ipſius pontificis, ut oportebat: adeoque iudicari nequit de tempore talis erectionis. Id certum eſt, Amatum, qui his temporibus vivebat, fuiſſe primum Archiepiſcopum eius civitatis, ac Principem* (Salernitanum) *tunc fuiſſe Iohannem II.* Verum ex Chronico Cavenſi iam producto compertum eſt, Salernum anno DCCCCLXXXVI. metropolim factam ab Iohanne XV., non autem anno DCCCCLXXXIV. a Benedicto VII., qui hoc anno VI. Idus Iulii deceſſit.

(30) In Hiſt. Princip. Longobard. tom. IV. p. 421. ſeq. edit. Pratill.

Digitized by Google

chiepiſcopus, & *ipſi ſubditur totus Principatus cum aſſenſu Papae Iohannis* (XV.), & *Principis* (Iohannis II.). In diplomate Eccleſiae s. Mariae de Donno an. Ch. DCCCCXC., ac diplomate Eccleſiae s. Mariae ultra fluvium Liſini anno DCCCCXCII. ſcripto, Amatus *Archiepiſcopus* Salernitanus appellatur. Hanc Salernitanae Sedis dignitatem Sergius IV. an. MXII., Clemens VI. anno MXLVIII., Leo IX. an. MLI., & Alexander II. an. MLXVII. diplomatibus ſuis confirmarunt. Id autem praecipui habuit Salernitanus metropolita, quod unus ex tot Regni Neapolitani praeſulibus Primatis per Lucaniam praerogativa exornatus ſit ab Urbano II. bulla Salerni an. MXCIX. data (31), qua Alphano II. Archiepiſcopo Salernitano, a quo fuerat hoſpitio exceptus, eiuſque ſucceſſoribus conceduntur iura Primatis: *Tibi deinceps, tuiſque ſucceſſoribus ſuper Compſanam, & Acheruntinam eccleſias, & earum ſuffraganeos Primatum gerere ex Apoſtolicae Sedis liberalitate concedimus . . . Tibi deinceps tuiſque ſucceſſoribus legitimis a Compſano, & Acheruntino Archiepiſcopo, quidquid reverentiae, quidquid ſubiectionis Primatibus perſolvendum, ſacrorum canonum decreta conſtituunt, perſolvatur*. Sed haec Salernitanae Sedis dignitas labente tempore deſiit; nuncque Salernitanus Antiſtes in octo, qui ei ex pluribus remanſerunt, epiſcopos metropolitica iura exercet.

Olim Salernitano Metropolitae paruerunt epiſcopi omnes Salernitani Principatus. In allato Chronici Cavenſis loco dicitur, Amato Archiepiſcopo primum creato ſubditum fuiſſe *totum Principatum*, hoc eſt univerſos Salernitani Principatus epiſcopos. Inter hos Conſentinus, Biſinianenſis, & Acheruntinus. Priores duo ſub Graecis Regienſi metropolitae; tertius autem Sanſeverinati ſuberat, uti Graecorum diatypoſes oſtendunt. Sane iamdiu ante annum DCCCLI. a Longobardis Conſentiam Graecis ereptam, & Salernitano tandem Principatui contributam, liquet ex Capitulari Radelchiſi Principis Beneventi, quo pactum diviſionis Principatus Beneventani firmavit cum Siconulpho Principe Saler-

(31) Ext. apud Vghell. Ital. Sacr. tom. VII. p. 393.

Salerni eo anno DCCCLI. (*). Sed & epiſcopi Compſanus, Paeſtanus, & Malvitenſis Salernitano metropolitae contributi ſunt, ut ex diplomate Sergii IV. an. MXII. Michaëli Archiepiſcopo Salernitano dato. His Nolanum epiſcopum addidit Clemens II. anno MXXXVII. In vetuſtis monumentis alii ſub Salernitana metropoli epiſcopi recenſentur. Ita in Notitia quinque Patriarchatuum ſcriptum eſt: *Archiepiſcopus Salernitanus hos habet ſuffraganeos: Caphtaquenſem, Policaſtrenſem, Nuſquatanum*, vel *Tuſcanum*, *Sarnenſem*, *Acerranenſem*, *Marſicenſem*, *Ravellenſem*. Huic congruit alia Notitia e Bibliotheca Thuana edita: *Archiepiſcopatus Salernitanus hos habet ſuffraganeos: Caputaquenſem, Sarnenſem, Ravellenſem, Policaſtrenſem, Acertanenſem, Nuſquitanum* vel *Nuſcanum, Marſicenſem*. Et in Provinciali Romano: *Archiepiſcopatus Salernitanus hos habet ſuffraganeos: Caputaquen, Policaſtren, Sarnen, Acernen, Marſicen, Rivellen (eſt exemtus), Ruſquiten, vel Muſtan, etiam eſt exemtus*). Labente tempore Salernitana metropolis anguſtioribus finibus ſenſim coërcita. Tres epiſcopi Conſentinus, Compſanus, & Acheruntius Archiepiſcopi creati ſunt. Epiſcopus Nolanus Neapolitano, Melphitanus, & Biſinianus Romano metropolitae contributi. Epiſcopus Paeſtanus, ac Malvitenſis ſuppreſſi ſunt. Nunc ſub Salernitano metropolita octo extant epiſcopi, *Acernenſis, Campanienſis, Caputaquenſis, Marſicenſis, Nucerinus, Nuſcenſis, Policaſtrenſis*, & *Sarnenſis*.

Hae itaque ſunt metropoles in tribus Principatibus Capuano, Beneventano, & Salernitano a Romanis pontificibus inſtitutae: primum nempe Capuana anno DCCCCLXVI., mox Beneventana an. DCCCCLXIX., tum Salernitana an. DCCCCLXXXVI. Capuanam erexit Iohannes XIII. ad gratiam Pandulfo Caputferreo Principi Capuano, a quo exul liberaliter Capuae fuerat exceptus, referendam. Beneventanam vero idem pontifex poſtulata faciens Othonis M., ac ipſius Pandulfi, qui Beneventani quoque Principatus dominus erat. Salernitanam Iohannes XV., precibus forte annuens

(*) Vide Pratillum in Hiſtor. Princip. Longobard. tom.v. not. ad Camilli Peregrinii diſſ.VI. quae eſt *de finib. Ducatus Beneventan. ad Orient.* pag. 221. ſeqq., ubi fines Salernitani Principatus exponit.

Digitized by Google

Iohannis II. Principis Salernitani. Nec aliam ob cauſſam haec geſta ſunt, quam ut genio gentis in his provinciis late dominantis Romani pontifices obſecundarent, praeſertim memorati Pandulfi, qui tribus Longobardicis Principatibus antea diviſis, Capuano, Beneventano, & Salernitano, unus tunc temporis praeerat; quin & Ducatui Spoletano, & Marchionatui Camerino (*). Hic erectionis trium harum metropoleon ordo obſervatus eſt in decreto *de electione Romani pontificis* edito in Concilio Lateranenſi ſub Nicolao II. an. MLIX., ubi poſt Cardinales ſubſcribunt in hunc modum Archiepiſcopi: *Wibertus Archiep. Ravennas. Dominicus Gradenſis Patriarcha. Hildeprandus Capuanus Archiep. Oldericus Beneventanus Archiep. Alphanus Salernitanus Archiep.* (**).

C A P. II.

De metropolibus Amalphitana, Neapolitana, & Surrentina.

NOn in tribus modo Longobardorum Principatibus Capuano, Beneventano, & Salernitano; ſed & in Ducatibus Amalphitano, Neapolitano, ac Surrentino, urbes principes metropoliticam a Romanis pontificibus dignitatem conſecutae ſunt. Amalphim Capuae, Benevento, ac Salerno opibus haud imparem, ad metropolim ſtatim poſt Salernum evexit idem Iohannes XV. anno DCCCCLXXXVII., Manſonis Ducis Amalphitani (qui Principatum Salernitanum aliquo tempore occupaverat), cleri & civium precibus permotus, Leone primum creato Archiepiſcopo, ut habet brevis hiſtoria Amalphitanorum praeſulum, & Vrſus presbyter (1). Hic Leo *Archiepiſcopum Amalphitanum* ſe ſubſcripſit in litteris Guaimarii Principis Salernitani Richerio Caſſinenſi Abbati datis circa annum MXL. de Amalphitana s. Nicolai eccleſia (***). Leoni poſt annum MXL. ſuc-

(*) Vide Hiſtoriam Princip. Longob. tom. IV. & V. edit. Pratill.

(**) Ita legitur in Chronico Farfenſi apud Murator. S. R. I. tom. II. part. II. p. 646.

(1) In Chronic. Amalphitan. praeſul.

(***) Hinc patet error Ughelli, qui Leonem hunc anno MXXX. deceſſiſſe ait, decennio nempe illius mortem anteverteng. Conf. Mabillon. de re diplomatic. in Appendic. p. 116.

ſucceſſit Laurentius, vir Graece Latineque doctiſſimus, quem *ſanctae & venerandae memoriae Amalphitanae Sedis Archiepiſcopum* adpellat Petrus Damianus (2). Idem pontifex Iohannes, qui Amalphim fecit metropolim, ut eſſent qui metropolitae Amalphitano ſubeſſent ſuffraganei, tres ſimul epiſcopatus inſtituit, Capreae, Litterae, & Minori, quibus Scalenſem paullo poſt addidit. Sic laudata Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Amalphitanus hos habet ſuffraganeos*: *Capcitanum*, *Scalenſem*, *Minorenſem*, *Lutaunum*. Conſonat Notitia e Bibliotheca Thuana eruta: *Archiepiſcopus Amalphitanus hos habet ſuffraganeos*: *Cappricanum*, *Litteranum*, *Scalenſem*, *Minorenſem*. Et in Provinciali Romano Leonis X. legitur: *Archiepiſcopus Amalphiten hos habet ſuffraganeos*: *Capritan*, *Scalen*, *Minoren*, *Literan*.

Neapolis quo anno, & a quo pontifice metropolis ſit facta, obſcurum eſt. Quid enim iuvat incerta pro certis venditare? (*)

 Il-

(2) In vita s. Odilonis Cluniacenſis Abbatis.

(*) In epocham conſtitutae Neapolitanae metropoleos anxie inquiſiverunt docti viri. Miraeus a Gregorio M. erectam ait. At ex ipſo Gregorio Neapolitanum, ceteroſque Campaniae, Regnique univerſi epiſcopos Romani metropolitae ſuffraganeos fuiſſe, apertiſſimum eſt. Nec quidquam obturbat Gregorius ipſe apud Gratianum cap. 1. de religioſ. domib., ubi victorem Neapolitanum *Archiepiſcopum* adpellat; nam locus a Gregorio adductus non eſt Gregorii I., ſed Gregorii VI., qui ab anno MXLV. ad MXLVI. ſedit, quo tempore Neapolitanae eccleſiae praeerat Victor Archiepiſcopus, ad quem Gregorius VI. ſcripſit. Nec item moratur Auctor vitae S. Willibaldi, qui *Neapolitanum*, & *Capuanum Archiepiſcopum* commemorat; is enim in ea tempora incidit, quibus Neapolis & Capua archiepiſcopali dignitate iam fulgebant, ac ſtilo ſui temporis vetera expreſſit. Vide huius diatribae part. 1. cap. v. Caracciolus de ſacr. Neapol. Eccleſ. lib. 1. ſtatuit, metropoliticam Neapoli dignitatem a Iohanne IX. circa an. DCCCCIV. collatam. Vno nititur teſtimonio Iohannis Monachi, qui ſub Paſchali II. circa an. MC. ſcripſit Auctarium ad Chronicon Authberti Abbatis Monaſterii S. Vincentii ad Fontes Vulturni, quod Muratorius e Codice Bibliothecae Barberinae edidit S.R.I. part. II. tom. I. Hic enim Monachus in *catalogo Romanorum pontificum*, quem libro primo eius Chronici praefixit, haec de Iohanne IX. habet: *Iohannes IX. Tiburtes ann. II. dies XV. ſepultus ad S. Petrum. Iſte Neapolis & Beneventi Archiepiſcopos fecit. Goldelperto Abbati privilegium dedit Ann.* DCCCC. *Indict.* III. At Iohannes Monachus egregie labitur; nam ante annum DCCCCLXVI. nullum in Regno metropolitam a Romano pontifice inſtitutum, conſtat. Ipſi Capuani, Beneventani, & Neapolitani praeſules in ſuis diplomatibus, inque pontificiis ad illos litteris ad annum DCCCCLXVI., & quod excurrit, numquam *Archiepiſcopi* appellantur. Neapolitani autem *epiſcopos* ſe ſubſcribunt in literis ad Iohannem Abbatem S. Severini anno DCCCCXXXVII. ſcriptis, inque diplomate mo-

Digitized by Google

Illud liquet, eiuſmodi dignitate caruiſſe ad Athanaſium III., qui tum in litteris ad Iohannem Abbatem s. Severini an. DCCCCXXXVII. *ſan-*

monaſterio SS. Feſti & Deſiderii anno DCCCCLX. dato. Beneventum vero non a Iohanne IX., ſed a Iohanne XIII. in metropolim anno DCCCCLXIX. erectam, ſatis patet. Sed & Caracciolus alucinatur adfirmans, Neapolim a Iohanne IX. circa annum DCCCCIV. archiepiſcopali dignitate auctam, cumque *pontificatum geſſiſſe ab anno* DCCCCIII. *ad* DCCCCV; nam ex mente eiuſdem Monachi, Iohannes IX. anno DCCCC. Indict. III. obiit, poſtquam ſediſſet annos II. dies XV.: adeoque pontificatum iniit a medio circiter Iulio anni DCCCLXXXXVIII. uſque ad initium Auguſti anni DCCCC., ut oſtendit Pagius ad A. C. DCCCC. n. 23. contra Baronium, qui mortem eius in in annum DCCCCV. confert, eique annos III. dies XV. attribuit, quem Caracciolus ſequutus eſt. Chioccarellus in Catalog. epiſcop. Neap. putat, Neapolim metropolim evaſiſſe anno DCCCCLXII., ſedente Niceta, Athanaſii III. ſucceſſore, quem primum facit Archiepiſcopum. Nititur uno hoc argumento, quod in diplomate Monaſterii s. Sebaſtiani Nicetas *Archiepiſcopum* ſe inſcripſerit. At monumentum non affert, nec autographum eſſe confirmat. Illud non abs re ſuppoſititium habet Vghellus de Archiep. Neap. in Niceta: aut ſi verum ſit, conſicit Nicetam hunc, hominem Graecum, ope Aulae CPnae in Sedem Neapolitanam a Byzantino patriarcha intruſum, more Graecorum *Archiepiſcopi* titulum ſibi arrogaſſe; quod poſterius a veritate alienum eſſe, oſtendimus huius diatribae part. II. cap. IV. in not. p. CIV. Profecto documentum illud, quod ſe vidiſſe Chioccarellus teſtatur, aut commentitium eſt, aut qui illud poſterioribus temporibus exſcripſit, titulum ampliavit Archiepiſcopi, nova veteribus componens. Porro Baronius ad an. DCCCCLXVIII., Vghellus cit. loc., Peregrinius, aliique contendunt, metropoliticum Neapolitanae Sedi decus collatum ab Iohanne XIII. anno DCCCCLXVIII. eodem, quo Capuae, tempore; Pagius vero Critic. Baronian. id anno DCCCCLX., Cantelius Hiſtor. urb. metropol. part. III. diſſ. I. cap. VII. anno circiter DCCCCLXX. factum ſtatuunt. Haec omnia gratis, nullaque ſatis idonea coniectura praedicantur. Cl. Mazochius diſſ. de Cathr. Eccl. Neap. part. II. cap. II. p. 115. Neapolim *poſt medium decimum ſaeculum* (*quo anno, incertum*) metropolitica dignitate a Romano pontifice donatam tradit. Et nota XIII. ſubiicit: *Illud autem propius fidem eſt, ſtatim poſt Capuam* (*primam omnium huius Regni Sedium anno* DCCCCLXVIII. *ab Iohanne* XIII. *in metropolim erectam*) *&* *Beneventum anno ſequente, ſtatim Neapolim eodem honore auctam fuiſſe*. Tum fatetur, *ante Sergium Archiepiſcopum, qui anno* MV. *ſedebat, ex monumentorum inopia haud poſſe antiquiorem alium Neapolitanum Archiepiſcopum nominatim demonſtrare*. Verum Capua non anno DCCCCLXVIII., ſed DCCCCLXVI. deſinente metropoliticum decus adepta eſt; tum tribus poſt annis Beneventum anno DCCCCLXIX.; inde Salernum anno DCCCCLXXXVI.; mox Amalphis anno DCCCCLXXXVII., uti iam oſtenſum eſt. Quare adfirmari iure nequit, *ſtatim* poſt Capuam & Beneventum fuiſſe Neapolim in metropolim erectam. Quid quod eodem concedente Mazochio probari nequit, Nicetam Archiepiſcopum fuiſſe? Vixit Nicetas hic ad annum circiter milleſimum, eique ſucceſſit Sergius, qui anno MV. & MVI. ſe *Archiepiſcopum* ſubſcripſit. Quamobrem Neapolitana Sedes hoc ſedente Sergio poſt annum M., & ante annum MV. archiepiſcopali dignitate donata eſt.

ſanctae Neapolitanae eccleſiae praeſulem, tum in diplomate in favorem Monaſterii ss. Feſti & Deſiderii anno DCCCCLX. dato *ſanctae Neapolitanae eccleſiae epiſcopum* ſe aperte ſubſcripſit (2). Praeterea Iohannes Diaconus, qui Chronicon praeſulum Neapolitanorum ad an. DCCCLXXII. conſcripſit, & Petrus Subdiaconus, qui illud ad Stephanum III. an. DCCCCIII. perduxit, nullum commemorant Neapolitanum antiſtitem Archiepiſcopali dignitate praeditum. Ingenue Muratorius (3) fatetur: *Incertum eſt, quo tandem anno archiepiſcopali dignitate auctus fuerit Neapolitanus Antiſtes. Id certe nequaquam factum eſt, cum haec Iohannes Diaconus litteris mandabat. Vixit autem Iohannes ad annum* DCCCLXXII. Athanaſio III. ſucceſſit Nicetas, qui ab anno DCCCCLXII. ad an. M. Neapolitanae praefuit eccleſiae. Hunc primum metropoliticam dignitatem adeptum circa an. DCCCCLXII. tradit Chioccarellus, quod in diplomate Coenobii s. Sebaſtiani ſe *Archiepiſcopum* inſcripſerit. At monumentum non affert, & porro nec autographum eſt, nec genuinum (vide ſubiectam Adnotation.). Nicetae in Sede Neapolitana ſucceſſit Sergius (*), qui in diplomate Mo-

(2) Ext. apud Chioccarell. in Antiſt. Neap.

(3) Not. ad Ioh. Diacon. S.R.I. tom. II. p.307.

(*) Ughellus de Archiepiſcop. Neap. Ital. Sacr. tom. VI. Anonymum ponit quinquageſimum quartum inter epiſcopos Neapolitanos, & ſecundum inter Archiepiſcopos, atque hunc circa an. M. praefuiſſe ait. Nititur marmoreo monumento ante Monaſterium monialium S. Marcellini poſito, quod ſic habet: *Ne mireris viator, ſi columnae truncus ipſe hic locatus fuerim. Quum Servatoris Imago ab Imperatore CPno, Archiepiſcopo Neapolitano dono miſſa fuerit; baiuli onere defeſſi, ſuper me depoſuerunt: quam quum tollerent, nullis viribus eripi potuit. Hoc itaque miraculo eius Imago ſuper altare divi Marcellini divinitus collocatur, quod Silveſter ſuis litteris comprobavit, quampturimas concedens Indulgentias* MCCXXXII. De eiuſmodi inſcriptione ac re haec tradit Chioccarellus in Archiep. Neapol: *Quo autem tempore & anno id acciderit, & quis fuerit is Imperator, & quis Archiepiſcopus, temporum iniuria ad nos minime pervenit, nec Silveſtri, aliaeve teſtimoniales litterae id probantes, quarum, & Inſcriptionis memini diutius a nobis perquiſitae, nec tamen in eo Coenobio, nec alibi reperiri potuerunt. Quamobrem ſi vera ſunt, quae ad nos tam conſtans ac firma traditio tranſmiſit, his fere temporibus accidiſſe credendum eſt, ſub Silveſtro nimirum ſecundo Romano pontifice, qui anno* DCCCCXCIX. *creatus eſt pontifex, obiitque anno* MIII. *Nam Silveſtro I. aptari minime poteſt; tunc enim non Archiepiſcopi, ſed epiſcopi Neapoli praeerant, nec illud S. Marcellini Coenobium, aut eccleſia adhuc fuerat erecta. Quae omnia ſub ſecundo Silveſtro faciliſſime conveniunt. Annum vero* MCCXXXII. *credimus fuiſſe tempus appoſitae Inſcripti-*

Monaſterii s. Sebaſtiani anno MV. ſcripto, inque inſtrumento Coenobii S. Marcellini anno MVI. edito, ſe *Archiepiſcopum* ſubſcripſit (4). Ceteri deinceps Neapolitani praeſules *Archiepiſcopi* dicuntur, ut Iohannes in diplomate Monaſterii s. Gregorii anno MXXXII. dato. Conſecrationi eccleſiae Caſſinenſis ab Alexandro II. an. MLXXI. peractae interfuerunt *Archiepiſcopi decem*, *Capuanus*, *Salernitanus*, NEAPOLITANVS, *Surrentinus*, *Amalphitanus*, *Sipontinus*, *Tranenſis*, *Acerentinus*, *Ydrontinus*, *Oiretanus*, teſte Leone Oſtienſi (5). Cum itaque in genuinis monumentis nullus, praeter Sergium illum, Neapolitanus praeſul *Archiepiſcopus* nominetur ante annum MV.; poſtea vero omnes eo titulo exornentur: coniici iure poteſt, Neapolitanam Sedem ſub initium ſaeculi undecimi in metropolim evectam, ſedente Sergio Nicetae ſucceſſore, qui primus extitit Archiepiſcopus.

Neapolitano metropolitae ſex olim paruerunt epiſcopi, Puteolanus, Nolanus, Acerranus, Iſchianus, Averſanus, & Cumanus. Ita in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Neapolitanus hos habet ſuffraganeos*: *Averſanum*, *Nolanum*, *Puteolanum*, *Cumanum*, *Inſculanum*, vel *Inſulanum*. In alia veteri Notitia e Bibliotheca Thuanenſi edita: *Archiepiſcopus Neapolitanus hos habet ſuffraganeos*: *Averſanum*, *Cumanum*, *Nolanum*, *Iſclanum*, vel *Inſulanum*, *Puteolanum*, *Acertanum*, *&* *Acerranum*. Et in Provinciali Romano: *Archiepiſcopus Neapolitanus hos habet ſuffraganeos*: *Adverſan* (*eſt exemtus*), *Nolan*, *Puteolan*, *Cuman*, *Acerren*, *Iſculan*. Miſenum numquam Neapoli paruit, nec pa-

ptionis. Quidquid ſit de eius Inſcriptionis antiquitate, ac veritate (de qua re nunc laborare opus non eſt), cum in ea nec Imperatoris, aut Arrchiepiſcopi nomen, nec annus exprimatur, quo ea Imaginis translatio contigerit: cumque id circa an. M. factum traditio ferat; temere inter Nicetam & Sergium alius incerti nominis praeſul archiepiſcopali dignitate praeditus excogitatur, quem unquam extitiſſe, nullo certo documento docemur. E ſerie itaque Neapolitanorum antiſtitum expungendus eſt Anonymus ille Ughellianus, nulluſque inter Nicetam & Sergium ponendus Archiepiſcopus. Quidquid enim de Anonymo illo narratur, optime congruit aut Nicetae, qui ad annum circiter M. vixit; aut Sergio, quem anno MV. & MVI. Neapolitanae ſedi praefuiſſe conſtat ex laudatis duobus monumentis Monaſterii S. Sebaſtiani, & Coenobii S. Marcellini.

(4) Ext. apud Chioccarell. in Neap. Antiſt. p. 116. & 126.

(5) In Chronic. Caſſin. lib. III. cap. XXVIII.

Digitized by Google

parere potuit ; everſum enim fuit a Saracenis anno DCCCLXXX., eiuſque ſedis praedia Neapolitanae Sergius Dux Neapolis addixit , teſte Iohanne Diacono (6) ; Neapolis vero primum undecimo ineunte ſaeculo metropolis eſt facta . Cumanus epiſcopus creari deſiit, urbe anno MCCVII. à Neapolitanis disiecta . Averſana Sedes Romanae ſubiecta eſt decreto Martini V., quod Calixtus III. confirmavit . Nunc itaque quatuor ſub Neapolitana metropoli ſuffraganei ſunt , *Puteolanus* , *Nolanus* , *Acerranus* , *Iſchianus* .

Surrentina metropolis quo primum tempore , & a quo pontifice inſtituta ſit , aeque incertum (*) . A vero propius

(6) In Actis Translationis s. Soſii mart., quae Surius ad XXIII. Septemb. edidit.

(*) Philippus de Anaſtaſiis Archiepiſcopus Surrentinus de Chriſtian. Surrent. Antiquit. lib. I. cap. IV. Surrentinae metropoleos originem ab Apoſtolicis temporibus repetere non dubitat . Ei iam ſatisfecit Thomas Milante Stabienſis epiſcopus de Stabiis, Stabiana eccleſia , & epiſcopis eius , diſſ. II. Illos haud moror ; qui hanc dignitatem ab aevo Gregorii M. Surrentinae Sedi vindicant ; ex ipſo enim Gregorio lib. I. ep. LIV. Iohanni epiſcop. Surrentin. & lib. IX. ep. XXV. eidem Iohanni inſcripta conſtat , Surrentinum tunc temporis merum fuiſſe epiſcopum : quin ex permultis eiuſdem Gregorii litteris compertiſſimum eſt , univerſos Regni epiſcopos , nominatim Campaniae , in qua Surrentum , uni Romano metropolitae arctius adhaeſiſſe : quod part. I. huius diatribae late oſtenſum . Nec reggeras, apud Gratianum in Can. *conſtitutus de teſtib. & atteſtat.* legi : *Conſtitutis in praeſentia noſtra Archiepiſcopo , & M. Canonico Surrentiano , dum ipſe illum de ſimoniae crimine deferret* ; non enim liquet , an verba haec ad Surrentinum epiſcopum referenda ſint : & porro *Archiepiſcopum* ibi a Gratiano additum , vetera novis componente , patet ex eodem Gregorio in cap. 2. de religioſ. domib. ubi Surrentinum praeſulem non Archiepiſcopum , ſed *epiſcopum* adpellat: *Ipſum autem monaſterium* , inquit , *ſic nos tuae ordinationi commiſiſſe cognoſcas , ut tamen iuriſdictionem illic non epiſcopus Surrentinus . . . habeat* . Marinus Freccia de Subſeud. lib. I. tit. ult. a Sergio III. circa an. DCCCCIV. Surrentum in metropolim erectam ait . At ante annum DCCCCLXVI. nullam in his regionibus metropolim a Romanis pontificibus erectam, ne ambigas. Ughellus Ital. Sacr. tom. VI. de Archiepiſc. Surrentin. putat, Iohannem XIII. Surrentum in metropolim erexiſſe, *ut fertur, poſt an.* DCCCCLXVIII. *Leopardo ordinato primo Archiepiſcopo* ; quod in dyptichis Surrentinis Leopardus, qui tunc ſedebat, *Archiepiſcopus* dicitur. In hanc ſententiam inclinat Iannonius Hiſt. Civil. Neap. lib. VIII. cap. VI. Verum nullo idoneo monumento adſtrui poteſt , Surrentum ab Iohanne XIII. ſub haec tempora archiepiſcopali dignitate illuſtratam . Tandem qui ad annum MCCVIII. ſub Innocentio III. id reiiciunt, manifeſti erroris arguuntur teſtimonio Leonis Oſtienſis Chronic. Caſſinenſ. lib. III. cap. XXVIII., ubi inter decem Archiepiſcopos, qui conſecrationi Baſilicae Caſſinenſis anno MLXXI. interfuerunt, Surrentinum appellat .

Digitized by Google

pius abeſt, Surrentum ſub medium ſaeculum undecimum in metropolim erectam. Surrentini enim praeſules, qui ab iis temporibus ſederunt, Archiepiſcopos ſe inſcribunt. Iohannes Surrentinus *Archiepiſcopus* ſubſcripſit Concilio Romano ſub Nicolao II. an. MLIX. celebrato. Conſecrationi Baſilicae Caſſinenſis ab Alexandro II. an. MLXXI. peractae adfuerunt Archiepiſcopi decem, inter quos *Surrentinus* numeratur a Leone Oſtienſi (7). Barbatus Surrentinus *Archiepiſcopus* dicitur in diplomate anno MCX. conſignato pro Gregorio Stabienſi, quem ordinaverat, epiſcopo. Vrſo etiam *Archiepiſcopus ſanctae Surrentinae Eccleſiae* dicitur in alio diplomate, dato Iohanni Stabienſi a ſe epiſcopo ordinato (8). Ceteri deinceps Archiepiſcopos ſe conſtanter inſcribunt. Surrentino metropolitae primum duo paruerunt ſuffraganei, Stabiarum, & Maſſae Lubrenſis; quibus tertius deinde additus Vici Aequenſis, qui a Bonifacio VIII. circa an. MCCCII., inſtante Carolo II. Andegavenſi, inſtitutus eſt. Hi tres epiſcopatus ſub Surrentina metropoli recenſentur in Notitia quinque Patriarchatuum: *Archiepiſcopatus Surrentinen hos habet ſuffraganeos: Equenſem, Lubrenſem, Caſtelli Maioris*, vel *Stabienſem*. Et in Provinciali Romano Leonis X.: *Archiepiſcopatus Surrentinen hos habet ſuffraganeos, Lobren, Salpen* (*), *Equen, Caſtellum Maris, vel Stalven*.

C A P. III.

De metropolibus Barenſi, Sipontina, Tranenſi, Brunduſina, & Tarentina.

RELiquas nunc Regni Neapolitani metropoles a Romanis Pontificibus erectas perſequamur. In Barenſis metropoleos epocham primum inquirendum. Vnde quis iure ſuſpicetur, Baren-

(7) Chronic. Caſſinenſ. lib. III. cap. XXVIII.

(8) Duo haec Inſtrumenta ex Archivo Stabienſi edidit Thomas Milante de Stabian. eccleſ. diſſ. V. p. 210. ſeqq.

(*) Per errorem Salpenſis ſedes inter ſuffraganeas Surrentini Archiepiſcopi heic affertur; ea enim in Apulia eſt, & metropolitae Barenſi paruit, ut infra oſtendetur.

Digitized by Google

renſes praeſules fuiſſe metropolitas uſque ad annum DCCCLXXVI., quo Graeci Bario potiti ſunt, quin ad annum DCCCCXCIX., nihil prorſus eſt (*). Ipſi Barenſes antiſtites, qui per haec tem-

 pora

(*) Ughellus Ital. Sacr. tom. VII. p. 593. Beatillum ſequutus haec habet: *Petrus ultimus, & primus Archiepiſcopus Barenſis fuit hac dignitate exornatus anno* DXXX. *ab Epiphanio CPolitano patriarcha, ſedente Felice Papa IV., cuius auctoritate Epiphanius hanc ſedem metropolitanam conſtituit, cum facultate duodecim ſuffraganeos epiſcopos ordinandi. Poſt Petrum decem ei ſucceſſerunt Archiepiſcopi, quorum nomina, neque Acta extant in diptycis eiuſdem Eccleſiae, Leontius duodecimus Barenſis Archiepiſcopus circa an. Domini* DCCLXXX. *electus, Nicaeno Concilio ſe ſubſcripſit an.* DCCLXXXVII. *Sebaſtianus Barenſis Archiepiſcopus proxime ſucceſſit Leontio ... Angelarius vir ſanctimonia clarus, ac rerum geſtarum aeterna memoria dignus, iam antea per annos decem Canuſinae eccleſiae Archiepiſcopus in demortui Sebaſtiani locum omnium votis Barenſi eccleſiae praeficitur anno* DCCCXLV., *retentoque ex Romani pontificis auctoritate & Canuſinae Sedis titulo, Barenſis & Canuſinus Archipraeſul dictus fuit, qui deinceps ex perpetua utrarumque eccleſiarum unione in ſucceſſores tranſiit, uſque ad hodiernum diem.* Multa in verbis hiſce σφαλματα caſtiganda ſunt. Primum falſum eſt, Petrum a patriarcha CPlitano, conſentiente Romano pontifice, anno DXXX. Barenſem Archiepiſcopum creatum fuiſſe; id enim nuſpiam ſcriptum eſt, & porro eo tempore non Graeci, ſed Gothi in Italia dominati ſunt ad annum DXL., quo in poteſtatem Iuſtiniani redacta eſt univerſa. Non ergo potuit Petrus a CPolitano patriarcha Archiepiſcopalem accipere dignitatem: nec vero Byzantini Antiſtites eiuſmodi decus epiſcopis Regni contulerunt ad Leonem Iſauricum uſque, hoc eſt, ad annum circiter DCCXXXII. Eamdem autem dignitatem a Romano pontifice nanciſci non potuit; conſtat enim Romanos praeſules ad annum uſque DCCCCLXVI. metropoliticum decus epiſcopis noſtris haud indulſiſſe. Falſum item eſt, quod de Archiepiſcopatu eorum, qui Petro in Barenſi ſede ſucceſſerunt, adfirmatur; Barium enim Longobardis paruit ab anno circiter DLXXI. ad annum DCCCXL. quo Saracenis ceſſit. Eam urbem occuparunt Graeci anno DCCCLX.; ſed ſtatim inde a Saracenis depulſi. His a Ludovico II. Imp. devictis an. DCCCLXXI. Barium ad Longobardos rediit: tum anno DCCCLXXVI. Graecis ceſſit, a quibus ad annum MC. retenta eſt, quo eam Robertus Northmannorum Dux expugnavit. Quum itaque Barium ab anno DLXXI. ad DCCCXL. & ab anno DCCCLXX. ad DCCCLXXVI. Longobardis Romano pontifici obtemperantibus ſubſuiſſet; fabuloſum eſt quod de Petri ſucceſſorum, nominatim Leontii, Sebaſtiani, & Angelarii Archiepiſcopatu praedicatur. Quin Leontius in Concilio Nicaeno II. anno DCCLXXXVII., & Sebaſtianus in Romano ſub Eugenio P. anno DCCCXXVI. nudum *epiſcopi* nomen adſumunt. Angelarius diſerte *epiſcopus* appellatur in Inſcriptione ab ſe appoſita ſupra reliquias s. Sabini. Vide quae de hac re infra p. CXLIV. in not. dicemus. Sed & labitur Ughellus, dum poſt Angelarium perpetuam fuiſſe Canuſinae & Barenſis eccleſiae unionem, eamque ad noſtra tempora perennaſſe, ſcribit. Nam poſt Angelarii tempora quandoque Canuſina ſedes Brunduſinae coniuncta fuit: unde Iohannes *Archiepiſcopus ſedis Canuſinae & Brunduſinae eccleſiae*, nulla habita Barenſis mentione, dicitur in diplomate ab eodem Iohanne dato anno DCCCCII. Aliquando Barenſis eccleſia Tranenſi, nulla Canuſinae mentione iniecta, adiun-

pora ſederunt, numquam Archiepiſcopi titulum ſibi vindicarunt. Barium ab anno DLXXI. ad DCCCXL. & ab anno DCCCCLXX. ad DCCCCLXXVI. Longobardis paruit, qui Romanam ſedem reverebantur, Romanumque ritum colebant: proinde nihil de vetuſtiſſimo Romani pontificis metropolitico iure in Apuliam immutatum; nec porro ipſos Romanos pontifices epiſcopis Apulis, vigente Longobardorum dominatione, metropoliticam dignitatem indulſiſſe legimus. Ita Barenſes praeſules, Leontius in Concilio Nicaeno II. anno DCCLXXXVII., & Sebaſtianus in Romano ſub Eugenio P. an. DCCCXXVI. merum *Epiſcopi* nomen adſumunt. Angelarius ſimplicis *Epiſcopi* titulo inſignitur in Inſcriptione ab ipſomet appoſita ſuper reliquias s. Sabini. Dominicus epiſtolae Concilii Ravennatenſis ſub Iohanne VIII. P. anno DCCCLXXVII. celebrati, poſt Archiepiſcopos ſubſcripſit inter ſimplices epiſcopos in hunc modum: *Dominicus Barienſis epiſcopus ſubſcripſi* (1). Petrum & Iohannem Barenſes *epiſcopos* appellat Ignotus Barenſis (2): An. DCCCCLII. *Ind. X. Obiit Petrus epiſcopus, & electus eſt Iohannes.* Hic autem *Archiepiſcopus* dicitur in diplomate a ſe dato Pandoni clerico filio Cinnami Imperialis Spatharii Iudicis civitatis Iuvenaciae anno DCCCCLII. (3): *Iohannes Dei gratia Archiepiſcopus, primo anno praeſulatus mei s. Sedis Canuſinae & Bariſinae eccleſiae.* At profecto qui poſterioribus temporibus diploma exſcripſit, Archiepiſcopi nomen ampliavit, more aevi ſui loquutus. Diſerte enim Iohannes *epiſcopus*, non *Archiepiſcopus* dicitur Ignoto Barenſi. Eundem eo titulo a patriarcha CPolitano donatum, nuſpiam legimus. Certe a Romano Pontifice haud accepit; quippe

iuncta eſt: unde Chryſoſtomus non Barenſis & Canuſinus, ſed Barenſis ac Tranenſis Archiepiſcopus, Αρχιεπισκοπος Καστρου Βαριου τε, και Τρανων, *Archiepiſcopus Caſtri Barii & Trani*, dicitur in Graeco diplomate eidem Chryſoſtomo conceſſo a Gregorio Trachaniota Catapano Italiae anno DCCCCXCIX. Nonnumquam etiam Canuſina cum Barenſi & Tranenſi unita eſt, ut de Vrſone Archiepiſcopo Barenſi ab anno MLXXVIII. ad MLXXXIX. prodit Nicephorus Barenſis in Hiſtoria Translationis s. Nicolai: *Interea*, inquit, *ad dominum Vrſonem Archiepiſcopum legatio dirigitur, qui tempore illo apud Canuſium & Tranum Civitates morabatur, quarum pontificatu una cum Barenſi Archiepiſcopio fungebatur.*

(1) Apud Labb. Conc. tom. XI. col. 305.

(2) Apud Pratillum Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. pag. 316.

(3) Vid. Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. X. p. 560. tom. III.

Digitized by Google

pe qui metropoliticam epiſcopis Regni dignitatem conſtanter denegarunt uſque ad Iohannem XIII., qui eam primus contulit Capuano Antiſtiti anno DCCCCLXVI. Quod ſi ab Iohanne VIII. anno DCCCLXXIII. Landulfus Capuanus metropoliticam dignitatem aſſequi per Ludovicum II. Imp. non potuit (4); quis concoquat, Iohannem Barenſem anno DCCCCLII. eam tam facile, citoque obtinuiſſe? Iohanni an. DCCCCLXXVIII. denato ſuffectus eſt Paulus, quem merum *epiſcopum* appellat Ignotus Barenſis: *An.* DCCCCLXXVIII. *Ind. VI.* ... *Obiit Iohannes epiſcopus; & Pau* (Paulus) *electus eſt.*

Paulo autem anno DCCCCLXXXXIII. defuncto ſucceſſit Chryſoſtomus. Idem Ignotus Barenſis narrat: *Anno* DCCCCLXXXXIII. *Ind.* VI. *Defunctus eſt Pau.* (Paulus) *Archieps, & Chryſoſtomus electus eſt.* Chryſoſtomus hic *Archiepiſcopi* nomine oxornatur in diplomate ipſi dato a Gregorio Trachaniota Baſto & Catapano Italiae, Ind. XII. menſe Maio, hoc eſt, an. Ch. DCCCCXCIX: *Scriptum factum a Gregorio Baſto, & Catepano Italiae, Trachaniota, traditum vobis Chryſoſtomo Archiepiſcopo Caſtri Barii, & Trani, menſe Maio, Ind.* XII. Primus Barenſium antiſtitum, qui *Archiepiſcopi* titulo inſignitus occurrit in genuinis monumentis, eſt Chryſoſtomus iſte. Sed tamen in diplomate a Graeco Catapano dato, qui tumido Graiorum ſive faſtu, ſive molimine Archiepiſcopum appellavit Chryſoſtomum, eumque privilegiis exornavit, ut Graecanico nomini redderet ſtudioſiorem; accepiſſe autem hunc titulum, ignoramus, quum nullum extet monumentum, ex quo Chryſoſtomum ſe *Archiepiſcopum* adpellaſſe pateat. Nec quidquam obturbat, Paullum Chryſoſtomi deceſſorem *Archiepiſcopum* vocari ab Ignoto Barenſi loco ſuperius deſcripto; is enim ſaeculo duodecimo vixit, quo Barenſis eccleſia Archiepiſcopalis iam erat, ac phraſi ſui temporis, uti ſequiores ſcriptores non raro facere ſolent, vetera expreſſit. Idem Ignotus Barenſis Paulum *epiſcopum*, non Archiepiſcopum appellat.

Chryſoſtomo ſucceſſit Iohannes; atque huic Biſantius, de quo haec habet Lupus Protoſpata (5): *Anno* MXXVIII.

S 2 *deſcen-*

(4) Vide quae diximus part. I. cap. V. pag. LVI.

(5) Apud Pratill. Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. p. 34.

Digitized by Google

deſcendit Oreſti Chetoniti menſe Aprilis, & tunc obiit Barenſis epiſcopus Iohannes, & factus Biſancius Archiepiſcopus. Et Ignotus Barenſis: *Anno* MXXV. *Ind.* VIII. *Deſcendit Oreſti Kitoniti cum exercitu, ut iret Sicilia. Et mortuus eſt Iohannes epiſcopus in menſe Iunii, & elevatus eſt Biſantius Archiepiſcopus.* Huic Biſantio *s. Canuſinae eccleſiae a nobis conſecrato Archiepiſcopo* diploma dedit Iohannes xx. alias XIX. anno MXXV. (6) (*). In hoc pontifex poſtulatis annuens Biſantii, ipſi *concedit, & confirmat Archiepiſcopatum s. Canuſinae eccleſiae cum omnibus ſibi adiacentiis, vel pertinentiis, videlicet duodecim epiſcopatus, quemadmodum abolitana tempora, ſcilicet noſtris Anteceſſoribus ſanctae memoriae decreverant, ut Archiepiſcopus duodecim ſub ſe ordinaret epiſcopos.* Tum ſuffraganeorum eccleſiae & oppida Canuſinae, h.e. Barenſis dioeceſis recenſentur: *Hoc ſcilicet Canuſinae, Bari, Meduneo, Iuvenacio, Melphicta, Rubo, Trane, Canni, Minerbino, Aquatecta, Monte Melioris, Labellotarum, Ciſternae, Bitalbae, Salpi, Cuperſano, Puliniano, ſimul & Catera, & aliarum civitatum atque caſtrorum ſibi adiacentium, vel longe lateque ibi poſitae, donec impleatur duodecimus epiſcopus.* Tandem Biſantio uſum palli *cunctis diebus vitae ſuae, & epiſcopos conſecrare* permittit. Biſantio CPoli mortuo an. MXXXV. ſucceſſit Romulantes Protoſpata. De eo ſic Lupus Protoſpata: *Anno* MXXXV. *die epiphaniae obiit Conſtantinopoli Byzantius epiſcopus Barenſis. Qui ſane fuit orphanorum pater, & primariae Eccleſiae Barenſis fundator, cuſtoſque civitatis, eiuſque egregius propugnator adverſus Graecos. Electuſque eſt epiſcopus Romulantes Protoſpatarius: ſed is Aprili menſe ab Imperatore Conſtantinopolim evocatus, exul obiit, & in eius locum electus eſt Nicolaus.* Hic Nicolaus *Archiepiſcopus Canuſinus & Barenſis* dicitur in diplomate dato a ſe *anno ſexto Imperii Michaëlis CPolitani, tertio anno praeſulatus ſui, menſe Octobri Ind.* VII. (7), hoc eſt an. MXXXIX. Idem, quod Michaëlis Cerularii auſibus contra Latinam eccleſiam ſe op-

(6) Ext. apud Vghell. de Archiep. Barenſib. tom. VII. pag. 601.

(*) Bulla Iohannis XX. *Indictione Octaba* data eſt, quae anno MXXV. vel MXL. in curſu erat. Contra Biſantium anno MXXVIII. electum, qua indictio XIII. currebat, ſcribit Protoſpata. Quare mendum aut in bulla, aut in Protoſpata eſt. Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul. cap. XVI. tom. III. p. 561. Protoſpatae deferens mendum in bullam librariorum incuria irrepſiſſe putat, ac pro *Indict.* VIII. reponit *Indict.* XIII. Doctiſſimi viri emendatio congruit epochae Protoſpatae. At cum ex Ignoro Barenſi Biſantius anno MXXV. electus ſit, eodem anno *Indict.* VIII. labente bulla edita eſt, adeoque nihil immutandum.

(7) Apud Mabillon. Annal. Benedict. ad ann. MXXXIX. tom. IV. pag. 399.

ſe oppoſuiſſet, CPolim anno MLV. deportatus eſt, teſte Ignoto Barenſi: *An.* MLV. *Ind.* VIII. . . . *Nicolaus Archiepiſcopus perrexit Conſtantinopolim*. Nicolao anno MLXI. mortuo non ſine diſſentione electus eſt Andreas. Ignotus Barenſis: *Anno* MLXI. *Ind.* XIV. *Mortuus eſt Nicolaus Archiepiſcopus*, *& a quibuſdam electus eſt Andreas*.

Andrea mortuo, Gregorius VII. precibus Roberti Ducis Vrſonem Archiepiſcopum Barenſem ordinavit. Haec de Vrſone refert Iohannes Archidiaconus Barenſis, memoriae prodidit (8): *Temporibus Vrſonis Archiepiſcopi* (*qui prius fuerat apud Rapollam epiſcopus*, *ſed poſtea per potentiam & voluntatem Ducis Roberti a Papa Gregorio*, *qui &* „ Ildebrandus „ *dictus*, *ad Eccleſiam Barenſem traductus fuerat*, *Archiepiſcopus ordinatus eſt*) .... *Verum quia ipſe Archipraeſul multis & variis impeditus erat negotiis*, *inquiſitio iſta protracta eſt*, *ſuoque in tempore dimiſſa*. Et Ignotus Barenſis: *Anno* MLXXX. *Indict.* III. *Ipſe Dux* (Robertus) *fecit ibi Michaël Imperator*. *Et Vrſo Archieps intravit in ſede Barina die* III. *intrante menſe Auguſti*. Hic Vrſo legitur in diplomate a ſe dato *Anno Incarnationis Domini Noſtri Ieſu Chriſti* MLXXX. *menſe Novembri Ind.* IV. *Ego Vrſo Dei providentia Archiepiſcopus*, *tertio anno praeſulatus mei ſanctae ſedis Canuſinae & Barenſis Eccleſiae declaro &c.* (9) *Barenſis Archiepiſcopi V.* (lege *Vrſonis*) meminit Gregorius VII. (10). Vrſone anno MLXXXIX. mortuo, electus eſt Elias, Vrbani II. Papae amicitia clarus, a quo impetravit, ut omnia Barenſis Eccleſiae iura rata eſſent. Audiatur Lupus Protoſpata: *Anno* MLXXXIX. *facta eſt Synodus omnium Apulienſium*, *Calabrorum*, *ac Brutiorum epiſcoporum in civitate Melfiae* . . . . . *Hoc anno obiit Vrſus Barenſis Archiepiſcopus*, *& Papa Vrbanus* (II) *nomine venit Barum*, *& conſecravit illic confeſſionem s. Nicolai*, *& Eliam Archiepiſcopum*. Et Iohannes Archidiaconus Barenſis (11): *Hoc autem* (Elia) *electo in Archiepiſcopum voluntate atque conſenſu Ducis Rogerii filii Ducis dicti Roberti*, *Melfiam Papam Vrbanum* (II) *adivimus*, *qui ibidem Synodum celebrabat menſe Septembri*, *quem rogavimus*, *ut uſque Barum deſcenderet*, *praedictumque conſecraret Eliam in Archiepiſcopatus bono-*

(8) In Hiſt. inventionis corporis s. Sabini, quam edidit Baronius ad an. MCXI. & VIII.

(9) Apud Vghell. cit. loc. p. 606.

(10) Lib. IX. Regeſt. ep. XXIV.

(11) Cit. loc.

honorem, *Domino Boamundo eundem Papam nobiſcum deprecante*, *qui eo tempore Barum iam ſuo tenebat ſub dominio*: *ipſo vero conſecrato ab eodem Papa in Eccleſia noſtri Archiepiſcopatus*, *ſaepe cum eo loquebamur &c.* Extat ipſa Vrbani II. bulla, qua Eliam in Archiepiſcopum Barenſem conſecravit (12): *Vrbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, *Cariſſimo Fratri Eliae Archiepiſcopo ſalutem* , *& Apoſtolicam benedictionem* . Primum inquit pontifex, ſe Eliam *contra morem Romanae eccleſiae in ſede propria conſecraſſe*, *beati Nicolai reverentia*, *& Barenſis populi dilectione devictum.* Tum *Barenſem* (*quae & Canuſina habetur eccleſia*) *exaltare*, *& populum* Barenſem *glorificare cupiens*, *confirmat* Eliae *praeſentis paginae auctoritate integrum Barenſem* (*qui & Canuſinus eſt*) *Archiepiſcopatum*. *Abſque praeiudicio ergo*, pergit Pontifex, *iuſtitiae quarumlibet eccleſiarum*, *ſequentes tenorem*, *qui noſtrorum continetur privilegiis praedeceſſorum Barenſis*, *ſive Canuſinae eccleſiae poſſeſſiones*, *ſive dioeceſes tibi*, *tuiſque ſucceſſoribus perpetuo poſſidendas*, *regendaſque contradimus*. *Hae autem ſunt Canuſia*, *Bitictum*, *Bitontum*, *Midunium*, *Iuvenatium*, *Melphicta* , *Rubum*, *Tranum*, *Canna*, *Minervinum*, *Aquatecta* , *Mons-Meliorus* , *Lavellum*, *Rapulva*, *Melphis* , *Bitalbis* , *Salpi*, *Cuperſanum* , & *Palimarum* . Tandem pallium ei concedit , ut eo utatur quum certis recenſitis diebus , tum *in ordinatione epiſcoporum* , *ſeu ceterorum clericorum* . Ex dictis colligi poteſt , Barenſem antiſtitem ab anno DCCCCXCIX. primum Archiepiſcopi titulum a Graecis Barii dominus habuiſſe ; Iohannem autem XX. hanc ei dignitatem ratam habuiſſe , ceteroſque item Romanos pontifices ; tandemque Vrbanum II. diplomate ſuo confirmaſſe .

Barenſi metropoli unita fuit Canuſina epiſcopalis ſedes (*). Haec

(12) Apud Baron. ad an. MLXXXIX. n. 5. & Labb. Conc. tom. XII. col. 715.

(*) Expendenda heic ſunt , quae de Archiepiſcopatu Canuſinae Eccleſiae, Beatilium temere ſequutus, perhibet Vghellus Ital. Sacr. tom. VII. p. 591: *Metropoli Barenſi*, inquit , *acceſſit perpetua unione Canuſina Sedes anno* DCCCXLIV.; *unde ab eo anno*, *qui praeſuerunt*,,Barenſis & Canuſini,, *titulo tenus ſe ſe inſcripſere. Diruta vero*, *ac pene ſolo aequata Canuſina civitate antiquiſſima cum dignitate Archiepiſcopali ſanctorum corpora Rufini* , *Memoris* , *& Sabini Barium tranſtulerunt* . Paullo poſt ſubdit : *Petrum Longobardorum Grimoaldi Salernitani Principis afſinem*

Digitized by Google

Haec ſuos olim habuit praeſules, quorum celebre nomen *Stercorii ab Apulia de Canuſio*, qui Concilio Sardicenſi an.CCCXLVII. ad-

finem electum anno DCCC., *qui corpus s. Sabini in novam cathedralem tranſtulit, eiuſdemque Acta conſcripſit, fuitque primus Canuſinae ſedis Archiepiſcopus ad eam dignitatem ſublimatus an.*DCCCXVIII: *paulo poſt Canuſinae civitatis a Saracenis captae excidium propriis uſurpavit oculis, Salernum fugit, anno* DCCCXXXIV. *Salernitanus evaſit epiſcopus, ibidemque diem ſuum obiit* anno DCCCXLIV. Tandem tradit: *Angelarius ſucceſſit Petro anno* DCCCXXXIV., *qui poſt decem annos factus eſt Barenſis Archiepiſcopus anno* DCCCXLV. *tunc Canuſinae dignitas Barium translata eſt, & unita, qui primus Barenſis & Canuſinus dictus eſt Archipraeſul*. Doleo tot in verbis hiſce docto ac induſtrio viro excidiſſe. Primum falſum eſt, Canuſinam Sedem anno DCCCXLIV. Barenſi unitam; Canuſium enim ſtetiſſe anno DCCCLXVI., & a Saracenis poſt annum DCCCLXXII. everſum fuiſſe, in Excurſu mox oſtendemus. Quare poſt id tempus Canuſina Barenſi ſedi adiuncta eſt. Falſum item eſt, perpetuam fuiſſe Canuſinae & Barenſis eccleſiae unionem: quod ex diplomatis Iohannis Canuſini & Brunduſini antiſtitis anno DCCCCII., & Gregorii Trachaniorae anno DCCCCXCIX. datis probavimus ſupra pag.CXXXVII.& ſeq.in not.

Porro Canuſium numquam archiepiſcopalem dignitatem adepta eſt: proinde mentitur Ughellus, dum Petrum primum facit Canuſinae ſedis Archiepiſcopum *ad eam dignitatem ſublimatum anno* DCCCXVIII. Diſerte Petrus *Epiſcopus* appellatur ab Auctore vitae s. Sabini, qui ipſius Petri aequalis fuit: *Praeſatus namque venerabilis pontifex* (Petrus), *de cuius ore cuncta quae narro audivi, caeleſti amore perſuaſus, ad ſedem pontificalem Canuſinae urbis corpus Chriſti famuli* (Sabini) *introducere ſtuduit... His dictis viſio illa ablata eſt, ſanuſque experrectus* EPISCOPVS (Petrus) *quod ſibi dictum fuerat, diligentiſſime explevit*. Nec quidquam moratur Inſcriptio in Cathedrali Canuſina poſita: *Petrus Archiepiſcopus Canuſinus poſuit hic corpus s.Sabini*; hanc enim inſcriptionem ſequiori aevo exaratam, Archiepiſcopi titulus Petri aetate recentior adſtruit; Petrus enim ſemper *epiſcopus*, numquam Archiepiſcopus dicitur Auctori vitae s.Sabini, ſcriptori coaevo. Eidem Petro merum *epiſcopi* titulum tribuit Anonymus Salernitanus loco infra laudando. Poſterioris etiam aetatis eſt Codex MStus Archivi Barenſis, quo ſcriptum eſt, corpus s. Sabini requieviſſe in Canuſina eccleſia uſque ad *tempora Petri Archiepiſcopi primi*. Sed & labitur Vghellus adfirmans, Petrum Canuſinum antiſtitem vitam s. Sabini conſcripſiſſe; eam enim non Petrus, ſed Petri ipſius iuſſu auctor coaevus conſcripſit, ut ſuperius allata Auctoris vitae s. Sabini verba liquido demonſtrant; & quidem ſub Grimoaldo Arichis filio circa annum DCCC. Conſ. Bollandum ad II. Febr., & Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. XVIII. pag. 574. tom.I. Mitto quod de Petri Canuſini epiſcopi cum Grimoaldo Principe Salernitano affinitate praedicatur; eiuſmodi enim affinitatis haud meminit Scriptor vitae s.Sabini, quam ipſius Petri iuſſu conſcripſit. Vide Bollandum cit. loc. Porro Petrus Salernitanae eccleſiae adminiſtrator, non epiſcopus fuit. Anonymus Salernitanus cap. XC. apud Pratill. Hiſt. Princ. Longobard. tom. II. p. 172: *Rodoalt epiſcopus*, inquit, *dum aliquo tempore Salernitanam ſedem, ut ſuperius fati ſumus, rexiſſet, per idem tempus ab Agarenorum gente capta eſt civitas Canuſiae, quae ſita fuit in Apuliae finibus. Sed Dei nutu Petrus, qui illo tempore illi civitati praeerat* EPISCOPVS, *cum ſuis non paucis fidelibus evaſerunt, atque Salernum venerunt, opes plurimas ſecum deferentes. Dum vero Salernum aliquo tempore cum ſuis manſiſſet, Rodoalt iam dictus epiſcopus* di-

adfuit . Saeculo ſexto Canuſinam ſedem deſolatam Felici Sipontino epiſcopo commendavit Gregorius M. (13) . Tandem a Saracenis, qui Apuliam anno DCCCXL. incurſarunt, Canuſium poſt annum DCCCLXXII. devaſtatum eſt (*) , ſedeſque Canuſina Ba-

ren-

(13) Lib. I. ep. LI.

diem clauſit extremum. Quapropter omnes exorarunt, ut per aliquot annos ipſe Petrus, epiſcopus ipſius eccleſiae facultates nimirum regeret. Ille vero cum talia audiſſet, in hunc modum illis reſpondit : „ Ad regendam eccleſiam praeeſſe me dico; in ſedem ipſius eccleſiae minime aſcenſurus ſum. „ *Sed dum aliquo tempore ipſam iam dictam eccleſiam* MODERATISSIME GVBERNARET, *de ſuo ſumptu eccleſiam praedictam ſanctam ſedem in honorem beati Iohannis Baptiſtae mirae magnitudinis conſtruxit.* Recte Pratillus ad haec verba adnotat: *Ergo adminiſtrator , ſeu Commendatarius tantum fuit iſte Petrus Salernitanae eccleſiae, neque inter Salernitanos epiſcopos numerandus, ut cenſet Ughellus ſupra laudatus.*

Tandem quae de Angelarii , Petri ſucceſſoris, Archiepiſcopatu Vghellus habet, commenticia ſunt; ipſe enim Angelarius ſe *epiſcopum* , non Archiepiſcopum appellat in Hiſtoria inventionis corporis s. Sabini, quae anno MXCI. Rogerio Duce Apuliae ſub Elia Barenſi & Canuſino Archiepiſcopo contigit : *Praedicto autem panno*, inquit, *modo ſupradicto invento, litterae ſunt viſae , atque relectae, quae dicebant :* ANGELARIVS EPISCOPVS ATTVLIT CORPVS SANCTI SABINI. *Huiuſmodi etiam ſcriptura inventa eſt in tabula una marmorea , quae ibidem tunc reperta eſt ſimiliter , & una in tufo.* Appellatur quidem Angelarius *Archipraeſul Canuſii* in inſcriptione tumulo s. Sabini inciſa. At inſcriptio haec ab Elia Archiepiſcopo poſita eſt anno MXCII. , qui ſane more ſui loquutus eſt , ac vetera novis expreſſit. Conceptum in hanc rem eſt eiuſdem Archidiaconi Barenſis teſtimonium : *Sanctos autem artus ad horam ſic collocatos, Archipraeſul idem* (Elias) *non ita in tempus poſterum permanere negligenter permiſit, ſed marmoream ſepulturam, ut fieri ſolet, apte compoſitam, tabulam quoque marmoream itidem ad tegumentum, litteris ibi per ſculpturam deſignatis inventionem , & tempus, nomenque ſuum, ut eſt deſuper notatum, ſignificantibus a nobis dictatis, praeparari praecepit.* Inſcriptio autem ſarcophago s. Sabini exarata haec eſt: *Angelarius Archipraeſul Canuſii attulit huc corpus s. Sabini a Canuſio, quod fuit occultum in hoc templo uſque ad tempus Eliae Archiepiſcopi Barinorum & Canuſinorum, a quo fuit inventum, & hic honorifice collocatum menſe Februarii Ind.* XV., hoc eſt, anno MXCII.

(*) EXCVRSVS

DE EPOCHA SARACENICAE IN APVLIAM INCVRSIONIS , ET CANVSII DEPRAEDATI.

Ad retegendas, riteque explicandas non paucas Apularum eccleſiarum antiquitates, plurimum confert in numero habere tempus, quo Saraceni in Apuliam irruperunt, & quum aliae Apulae urbes, tum Canuſium ab iis vaſtatum eſt : quod heic praeſtare opportunum eſt . Saraceni ex Africa venientes primum Siciliam, Euphemio patriam prodente, invaſerunt an. DCCCXXVII., ut Baronius & Pagius oſtendunt ad hunc ann. ; vel anno DCCCXXVIII. extremis Michaëlis Balbi temporibus, ut ex Cedreno , Zonara , & Curopalata colligit Bollandus not. in Vitam s. Sabini §. XI. a num. LXVII. Omnibus prope Siciliae urbibus potiti ſunt Saraceni, pulſis Graecis , praeter Syracuſas , quae

an-

renſi adiuncta eſt. Hinc antiſtites *Barenſes & Canuſini* dicti ſunt. Olim Barenſi metropolitae multi ſuffraganei paruerunt. In

Tom.VI. t bul-

anno DCCCLVIII. ab iis captae ſunt, uti Pagius & Muratorius ad hunc ann. oſtendunt, & Tauromenium, quae anno DCCCCVIII. cecidit, ſedemque Amirae Panormi defixerunt. E Sicilia vero Calabriam, pluresque Italiae provincias infeſtarunt. Tandem in Beneventanam ditionem anno DCCCXL. irruerunt, quo Barium occuparunt, e Sicilia arceſſiti a Pandone Barii Praefecto in Radelchiſii Beneventani Ducis auxilium, qui cum Siconulſo fratre inteſtinum bellum gerebat; eamque triginta fere annos tenuerunt. Rem ſic enarrat Erchempertus n. XVI. apud Pratillum tom. I. p. 98: *His quoque diebus Pando quidam Barim regebat, qui iuſſis obtemperans Radelgiſi, Saracenorum phalangas in adiutorium accitas iuxta murum urbis, & ora maris locavit commorandas. Hi autem .... per abdita loca urbis penetrant, populumque inſontem partim gladiis trucidarunt, partim captivos fecerunt... Quo comperto Radelgis, quia eos urbe nullatenus evellere quibat, coepit tamen quaſi familiares amicos excolere, & ad ſuum adiutorium ſenſim advocare.* Tum vero Siconulfus *contra Agarenos Radelgiſi Libycos, Iſmaelitas Hiſpanos accivit; iiſque invicem inteſtino & extero alternantibus bello, ultramarina loca captivis noſtrae gentis diverſi ſexus & aetatis fulciebantur.* Eripuit Radelchi Siconulſus anno DCCCXLIII. omnes urbes, praeter Sipontum, & Beneventum. *Anno* DCCCXLVI. *Mauri Romam cum exercitu venientes, quum non poſſent Urbem irrumpere, eccleſiam s. Petri vaſtaverunt*, uti refert Leo Oſtienſis cap. XXVIII., multaque in Latium & Campaniam damna intulerunt. Anno DCCCXLVII. *Naſar* Saracenorum Dux, qui Beneventi degens, Radelchi Principi militabat, Beneventanos ipſos crudeliter afflixit, omniaque late vaſtavit. Verum anno DCCCXLIX. Mauri, qui ad litus Romanum ex Africa appulerant, penitus deleti ſunt. Anno DCCCLI. Ludovicus Rex, Lotharii Imp. filius, Beneventum cum exercitu venit, & Naſarem iugulari iuſſit, pacemque inter Radelchim & Siconulſum conciliavit, Beneventano & Salernitano Principatu ex aequo diviſo. Rurſus adverſus Saracenos Barenſes ſubſidio venit Radelchiſo. Sed Capuanorum fraude nihil memoria dignum perficere potuit. Deinde Seodan Saracenorum Rex, Bario egreſſus, omnem Beneventanam ditionem vaſtavit, ac *Beneventum, eiuſque confinia funditus delevit, ita ut nullus locus, praeter urbes praecipuas, illius efferitatem evaderet*, ut inquit Erchempertus; ſive *cuncta per circuitum caſtra, praeter praecipuas urbes cepit, penituſque delevit*, uti loquitur Oſtienſis cap. XXXVII.

Iterum Ludovicus II. Imper. anno DCCCLXVI. Longobardis ſubſidio venit magnis cum copiis, primumque Capuam tribus obſeſſam menſibus cepit, & maximam partem delevit; tum iuxta Luceriam inſignem de Saracenis victoriam retulit: Materam munitiſſimam Saracenorum urbem evertit: Bario poſt quatuor annorum obſidionem potitus anno DCCCLXX., uti Pagius, vel an. DCCCLXXII., uti Peregrinius & Muratorius Annal. Ital. ad an. DCCCLI. ſtatuunt, Saracenos omnes trucidari iuſſit, uno ſervato Seodan. Tandem Tarento, quo Saraceni ſe receperant, fruſtra obſeſſo, Beneventum profectus eſt Ludovicus, dimiſſoque Adelgiſi conſilio exercitu, captus eſt ab eodem Adelgiſo; a quo dimiſſus anno DCCCLXXI. vel DCCCLXXII., theſauro eius omni, ac Seodano retentis. Seodan exinde libertatem nactus, Tarentum abiit, ibique Rex factus, crudelius quam antea Beneventanos fines, Apuliamque ve-

bulla pontificis Iohannis XX. alias XIX. anno MXXV. data Biſantio Sanctae Canuſinae (hoc eſt Barenſis) eccleſiae ab ipſo conſecrato Archiepiſcopo, hae ſedes & oppida numerantur*:

Ca-

vexavit. Audiatur de hac re Erchempertus: *Dimiſſo igitur Adelgis Ludovico Caeſare, theſaurum omnem retinuit, & Sauglan* (Seodanum), *& Arnoſum, nec non & Abadelbachi. Reparatis enim viribus Saraceni in Tarento, quos pene captos reliquerat Auguſtus, coeperunt pedetentim Barim, & Camenſe territorium depraedari: quibus ter occurrit Adelgis in finibus Apuliae. Quibus nihil praevalens, invictor ille & intriumphator* (hoc eſt, victus) *abſceſſit. Quo etiam tempore Atmagnus* (Athmanus ſive Vthmanus) *quia Saugdan exul fuerat ab Africa, cum Arnoſo veniens, Tarentum intravit, & Rex* (loco Seodani) *effectus eſt: egreſſusque, Beneventum graviter depraedavit, & Teleſam, & Alipham: tantamque victoriam adeptus eſt, ut Sauglanum iam ſaepedictum in poteſtatem ab Adelgiſo recolligeret. Nam Arnoſum & Abadelbach ante Apocriſarios illi miſerat.* Nimirum Vrthmanus cum exercitu ex Africa veniens, recollectis Saracenis, qui in Apulia remanſerat, Tarentum ingreſſus eſt, ibique ſe Regem dixit: inde cum copiis egreſſus, Barim, Cannenſe territorium, & Beneventanos fines vaſtare coepit: initoque ter cum Adelgiſo proelio, ſemper victor receſſit; adeo ut Adelgiſus miſſis ad eum Annoſo & Abadelbacho (quos una cum Seodano Beneventi detinebat) Apocriſiariis, coactus fuerit pacto tributo pacem ab illo petere, quam is conceſſit ea lege, ut Seodanum ad ſe remitteret. Ceterum Saraceni Tarenti ad annum DCCCLXXX. manſerunt, teſte Lupo Protoſpata: *Anno* DCCCLXXX. *exierunt Agareni de Tarento*. Quam vero miſerrima fuerit hac tempeſtate regionum noſtrarum facies, vel uno Iohannis VIII. P. teſtimonio ep. ad Carol. Calvum ſatis intelligitur: *Chriſtianorum ſanguis effunditur, devotus Deo populus continua ſtrage vaſtatur. Nam qui evadit ignem, vel gladium, praeda efficitur, captivus trahitur, & exul perpetuus conſtituitur. En civitates, caſtra, villae deſtitutae habitatoribus perierunt: & epiſcopi hac illacque diſperſi: ſola illis Apoſtolorum principis limina derelicta ſunt in refugium; quum epiſcopia eorum in ferarum ſint redacta cubilia, & ipſis vagis, & ſine tectis inventis non iam liceat praedicare, ſed mendicare.*

Rebus ita afflictis, Barenſes ut ſe a Saracenis tuerentur, quum nulla affulgeret ſpes praeſidii a Francis exoranti, Lodovico II. anno DCCCLXXV. mortuo, Graecorum Catapano, qui Hydrunte agebat, ſe dediderunt anno DCCCLXXVI. *Hoc audientes*, inquit Erchempertus, *qui Bari reſidebat, Gregorium Baiulum Imperialem Graecorum* (hoc eſt Baſilii Auguſti), *qui tunc in Hydronto degebat cum multis exercitibus, adſciverunt, & Barim introduxerunt ob Saracenorum metum*. Lupus quoque Protoſpata refert: *Anno* DCCCLXXV. (lege cum Peregrinio *anno* DCCCLXXVI, quo Natalis Domini in feriam III. incidit) *intraverunt Graeci Barum menſe Decembri die Natalis Domini feria* III. *& Gregorius Stratigo, qui & Baiulus dicebatur*.

Inter urbes autem a Saracenis Apuliam vexantibus devaſtatas, Canuſium ponitur. Hanc anno DCCCLXVI. adhuc ſtetiſſe, liquet ex Erchemperto, referente Lodovicum II. Imp. eo anno praeſidium militum Canuſii collocaſſe: *poſitoque praeſidio pugnatorum in Canuſia, viciſſim eos* (Saracenos Barii degentes) *cornibus ventilabat*. Vero propius eſt, Canuſium a Saracenis direptum paullo poſt annum DCCCLXXII., eo nempe tempore, quo Seodanus ab Adelgiſo dimiſſus, Tarentum conceſſit, ibique Rex factus, totam Apuliam vaſtavit. A Graecis autem Apu-

liae

Digitized by Google

Canuſium, *Barium*, *Medunium*, *Iuvenacium*, *Melphicta*, *Rubum*, *Trani*, *Cannae*, *Minerbinum*, *Aquatecta*, *Mons-Melioris*, *Labellotarum*, *Ciſternae*, *Bitablae*, *Salpi*, *Cuperſanum*, *Pulinianum*, & *Catera*, & *aliarum civitatum atque Caſtrorum ſibi adiacentium*, *vel longe lateque ibi poſitae*, *donec impleatur duodecimus epiſcopus*. In bulla Vrbani II. anno MLXXXIX. Eliae Barenſi Archiepiſcopo conſecrato, eiuſque ſucceſſoribus eaedem fere eccleſiae adſcribuntur: *Canuſia*, *Bitictum*, *Bitontum*, *Midunium*, *Iuvenatium*, *Melphicta*, *Rubum*, *Tranum*, *Canna*, *Minervinum*, *Aquatecta*, *Mons-Meliorus*, *Lavellum*, *Rapulla*, *Melphis*, *Bitalbis*, *Salpi*, *Cuperſanum*, *Pulinianum*. Duodecim ſub Barenſi metropoli epiſcopos exhibet Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Barenſis hos habet ſuffraganeos*: *Bocuntinum*, *Melphetanum* (*), *Iuvenacenſem*, *Rubetinum*, *Salpenſem*, *Cannenſem*, *Betentinum*, *Converſanum*, *Menervinenſem*, *Polignanenſem*, *Caterinenſem*, *Tivellinum*. Conſonat altera Notitia e Bibliotheca Thuana edita: *Archiepiſcopus Barenſis hos habet ſuffraganeos*: *Horentinum*, *Rubetinum vel Rubenſem*, *Botentinum*, *Polignanenſem*, *Melphetanum*, *Salpenſem* (**), *Converſanum*, *Catari-*

t 2 *nen-*

-liae poſſeſsoribus Canuſium paullo poſt annum DCCCLXXVI. inſtauratum, colligitur ex Leone Oſtienſi lib. I. cap. LX. ubi *Canuſii veteris* meminit, reſpectu ad *novum* habito: *Baſilius quoque Protoſpatarius Imperatoris*, *quum eſſet Salerni*, *adeuntibus illum monachis noſtris*, *chartulam reſtitutionis & confirmationis fecit omnibus monaſterii huius pertinentiis per totam Apuliam*, *quas eo tempore perditas habebamus*. Tum inter reſtituta a Baſilio Monachis Benedictinis enumerat: IN CANVSIO VETERE *Eccleſiam s. Benedicti*, & *molendinum*, & *curtes*. Hoc idem confirmatur ex diplomate a Iohanne Canuſino & Brundusino Archiepiſcopo anno DCCCCII. dato Bonifacio Abbati s. Benedicti de civitate Cuperſanenſi, apud Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. XVIII. tom. I. Eius initium eſt: *Regnante in perpetuum D. N. Ieſu Chriſto*, *Anno nongenteſimo ſecundo*, *menſe Iulio*, *quinta Indictione*. *Ego Iohannes gratia Dei Archiepiſcopus Sedis Canuſinae & Brunduſinae eccleſiae*, *decimo anno praeſulatus mei*. Hinc habes, Iohannem hunc ab anno DCCCXCII. epiſcopum conſecratum fuiſſe, & Archiepiſcopi titulo eccleſias *Canuſinam & Brunduſinam* adminiſtraſſe.

(*) Petrus Iannonius Hiſt. Civ. Reg. Neap. lib. VIII. cap. 6. Melphitanam ſedem Barenſi olim ſubiectam fuiſſe tradit, eamque poſtea Romano metropolitae contributam. Nae is *Melphim* cum *Melphicta*, ſeu *Molfetta* confundit; Melphicta enim Barenſi Archiepiſcopo olim paruit, deinde ab illo exemta, Romanoque addicta eſt. In vetuſtis Notitiis numquam *Melphienſis*, ſed *Melphictanus* inter ſuffraganeos Barenſis Antiſtitis refertur. Ipſe Iannonius ſibi non conſtat in hac re; nam ſupra *de Principatu Salernitano* loquens, inter ſuffraganeos Salernitani Archiepiſcopi *Melphienſem* enumerat.

(**) Troylus Hiſt. Regn. Neap. tom.

IV.

Digitized by Google

nenſem , *Iuvenacenſem* , *Canuenſem* , *Menetumenſem* , *Lavellinum* : Ex his tres lapſu temporis detracti ; nam Salpenſis epiſcopus creari deſiit ; Cannenſis Archiepiſcopo Nazareno , & Melphictanus Romano contributi . Novem nunc Barenſis praeeſt epiſcopis , Bitectenſi , Bituntino , Cuperſanenſi , Iuvenacienſi , Lavellinenſi , Minervinenſi , Polignanenſi , Rubienſi , & Catharenſi (*).

Animum nunc ad Sipontinam metropolim convertamus . Sipontum a priſcis temporibus ſuos habuit praeſules . Concilio Romano ſub Hilaro P. anno CCCCLXV. coacto Felix Sipontinus epiſcopus ſubſcripſit . Alteri Felici , itemque Vitaliano Sipontinis Antiſtitibus ſcripſit Gregorius M. (14) . Concilio Lateranenſi ſub Martino I. anno DCXLIX. habito Rufinus Sipontinae eccleſiae epiſcopus interfuit . Poſt Rufinum nulla occurrit Sipontinorum praeſulum mentio . Sane Sipontina civitas cum eccleſia s. Michaëlis in Gargano monte aut a Graecis, aut Longobardis, aut Slavis (**) direpta fuit, civeſque ad internecionem caeſi, aut profugi . Quare ne dilapſae oves ſine Paſtore oberrarent , Romualdus Dux Beneventanus an. DCLXIII. precibus annuens s. Barbati epiſcopi Beneventani deſolatam Sipontinam Sedem & eccleſiam s. Michaëlis in Gargano Beneventanae adiunxit . Conſtat id ex Actis s. Barbati (15) : *A Romoaldo* (Duce Beneventano) *petit* (s. Barbatus) , *ut B. Michaëlis Archangeli domum , quae in Gargano ſita eſt , & omnia quae ſub ditione Sipontini epiſcopatus ſunt , ſedi , ubi nunc indigne praeſum , in omnibus ſubderet ; & quoniam omnia abſque cultoribus erant depravata , unde nec ſedulum illic Deo officium perſolvi poterat , melius ab ipſo Beneventi praeſule diſpoſita eidem Romoaldo Duci proficerent ad ſalutem . Illico Dominus viri Dei*

IV. part. I. p. 450. Tranenſem ſedem Barenſi numquam ſuffraganeam fuiſſe ait . Non fuit ſuffraganea , ſed unita cum Barenſi , ut ex allatis diplomatibus conſtat . Idem adfirmat , *Salpenſem* Sedem Barenſi numquam ſubditam fuiſſe . At eum manifeſti erroris arguunt diplomata Iohannis XX. & Urbani II. , itemque veteres Notitiae ſupra allatae.

(*) Catharum maritima Dalmatiae urbs eſt , ſub ditione Venetorum . Eius epiſcopus primum Raguſino , mox Antibarenſi , tandemque Barenſi a Romanis Pontificibus ſuppoſitus eſt . Nunc Catharenſis eccleſia Graecorum ſchiſma , & errores fovet .

(14) Lib. I. ep. IX. & L I. ad Felic. Sipontin. , & lib. VII. ep. IX. ad Vitalian. Sipontin.

(**) Conſule de hac re Pratillum notis ad Erchempertum tom. I. Hiſt. Princip. Longobard. pag. 216. ſeqq. , & Peregrinium diſſ. VII. quae eſt *de finibus Ducatus Beneventani ad Septemtrion.*

(15) Ext. apud Bolland. XIX. Februar.

Digitized by Google

Dei conſenſit petitionibus . . . Et per praeceptum univerſa conceſſit. Et Chronographus Vulturnenſis (16) refert, *Sipontinum epiſcopatum, & eius paroeciam per Praeceptum domni Romoaldi Beneventano epiſcopo* (Barbato) *fuiſſe conceſſam* (*) . Per quadringentos fere annos Sipontina Sedes Beneventanae unita manſit, nempe ab anno circiter DCLXIII. ad MXXXIV., poſt quem annum Sipontina Sedes a Beneventana per Benedictum IX. ſeiuncta proprios habuit praeſules. Hinc qui per haec tempora Beneventanae eccleſiae praefuerunt, Epiſcopi, aut Archiepiſcopi *Beneventani & Sipontini* dicti ſunt. Ita David *epiſcopus s. Beneventanae & Sipontinae eccleſiae* appellatur in diplomate, quod circ. an. DCCLXXXVIII dedit Auſtadae Abbatiſſae Monaſterii s. Mariae de Loco-ſano. Landulfus primus Beneventi Archiepiſcopus a Iohanne XIII. anno DCCCCLXIX. inſtitutus, *Beneventanenſis & Sipontinae s. Eccleſiae Archiepiſcopus* dicitur in bulla ipſius Iohannis.

Poſt annum MXXXIV. Sipontinam Sedem a Beneventana ſeiunxit Benedictus IX., qui ab anno MXXXIII. ad MXLIV. pontificatum geſſit, Leone proprio Sipontinorum epiſcopo conſecrato, eodemque, ne Sipontum Benevento cederet, archiepiſcopali dignitate aucto. Huius quidem inſtitutionis documentum excidit; eius tamen meminit Innocentius III. (17), a quo & Sipontinam Sedem a Beneventana ſeiunctam, & Leonem primum Sipontinorum Archiepiſcopum a Benedicto IX. datum, docemur: *Inſpexit quoque* (Alexander III.) *ſcriptum bonae memoriae Benedicti Papae* (IX), *cuius tempore eccleſia veſtra ſedes Archiepiſcopalis fuerat conſtituta, & ex tenore ipſius* (*quem Garganici pro ſe face-*

(16) Ad annum DCCCXXXIX. apud Murator. S. R. I. tom. I. part. II. p. 388.

(*) Compertum eſt itaque, a Romualdo Duce Beneventano, inſtante s. Barbato, Sipontinam ſedem, & eccleſiam s. Michaëlis in Gargano Beneventanae adiunctam fuiſſe anno DCLXIII. Num vero unio haec confirmata fuerit a Vitaliano P. edita bulla eodem anno DCLXIII., non aeque liquet. De γνησιότητα huiuſce diplomatis (apud Ughell. Ital. Sacr. tom. VIII. p. 19.) dubitarunt Peregrinius diſſ. VII. de finib. Ducat. Benevent. ad Septemtr., & Ughellus de epiſc. Benevent. Suppoſititium vero multis pronuntiant Muratorius anno DCLXIII. & diſſ. LXIV., ac Pratillus diſſ. de origin. Capuan. metrop. cap. V. Rem plane conficit diſputatio de hac re inſtituta anno DCCCXXXIX. coram Sicardo Principe inter Emeriſſum epiſcopum Beneventi, & Monachos S. Mariae de Sano, quam refert Chronographus Vulturnenſis apud Murator. S. R. I. tom. I. part. II. pag. 388. Videſis quae huius diatribae part. I. cap. V. p. LX. in not. a nobis ediſſerta ſunt.

(17) In diplomate Capitulo Sipontino dato, quod ex Archivo Vaticano exſcripſit Ughellus de Sipontin. Archiep. pag. 829. tom. VII. Ital. Sacr.

Digitized by Google

facere reputabant) comperit manifeſte , tantum eccleſiam veſtram Archiepiſcopalem ſedem fuiſſe conſtitutam ab ipſo , quum ipſe Leonem quondam Sipontinum Archiepiſcopum , non in Sipontinum & Garganicum , ſed in Sipontinum tantum , licet obtentu Angeli , ſe aſſerat promoviſſe . Hinc quum ante hunc Leonem Beneventani Archiepiſcopi Sipontinam ſimul eccleſiam adminiſtrarent , poſt eum tantum Beneventanae praefuerunt , ac Beneventani , non item Sipontini Archiepiſcopi adpellati ſunt . Beneventanam eccleſiam moderabatur Alphanus II. (qui ab anno MXI. ad MLIII. ſedit) quum Sipontinam Sedem a Beneventana ſeiunxit Benedictus IX. poſt annum MXXXIV. (*). Huius autem Alphani tamquam Beneventani pontificis , non item Sipontini meminit Auctor hiſtoriae Translationis s. Leucii , quae poſt annum ML. peracta eſt : *Interea* , inquit , *Theodoſius Oritanae Sedis Antiſtes cum Beneventano pontifice caritativam inierat amicitiam* . Porro mortuo Leone primo Archiepiſcopo Sipontino poſt annum ML., curam Sipontinae eccleſiae

(*) Sarnellius in Chronolog.epiſcop.& Archiep.Sipontin. , ac Lucentius ad Vghell. Ital.Sacr.tom.VII.p.823.tradunt, mortuo Iohanne Tranenſi & Sipontino Archiepiſcopo, Udalricum, qui Alphano II. an.MLIII. in Beneventana Sede ſucceſſit, a Leone IX. Beneventanum & Sipontinum Archiepiſcopum fuiſſe factum : & quamquam Vdalricus ad annum MLXXI. vixerit ; tamen Alexandrum II. anno MLXVI. a Beneventani Archiepiſcopi iure Sipontinum epiſcopatum ſeiunxiſſe , & proprio deinceps paſtore regendum decreviſſe . Vrgent in ſuam ſententiam diploma ab ipſo Leone IX. Vdalrico anno MLIII. dato : *Beneventanae eccleſiae conſiderantes , ad eius ius & proprietatem revocamus , atque in perpetuum ſubdimus , & tradimus : videlicet , eccleſiam s.Michaëlis in monte Gargano poſitam , & ipſum caſtellum , ubi iam dicta ſacra & venerabilis ſita eſt eccleſia , atque Sipontinam eccleſiam cum omnibus iuſtitiis ſibi legaliter pertinentibus , Lucerinam , Aſculum , Bovinum , Larinum , Triventum , Sanctam Aghatam , Avellinum &c.* At Leo IX. non fecit Vdalricum Beneventi & Siponti Archiepiſcopum , ſed cum illum Beneventi Archiepiſcopum conſecraſſet , ſubditas Beneventano Archiepiſcopatui eccleſias enumerat , inter quas primo loco Garganienſis & Sipontina ponitur , deinde Lucerina , Aſculana , Bovinenſis , & reliquae . Vnum id ex adſcriptis Leonis verbis colligitur , eum Sipontinam eccleſiam Beneventano Archiepiſcopo ſubdidiſſe non ſecus ac ceteras ibi recenſitas Sedes ; ſi enim inde liceret inferre , Sipontinam Sedem Beneventano traditam fuiſſe , pari iure adfirmari poſſet , eumdem Vdalricum a Leone IX. fuiſſe etiam conſtitutum epiſcopum Lucerinum , Aſculanum , & cetera . Vero propius eſt , ſub Vdalrico Sipontinam & Garganienſem eccleſiam , quam a Beneventana ſeiunxerat , & Archiepiſcopalem fecerat Benedictus IX., inter ſuffraganeas Beneventani Archiepiſcopi relatam fuiſſe , ſicque epiſcopali tantum honore potitam ad annum MLXVI. quo Alexander II. eamdem Archiepiſcopatu rurſus auxit . Quam coniecturam adſtruunt verba illa Leonis IX. quibus *ad Beneventanae eccleſiae ius & proprietatem* REVOCAT *eccleſiam s. Michaelis in Monte Gargano poſitam , & Sipontinam eccleſiam .*

ſiae geſſit celebris ille Iohannes Tranenſis epiſcopus, qui *Sipontinus etiam Archiepiſcopus* dicitur Auctori hiſtoriae Translationis s. Leucii. Et in epitaphio Tranii poſito idem Iohannes *Archiepiſcopus Tranenſis, Sipontinenſis, Garganenſis eccleſiae* nuncupatur (18). Quonam iure Sipontinae ſedis regimen ſuſceperit Iohannes Tranenſis, ignoramus. Forte, exardeſcente inter Garganos & Sipontinos controverſia de paſtore eligendo, Romanus pontifex plurimis extra Italiam negotiis diſtentus, Sipontinam eccleſiam per Tranenſem epiſcopum interim adminiſtrari permiſit. Conſecrationi eccleſiae Caſſinenſis ab Alexandro II. anno MLXXI. inter decem, qui adfuerunt, Archiepiſcopos Regni, *Sipontinus* enumeratur a Leone Oſtienſi (19). A Gregorio VII. Gerardum *Archiepiſcopum Sipontinum* Apoſtolicae ſedis legatum in Dalmatiam miſſum, teſtatur Thomas Archidiaconus Spalatenſis (20). Ceterum ob Siponti interitum, Archiepiſcopi ſedes in novam civitatem translata eſt, quae *Manfredonia* dicta a Manfredo Rege, qui eam ad montis Gargani latus non procul a veteri Siponto an. MCCLVI. extruxit. Hinc *Sipontini*, & *Manfrediani* Archiepiſcopi nomen manet. Nec illud praetereundum, iudicio contendiſſe Garganicos oppidum ſuum Archiepiſcopali titulo donari, duaſque Sedes, Sipontinam & Garganicam, in unum unitas fuiſſe, diplomate nixos Eugenii III. At cauſſa ceciderunt decreto Alexandri III., qui falſatum a Garganicis Eugenii privilegium pernovit. Alexandri ſententiam Lucius III., Caeleſtinus III., aliique Pontifices confirmarunt, cautumque, unam Sipontinam ſedem eſſe metropolim, eique Garganicos ſubeſſe (21).

Sipontino metropolitae quatuor ſuffraganeos a Benedicto IX. ſubiectos adfirmant nonnulli, Troianum, Melphienſem, Monopolitanum, & Rapollanum; hiſque Veſtanum a Paſchale II. additum. Veſtanum quidem epiſcopum a Paſchale II. Sipontino ſubiectum, diſerte teſtatur Innocentius III. (22): *In privilegio quoque Paſchalis reperit* (Alexander III.) *contineri, quod ipſe inter alia Ve-*

(18) Vide infra pag. CLIV. in not.

(19) Lib. III. Chronic. Caſſinenſ. cap. XXVIII.

(20) In Chronic.

(21) Vide Ughel. de Archiep. Sipontin. p. 811. & paſſim, tom VII. Ital. Sacr.

(22) Apud Ughell. cit. loc. p. 830.

Digitized by Google

Veſtanum epiſcopatum Eccleſiae Sipontinae conceſſit. Priores vero quatuor epiſcopatus a Benedicto IX. Sipontinae metropoli ſubditos fuiſſe, nullo teſtimonio praedicatur, praeſertim quum bulla huius erectionis exciderit. Sane aut numquam, aut exiguo tempore Sipontino metropolitae ſuffraganei fuerunt; nam Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. anno MCLXXIX. habito praeſules Melphienſis & Rapollenſis cum epiſcopis Romanae provinciae ſubſcripſerunt; Troianus & Rapollenſis abſuerunt: tantumque e Sipontina provincia Gerardus Archiepiſcopus, & Simeon Veſtanus ſubſcripſere. In vetuſtis monumentis unus Veſtanus epiſcopus Sipontino; quatuor vero recenſiti Romano metropolitae adſcribuntur. Haec habet Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Sipontinus hos habet ſuffraganeos*: *Veſtanum*, *Troianum eſt Domini Papae*, *Melphienſem Domini Papae*, *Monopolitanum eſt Domini Papae*, *Rapollenſem eſt Domini Papae*. Congruit Notitia e Bibliotheca Thuana edita: *Archiepiſcopus Sipontinus hos habet ſuffraganeos*: *Veſtanum*, *Monopolitanum exemtum*, *Troianum exemtum*, *Melphienſem exemptum*, *Rapollenſem vel Rapollanum exemtum*. Et Provinciale Romanum Leonis X: *Archiepiſcopus Sipontinen*, *ultra Montis Gargani*, *hos habet ſuffraganeos*, *Veſtanen*, *Troianen*, *Melphien* (*iſti duo ſunt exemti*) *Monopolitanen*, *Rapollen* (*iſti duo ſunt exemti*). Rapolla anno MDXXVIII. Melphienſi ſedi adiuncta. Ita unus etiamnum Veſtanus Sipontino Antiſtiti ſubeſt.

Tranum quo tempore, & a quo pontifice metropoliticam dignitatem acceperit, non ſatis liquet. Id certum eſt, eiuſmodi dignitate caruiſſe ad annum MLIX. Concilio Romano ſub Paulo I. an. DCCLXI. Suthinius, & Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. Leo mero *Tranenſis epiſcopi* nomine ſubſcripſerunt. Nondum in metropolim evectam deſinente ſaeculo decimo, liquet ex Graeco diplomate a Calocyri Catapano conceſſo Rhodoſtamo Tranenſi epiſcopo anno Chriſti DCCCCLXXXIII. (23), in quo Rhodoſtamus Ἐπίσκοπος Τράνων, *epiſcopus Trani* appellatur (*). Illud hic

(23) Apud Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. x. p. 558. tom. III.

(*) Rodoſtamus hic anno Chriſt. DCCCCLXXXIII. Trani epiſcopus a Benedicto P. VII. conſecratus fuit, ut ex laudato Calocyris diplomate conſtat. Hic epiſcopus Ughelli diligentiam effugit: proinde Ughelliano Tranenſium antiſtitum catalogo inter Leonem epiſcopum, quem n. V., & Iohannem, quem n. VI. enumerat, Rodoſtamus addendus eſt.

Digitized by Google

hic obſervandum, in bulla a Benedicto VII. Rodoſtamo Tranenſi a ſe ordinato epiſcopo conceſſa, cuius mentio fit in diplomate Calocyris, Tranenſi epiſcopatui ſubiecta adfirmari το κάστρον Γυβεναζάνον, το Ρόυβον, το Μινερβίνον, το Μόντε Μελώνην, μετά πάσης της διακρατήσεως αυτών, ώσπερ και πρότερον κατείχες, *Caſtrum Iuvenazani, Rubi, Minervini, Montemelonis, cum omni poſſeſſione eorum, ſicut & prius poſſediſti*. Nondum Tranenſis ſedes archiepiſcopale decus fuerat adepta; & tamen ſub poteſtate ſua habebat Iuvenacium, Rubum, Minervinum, & Montem Milonem: quod argumento eſt, haec caſtra aut nondum epiſcopos accepiſſe, aut certe epiſcopis tunc caruiſſe. Vaſtatis per Saracenos poſt annum DCCCXL. pleriſque Apuliae urbibus, Tranenſis ſedes Barenſi unita eſt, *deſtructa ab Iſmaëlitis Tranenſi urbe*, ut ait Auctor Hiſtoriae Translationis s. Leucii. Hinc in diplomate a Gregorio Trachaniota anno DCCCCXCIX. ſcripto Chryſoſtomus Α'ρχιεπίσκοπος Κάστρου Βαρίου τε, και Τρανών, *Archiepiſcopus Caſtri Barii & Trani* dicitur. Proprium vero epiſcopum, a Barenſi diſtinctum, accepit circa an. MXXV: quod colligitur ex Bulla Iohannis XIX. data Biſantio, a ſe conſecrato Canuſinae (hoc eſt Barenſis) eccleſiae Archiepiſcopo anno Chriſti MXXV., in qua pontifex ſub Barenſi duodecim enumerat epiſcopos, quos inter *Tranenſem*. Hinc primus poſt hanc bullam occurrit Iohannes Tranenſis epiſcopus (*), ſub quo facta eſt translatio corporis s. Leucii, quam Anonymus enar-

(*) Leoni primo Sipontinorum Archiepiſcopo anno MI. mortuo ſucceſſit Iohannes ille Tranenſis, ſub quo Translatio corpus s. Leucii facta eſt, quique Michaëlis Cerularii ſchiſmati adhaeſit, eoque nomine a Nicolao II. in Concilio Melphienſi anno MLIX. depoſitus eſt. Lucentius vero duos Iohannes Tranenſes antiſtites ponit: unum n. VI. ſub quo factam s. Leucii translationem, quemque *poſt annum milleſimum* vixiſſe ait: alterum n. VII. prioris huius ſucceſſorem, quem anno MLIII. epiſtolam a Michaële Cerulario CPolitano patriarcha adverſus Latinos accepiſſe, & a Nicolao II. in Concilio Melphienſi anno MLIX. depoſitum ſcribit. At non duo fuere Iohannes, ſed unus idemque ſchiſmaticorum fautor, qui proinde ab Auctore hiſtoriae translationis s. Leucii, eiuidem furfuris homine, cui eam nuncupavit vocatur *Pontificalis, & Augustalis Syncellus*, hoc eſt Michaëlis Cerularii patriarchae CPolitani, & Conſtantini Monomachi Imp. cubicularius. Et ſane Leo primus Sipontinorum antiſtes a Benedicto IX. conſtitutus in vivis erat uſque ad an. ML., ut ex Ignoto Barenſi liquet. Iohannes autem, qui Leoni in Sipontino Archiepiſcopatu adminiſtrando ſucceſſit, blasphemam Cerularii epiſtolam accepit anno MLIII., & anno MLIX. a Nicolao II. depoſitus eſt.

Digitized by Google

(24) enarrat. Hic ille Iohannes Tranenſis, qui anno MLIII. CPolim Legatus profectus eſt, teſte Ignoto Barenſi: *An. MLIII. Ind. VI. Argiro direxit ipſo Eps Tranenſe CPoli meſſatico*. Quumque gratia valuerit in Aula CPolitana, *Pontificalis & Auguſtalis Syncellus*, hoc eſt, Michaëlis Cerularii patriarchae, & Conſtantini Monomachi Imp. cubicularius honoris eſt factus, ut habet Auctor hiſtoriae Translationis s. Leucii. Eidem Iohanni a Michaële Cerulario data eſt epiſtola, in Apulia promulganda, adverſus Latinorum ritus, praeſcripta: *Michaël univerſalis patriarcha novae Romae, & Leo Archiepiſcopus Acridiae, metropolis Bulgarorum, dilecto fratri Iohanni Tranenſi epiſcopo*. Is quod Cerularii ſchiſmati faverit, a Nicolao II. in Concilio Melphitano anno MLIX. habito depoſitus eſt. Nihil porro eſt, cur ad hunc uſque annum Tranenſem ſedem archiepiſcopali honore auctam ſuſpiceris. Ipſe Iohannes merus *Tranenſis epiſcopus* appellatur ab Ignoto Barenſi, & Cerulario locis iam laudatis, itemque a Wiberto (25), & Petro Damiano (26)(*).

Con-

(24) Ext. apud Bolland. tom. I., & Vghell. Ital. Sacr. tom. VII. p. 892.

(25) In vita s. Leonis IX. lib. II. cap. V.

(26) Ep. ad Romanae eccleſ. Cardinales.

(*) Iohannes hic Tranenſis *Sipontinus Archiepiſcopus, nec non Pontificalis & Auguſtalis Synkellus* dicitur Auctori hiſtoriae *Translationis s. Leucii*, ſcriptori coaevo, qui eam hiſtoriam ipſi Iohanni nuncupavit. Idem Anonymus eumdem Iohannem Tranenſem *Archiepiſcopum* mox appellat his verſibus.

Grandia ſancte iubes Synkelle beate Iohannes,
Vt famulus reſonet, grandia Sancte iubes.
Praeſulis Archi piis monitis parere peropto:
Cogor & imperiis praeſulis Archi piis.

Et in epitaphio in civitate Tranenſi poſito idem Iohannes *praeclarus Archiepiſcopus Tranenſis, Sipontinenſis, Garganenſis eccleſiae, atque Imperialis Synkellus* dicitur. Nimirum Iohannes dicitur *Archiepiſcopus Tranenſis*, quod eum titulum aut a Byzantino patriarcha accepit, cui is addictiſſimus fuit, a quo & Synkelli honorem tulit, aut certe Scriptor ille hiſtoriae Translationis, eiuſdem furfuris homo, Graecanico tumore Iohannem *Archiepiſcopum* appellavit, qui revera merus erat epiſcopus. Profecto Tranenſis eccleſia hoc Iohanne ſedente nondum metropoliticum a Romano pontifice decus accepit. Dicitur *Sipontinus Archiepiſcopus*; quod curam Sipontinae eccleſiae geſſit poſt obitum Leonis, quem primum Sipontinum Archiepiſcopum Benedictus IX. inſtituerat poſt annum MXXXIV. Quum autem Leo ad annum ML. vixerit; Iohannes hic, ſub quo translatio S. Leucii facta dicitur, non niſi poſt eum annum ML. adminiſtrare potuit. Ante Leonis tempora Sipontinam ſedem una cum Beneventana regebat Alphanus II., qui ab anno MXI. ad MLIII. ſedit; ſed poſt annum MXXXIV. Sipontinam Sedem a Beneventana Benedictus IX. diſiunxit. Tandem dicitur Iohannes Tranenſis *Pontificalis & Auguſtalis Synkellus*, hoc eſt Michaëlis Cerularii patriarchae CPolitani, & Conſtantini Monomachi Imp. cubicularius, a quibus decus hoc vanus homo accepit.

Digitized by Google

Conſecrationi baſilicae Caſſinenſis ab Alexandro II. anno MLXXI. peractae interfuerunt Archiepiſcopi decem, inter quos *Tranenſem* enumerat Leo Oſtienſis. Quum itaque Tranenſis ſedes anno MLIX. epiſcopalis; anno autem MLXI. archiepiſcopalis eſſet; liquet, inter medium hoc tempus Tranum metropolim factam. Exciſa Salapia, huius ſedis iura Tranenſi attribuit Martinus V. Ceterum duo Tranenſi metropolitae ſubſunt ſuffraganei, Vigilienſis & Andrienſis. Ita in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Tranenſis hos habet ſuffraganeos: Vigilienſem, Andrenſem*.

Brunduſium quis Romanorum pontificum in metropolim erexerit, non ſatis liquet. Res coniecturis agenda eſt. In diplomate Iohannis Canuſini & Brunduſini antiſtitis an. DCCCCII. edito idem Iohannes *Archiepiſcopus Sedis Canuſinae & Brunduſinae Eccleſiae, decimo anno preſulatus ſui*, privilegium indulſiſſe legitur Bonifacio Abbati Coenobii Cuperſanenſis s. Benedicti (27): unde habes, & Iohannem hunc ab anno DCCCXCII. praeſulem factum fuiſſe, & Canuſinam ac Brunduſinam Eccleſias rexiſſe. Quod vero Iohannes *Archiepiſcopum Canuſinum & Brunduſinum* ſe inſcripſerit, id illorum temporum abuſui tribuendum; nam anno DCCCCII. Canuſina ſedes nec metropolitana fuit, nec exinde metropoleos decus umquam eſt nacta (vid. ſupra p. CXLII. & ſeq. in not.); Brunduſina vero multo poſt metropolis evaſit. Nullam nimirum metropolim eccleſiaſticam in Regno a Romanis Pontificibus erectam ante Iohannem XIII., qui eam dignitatem primus contulit Capuano Antiſtiti anno DCCCCLXVI., ſatis compertum eſt. Quare Andreas Iohannis ſucceſſor *Oretanus epiſcopus*, non Archiepiſcopus, dicitur Protoſpatae loco mox laudando. Depraedato enim a Saracenis Canuſio, poſt obitum Angelarii ea civitas inſtaurata Brunduſino potius, quam Barenſi antiſtiti regenda eſt tradita, in odium ſcilicet Barenſium, qui corpora ss. Sabini, Rufini, & Memoris inde abſtulerant. Iohannes hic Canuſinus & Brunduſinus praeſul Ughellum latuit: proinde ſeriei Brunduſinorum antiſtitum ab eo contextae addendus eſt ante Andream. Iohanni in Brunduſina cathedra ſucceſſit An-

(27) Apud Aſſeman. de Reb. Neap. & Sicul. cap. XVIII. p. 590. tom. I.

Andreas; quem a Porphyrio Protoſpata interfectum, teſtatur Lupus Protoſpata (28): *Anno* DCCCCLXXIX. *Occidit Porphyrius Protoſpata Andream epiſcopum Oretanum menſe Augusti:* poſtquam nempe *anno* DCCCCLXXVII. *incenderunt Agareni Civitatem Oriae, & cunctum vulgus in Siciliam deduxerunt*, ut idem refert Lupus (29). Andreas autem Vriam, (modicum haud procul oppidum) Brunduſina urbe ab iisdem Saracenis devaſtata, ſe recepit: quo factum, ut exinde epiſcopi *Brunduſini* & *Uritani* dici coeperint. Ipſe Andreas *Brunduſinus & Uritanus* epiſcopus dicitur, & tantum *epiſcopus Oretanus* Lupo Protoſpatae. Theodoſius *Oritanae Sedis Antiſtes* dicitur Auctori Hiſtoriae Translationis s. Leucii, quae poſt annum ML. acta eſt. Euſtachius anno MLX. *ſe Brunduſinum & Uritanum Archiepiſcopum* inſcripſit. Conſecrationi Baſilicae Caſſinenſis ab Alexandro II. celebratae anno MLXXI. inter decem, qui interfuerunt, Archiepiſcopos, *Orietanus* enumeratur a Leone Oſtienſi (30): unde habes, iam ante eum annum Uritanam, ſeu Brunduſinam ſedem archiepiſcopali dignitate auctam. Urbanus II. Godinum arguit, quod nec Brunduſii habitaret, nec *Brunduſinus*, ſed *Uritanus* archiepiſcopus dici vellet. Paſchalis II. anno MCX. ſimul coniunxit Brunduſinam & Uritanam Eccleſias, iiſque Oſtunenſem ſuffraganeum dedit. Unus itaque Brumduſinae ſedi paret Oſtuni epiſcopus. Hinc in Notitia quinque Patriarchatuum ſcriptum eſt: *Archiepiſcopus Brunduſinus hunc habet ſuffraganeum, Oſtunenſem.*

Acris inter Uritanos & Brunduſinos exarſit contentio, utra ſedes praeſtaret alteri. Pro Brunduſina pronunciavit Paſchalis II. Labente tempore Uritani Franciſcum Aleandrum Brunduſinum archiepiſcopum admittere negarunt, niſi ſe ut Brunduſinum, ita & Uritanum metropolitam inſcriberet, publicoque edicto teſtaretur, parem utriuſque Sedis dignitatem eſſe; at a Paullo III. parere Brunduſino, ut antea, iuſſi ſunt. Finem iurgiis impoſuit Gregorius XIV. anno MDXCI., a quo cautum, ut utraque civitas proprium haberet praeſulem, Brunduſium archiepiſcopum, Uria epiſcopum, qui tamen non Brunduſino, ne id moleſtum civi-

(28) In Chronic. tom. IV. Hiſtor. Princip. Longob. p. 28. edit. Pratilli.
(29) Cit. loc.
(30) In Chronic. Caſſin. lib. III. cap. XXVIII.

Digitized by Google

civibus eſſet, ſed Tarentino metropolitae ſubeſſet. Inde Uritani archiepiſcopi appellari deſierunt.

Tarentum epiſcopalis olim ſedes fuit. Nullius Tarentini praeſulis nomen invenire eſt ante Gregorii M. tempora, cuius extant epiſtolae ad Andream & Honorium Tarentinos epiſcopos (31). Subinde tres Synodis tribus ſubſcripſere; Iohannes Romanae ſub Martino I. anno DCXLIX.; Germanus CPolitanae anno DCLXXX. ſub Agathone P.; & Caeſarius Romanae ſub Zacharia P. anno DCCXLIII. Tandem metropolitica dignitate aucta eſt; ſed quo tempore, incertum. Ante annum DCCCCLXXVIII. Iohannes quidam *Tarentinae Eccleſiae Archiepiſcopus* nominatur in documento Pandulfi Caputferrei Principis Capuani, & Landulfi eius filii de confirmatione Eccleſiae s. Michaëlis Archangeli de Monte Gargano, facta Landulfo Archiepiſcopo Capuano. At nudum eiuſmodi titulum aut a Byzantino patriarcha accepit, aut potius tumido more Graecanico Archiepiſcopus dictus eſt, qui revera merus erat epiſcopus; etenim a Romano pontifice metropoliticam Tarentino antiſtiti dignitatem declinante ſaeculo decimo collatam non legitur. Porro ſi tum Tarentinus praeſul metropoliticam a Romano pontifice partam dignitatem habuiſſet, quinam ei paruiſſent ſuffraganei, Caſtellanetae ne, Motulae, an Uriae? At Caſtellaneta, & Motula epiſcopales ſedes primum evaſerunt aevo Roberti Wiſcardi circa an. MLXXX.; Uria vero anno MLXXI. iam metropolis erat, eiuſque ſedis antiſtitem Tarentino metropolitae primus ſubiecit Gregorius XIV. anno MDXCI. Sunt qui ante annum MLXXI. Tarentinam ſedem metropolitica dignitate auctam colligunt ex Leone Oſtienſi (32), qui conſecrationi eccleſiae Caſſinenſis ab Alexandro II. eo anno celebratae interfuiſſe refert Archiepiſcopos decem, inter quos *Tarentinum* appellat. Sed in Codice Oſtienſis non *Tarentinus*, ſed *Ydrontinus* legitur. Coniici non abs re poteſt, Tarentinam ſedem circa annum MC. metropolim factam a Paſchale II. Hinc *Maraldus Tarantinus Archiepiſcopus* cum multis Archiepiſcopis & epiſcopis Regni conſecrationi cathedralis eccleſiae Canuſinae in

(31) Lib. III. ep. XLV. ad Andream Tarentin.

(32) Cit. loc.

Digitized by Google

in honorem s. Sabini ab eodem Paſchale II. anno MCII. peractae interfuit, ut in huius Pontificis diplomate (33) legitur. Duos Tarentino metropolitae ſuffraganeos adſignavit Paſchalis II., Motulenſem & Caſtellanum; quibus a Gregorio XIV. anno MDXCI. Uritanus additus eſt. Hinc ſub Tarentino metropolita priores duo ſuffraganei, nulla iniecta Vritani mentione, recenſentur in vetuſtis Notitiis ante Gregorium XIV. editis. Sic Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Tarentinus hos habet ſuffraganeos: Mutilenſem, Caſtellanum.* Eadem Thuanenſis Notitia perhibet.

C A P. IV.

De metropolibus Acheruntina, Compſana, Conſentina, & Theatina.

Acheruntina metropolis quo primum tempore ſit erecta, apertum non eſt. Id certum eſt, eiusmodi dignitate caruiſſe ad an. MLI. Sane ſub Graecis Acheruntinus epiſcopus primum metropolitano Sanctae-Severinae, ut ex diatypoſi Leoniana; tum anno DCCCCLXVIII. a Polyeucto CPolitano patriarcha Hydruntino ſubditus eſt, ut ex Luitprando liquet (1). Pulſis vero Graecis e noſtris regionibus, a Romanis pontificibus Acheruntinus praeſul Salernitano metropolitae parere iuſſus eſt, cui ab anno DCCCCXCIII. ad MLI. ſuffraganeus fuit. Iohannes XV. diplomate Grimoaldo Salernitano Archiepiſcopo dato anno DCCCCXCIII. inter ſuffraganeas Salernitanae metropoleos ſedes *epiſcopatum Acheruntinum* affert. Idem expreſſum eſt in diplomatis Sergii IV. anno MXII., Clementis II. anno MXLVII., & Leonis IX. anno MLI. datis. Poſt annum MLI. Acheruntia metropolis eſt facta; ſed quo anno, & a quo Romano pontifice, incertum. Forte a Nicolao II., qui ab anno MLVIII. ad MLXI. pontificatum geſſit, metropoliticum Acheruntinae ſedi decus collatum

(33) Huius diplomatis, cuius αὐτόγραφον in Tabulario Capituli Canuſini ſervatur, exemplar, ut eſt in vetuſtiſſimo marmore in Canuſina eccleſia poſito, exſcripſit Angelus Maria Tortora Hiſtor. eccleſ. Canuſin. cap. XII. p. 170.

(1) In Legation. ad Nicephor. Phocam apud Murator. S.R.I. part. I. tom. II.

latum eſt. Godanus enim *Acheruntinus Archiepiſcopus* dicitur in bulla Arnaldo Tricaricenſi epiſcopo data an. MLX. (*). Gerardus *Acheruntinus Archiepiſcopus* appellatur in privilegio a Roberto Wiſcardo dato eccleſiae s. Iohannis de Salo Venuſinae dioeceſis anno MLXIII. Sub Alexandro II., qui Nicolao anno MLXI. mortuo, ſucceſſit, Acheruntinus antiſtes metropolitica dignitate pollebat; Alexander enim diplomate Arnoldo Acheruntino Archiepiſcopo dato anno MLXVIII., eidem *confirmat Archiepiſcopatum Acheruntinae eccleſiae, cum omnibus parochiis ſuis civitatibus quinque, videlicet Venuſio, Monte Milone, Potenza, Tulba, Tricarico, Monte Peloſo, Gravina, Matera, Oblano, Turri Turſio, Laſiniano, Sancto Quiriaco, Virolo &c.*; tum *pallium ex more ad miſſarum ſollemnia celebranda, ſicut conceſſum eſt anteceſſoribus tuis*, ipſi indulget. Conſecrationi baſilicae Caſſinenſis ab Alexandro II. anno MLXXI celebratae interſuerunt decem Archiepiſcopi, quos inter *Acerentinum* enumerat Leo Oſtienſis (2). Urbanus II. diplomate Alphano Salernitano Archiepiſcopo dato anno MXCIX. Acheruntinum & Compſanum Archiepiſcopos Salernitano tamquam Primati ſubeſſe iuſſit. Lupus Protoſpata Materanorum Archiepiſcoporum meminit: *An.* MLXXX., inquit, *inventum eſt corpus B. Canionis in Acherontia ab Arnaldo Archiepiſcopo*. Idem anno MCI. refert: *Hoc anno obiit Arnaldus Archiepiſcopus Acherontinus*. Tum pergit: *Anno* MCII. *Indict.* X. . . . *menſe Maii electus eſt Petrus Acheruntinus Archiepiſcopus*. Celebris eſt Acheruntina Sedes ob multas ei datas a Romanis pontificibus decretales (**).

Acheruntino metropolitae plures contributi ſunt ſuffraganei. In diplomate Alexandri II. Arnaldo Acheruntino dato anno MLXVIII. recenſentur Anglonenſis, Gravinenſis, Potentinus, Tricaricenſis, & Venuſinus. In diplomate Paſchalis II. Petro Acheruntino anno MCVI. conceſſo, ei *confirmantur quaecumque metropolitano iure praeteritis temporibus pertinuiſſe noſcuntur, vi-*
de-

(*) Bullam hanc ex Archivo Tricaricenſis Eccleſiae edidit, & a νοθείας calumnia ſtrenue vindicavit Antonius Zavarronus epiſcopus Tricaricenſis in *Not. ad Bullam Godani Archiep. Acheruntin.* Neap. MDCCLV. 4.

(2) Loco ſupra laudato.

(**) Videſis cap. *cum clam* de teſtam., cap. *ſi de colluſione* de reg. eccleſ., & cap. *cum olim* de cleric. coniugat.

Digitized by Google

delicet Venuſinum, *Gravinam*, *Tricaricum*, *Turſum*, *Potentiam* ? Iidem ſuffraganei recenſentur in diplomatis Eugenii III. anno MCLI. Roberto, & Alexandri III. anno MCLXXIX. Richardo Acheruntinis Archiepiſcopis datis. Ita quoque in Notitia quinque patriarchatuum ſcriptum eſt: *Archiepiſcopus Agerontinus hos habet ſuffraganeos*: *Potentinum*, *Tricanenſem*, *Venuſinum*, *Carponienſem*, *Gravinenſem*, *Anglonenſem*. Et in Notitia e Bibliotheca Thuanenſi evulgata: *Archiepiſcopus Aggerontinus hos habet ſuffraganeos*: *Potentinum*, *Gravienſem*, *Tricaricenſem*, *Anglonenſem*, *Venuſinum*. Nec abludit Provinciale Romanum Leonis X.: *Arc hiepiſcopus Acheruntinus hos habet ſuffraganeos*: *Materanen*, *unitum ſibi*, *Potentin*, *Tricaricen*, *Venuſen*, *Gravinen*, *Anglonen*. Anglona vero everſa, ſedes epiſcopi Turſium a Paullo III. anno MDXLVI. traducta eſt.

Acheruntia *anno* MXC. *menſe Auguſti admirandum in modum cremata eſt a ſeipſa*, inquit Lupus Protoſpata. Quare quum civibus ferme deſerta eſſet, Innocentius III. anno MCC. Andreae Acheruntino Archiepiſcopo conſulturus, qui in deſolata paene Acheruntia ſuam tueri dignitatem non poterat, Materanam baſilicam divo Petro ſacram cathedralem effecit, & Acheruntinae Sedi ſub uno eodemque Archiepiſcopo adiunxit: *Propter evidentem*, *utilitatem*, *& neceſſitatem urgentem* (verba ſunt Innocentii) *cathedralem eccleſiam apud Materam ſic duximus ſtatuendam*, *ut priori cathedrae uniatur*. Hinc Archiepiſcopus *Acheruntinus & Materanenſis* dictus (*). Stetit haec unio ad annum MCCCCXL. Orta enim inter clerum Materanenſem & Acheruntinum contentione de alterutrius praeſtantia; Eugenius IV. eo anno MCCCCXL. alterum ab altero disiunxit, tribuitque Materanae eccleſiae rectorem Petrum epiſcopum Motulanum. Quatuor poſt annos Matera Acheruntinae, novo creato Archiepiſcopo, ut utriuſque commodo conſuleretur, iterum unita eſt. Continuo inter utrumque clerum con-

(*) Materae epiſcopum ab Hydruntino metropolita iuſſu Polyeucti Byzantini Patriarchae inſtitutum, colligere licet ex Luitprando in ſua ad Nicephorum Phocam Legatione. Matera vero Graecis erepta, epiſcopus creari deſiit: quod patet ex diplomate Alexandri II., in quo inter parochias Acheruntino epiſcopo contributas *Matera* recenſetur, nulla iniecta epiſcopatus mentione.

contentio recruduit. Eam Sixtus IV. anno MCCCCLXXI. ſic ſopivit, ut harum eccleſiarum antiſtes, dum Acheruntiae inque eius dioeceſi eſſet, *Acheruntinus & Materanus*, dum vero Materae ageret, *Materanus & Acheruntinus* nuncuparetur, publicisque tabulis ſe ſubſcriberet. Iterum oborta lis prorſus peremta eſt a Clemente VIII. anno MDXCIX., qui pro Acheruntinis pronuntiavit. Quod vero epiſcopus Materae habitet, ubi urbs & baſilica elegantior eſt, *Archiepiſcopus Materanenſis* vulgo appellatur.

Compſana ſedes quando, & a quo pontifice metropolis ſit inſtituta, ignoramus. Id certum eſt, ſuffraganeam Salernitani metropolitani fuiſſe ad annum MLI: quod ex diplomatis Clementis II. anno MXLVII. & Leonis IX. anno MLI. datis perſpicuum eſt. Hariolari poſſumus, ab Alexandro II., qui ab anno MLXI. ad MLXXIII. pontificatum geſſit, eiuſve ſucceſſore Gregorio VII. qui anno MLXXXVII. obiit, decus hoc Compſanae ſedi collatum. Sane ſub Gregorio VII. Leo Compſanus Archiepiſcopus vixit. Porro Urbanus II., qui poſt Gregorium VII. ſedit, Michaëli Salernitano anno MXCIX. conceſſit *ſuper Compſanam, & Acheruntinam eccleſias, & earum ſuffraganeos primatum gerere*. Plures olim Compſano metropolitae paruerunt ſuffraganei. Quatuor, puta Muranenſis, Laquedonienſis, Satrianenſis, & Montis-viridis recenſentur in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Compſanus hos habet ſuffraganeos: Marranenſem, Ludonicenſem, Satrianum, Montis-viridem*. Quintus, hoc eſt Angelopolis, ſive s. Angeli Lombardorum, additur in Notitia e Thuanenſi Bibliotheca edita: *Archiepiſcopus Compſanus hos habet ſuffraganeos: Morunenſem, Laquedonenſem, Satrianenſem, s. Angeli, Montis-viridis*. Duos alios, puta Biſacienſem, & Belſinatenſem (de hac ſede nullum nunc extat veſtigium) affert Provinciale Romanum Leonis X: *Archiepiſcopus Conſen hos habet ſuffraganeos: Moran, Belſinaten, Satrianen, Montis-viridis, Laquedonen, s. Angeli de Lombardis, Biſacien*. Lapſu temporis epiſcopatus s. Angeli Biſacienſi primum a Leone X., tum a Paulo III. adiunctus eſt. Satrianenſis autem Campanienſi additus, ac Montis-viridis in Nazarenum Archiepiſcopatum transſcriptus eſt. Ita

tres nunc Compſano metropolitae parent ſuffraganei, Laquedonenſis, Muranus, & Biſacienſis.

Conſentia quo primum tempore metropolis ſit facta, non liquet. Sedes haec varias pertulit viciſſitudines. Primum Romano metropolitae paruit, uti conſtat ex Gregorio M. (3). Concilio CPolitano III. ſub Agathone P. anno DCLXXX. Iulianus; & Romano ſub Zacharia P. anno DCCXLIII. habito, Anfridus, ſeu Roſſredus *Conſentini epiſcopi* ſubſcripſere. Traducta per Leonem Iſauricum Calabria anno DCCXXXII. a Romana ad CPolitanam ſedem, Conſentina Sedes Regino metropolitae ſubiecta eſt, ut ex Graecorum diatypoſibus patet (4). Non multo poſt Longobardi Conſentinam urbem Graecis abſtulere, tandemque Salernitano Principatui attribuerunt; eam enim iam ante annum DCCCLI. ſub Longobardorum dominatione fuiſſe, conſtat ex Capitulari Radelchiſi Principis Beneventi eo anno edito, quo pactum diviſionis Principatus Beneventani cum Siconulfo Principe Salerni firmavit (5): *In parte veſtra ſint iſta Gaſtaldata . . . Tarentum, Latinianum, Caſſanum*, CUSENTIA, *Lainus*, *Lucania*, *Conſia &c.* Et Chronographus Cavenſis ad an. DCCCXCVI. (6): *Interim Graeci cum Saracenis fines Principatus* (Salernitani) *invadunt in Calabria, nempe in* CUSENTIA, *Beſinianu*, *Latinianu &c.* Sub Longobardorum autem dominatione Conſentinus epiſcopus ad Romanum metropolitam ſuum rediit. Ante an. DCCCCXX. Latini iuris erat Iſelgrimus *Cuſentinus* epiſcopus, qui cum Godelberto Abbate s. Vincentii de Vulturno commutationes quaſdam fecit; teſte Chronographo Vulturnenſi (7). Hinc factum, ut Salernitano praeſule in metropolitanum erecto anno DCCCCLXXXVI., Conſentinus praeſul, qui ſub Principatu Salernitano erat, ſuffraganeus Salernitani metropolitae factus fuerit; cui ad annum MLI. paruit, uti conſtat ex

(3) Lib. IX. ep. XLVII. & alibi.

(4) Vide part. II. cap. III. pag. LXXXIII.

(5) Ext. in Hiſt. Princip. Longobard. tom. III. p. 216. Fines Salernitani Principatus deſcribit Pratillus not. ad Peregrinii diſſ. VI. de finib. Ducat. Benev. ad Orient. p. 261. ſeq. tom. V. Hiſt. Princip. Longob.

(6) Ext. in Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. edit. Pratill.

(7) Lib. IV. apud Murator. S.R.I. tom. 7. part. II.

ex diplomatis praeſertim Clementis II. anno MXLVII., & Leonis IX anno MLI. Hinc habes, Conſentinam ſedem anno MLI. nondum metropolitica dignitate illuſtratam. Coniectare licet poſt id tempus eam tali dignitate auctam; etenim Lupus Protoſpata ſcribit: *Anno* MLVI.... *obiit Petrus Archiepiſcopus Cuſentiae.* Hoc ergo anno Conſentinus praeſul iam Archiepiſcopus erat. Praeterea in bulla a Godano Archiepiſcopo Acheruntino data Arnaldo Tricarienſi epiſcopo anno MLX. mentio iniicitur *Arnulphi Conſentinae eccleſiae Archipraeſulis*. Rogerius Dux diplomate anno MXCIII. edito donat *Arnulpho Archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus quidquid ipſius pater* (Robertus Viſcardus) *eius prioribus Archiepiſcopis eccleſiam s. Dei Genitricis Mariae Cuſentiae gubernantibus dedit*. Ceteri deinceps Conſentini praeſules *Archiepiſcopi* paſſim dicuntur. Iam Conſentino metropolita unus paret Martorani epiſcopus. Sic in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Cuſentinus hunc habet ſuffraganeum, Marturanenſem*. Multos quidem Conſentina provincia complectitur epiſcopos; ſed omnes fere Romano metropolitae ſubſunt.

Poſtrema omnium Regni Neapolitani ſedium in metropolim erectarum eſt Theatina. Hanc metropolitica dignitate inſtruxit Clemens VII. anno MDXXVI., precibus Caroli Imp. & urbis Theatinae permotus. Tres epiſcopi ab eodem Clemente illi contributi ſunt, Lancianenſis, Pennenſis, & Adrienſis. Sed Pennenſis epiſcopus primum apud ipſum Clementem, tum apud Paulum III. de iniuria ſibi illata queſtus eſt; cum enim antea Romano metropolitae ſubeſſet, Theatino praeter morem antiquum parere iuſſus erat. Nihil ipſi Clemens VII. indulſit; ſed a Paulo III. in priſtinum ius reſtitutus eſt. Adrienſis epiſcopatus Pennenſi adiunctus eſt. Lancianenſis etiam praeſul Archiepiſcopus renuntiatus eſt a Pio IV. anno MDLXII. Eius loco Ortonae (exiguum eſt ad litus maris oppidum) Pius V. anno MDLXX. conſtituit epiſcopum, qui Theatino ſubeſſet. Ortonae, quod epiſcopo vix eſſet, unde viveret, addita eſt a Clemente VIII. Campa, tenue item oppidulum. Ita uni nunc Ortonenſi epiſcopo metropolita Theatinus praeeſt.

Digitized by Google

CAP. V.

De metropolibus a Romanis pontificibus confirmatis, Regienſi, Sanctae-Severinae, & Hydruntina.

NOn novas modo metropoles & Archiepiſcopatus in Regno noſtro Romani pontifices inſtituerunt, ſed & a patriarcha CPolitano in veteri novaque Calabria erectas, pacis ſtudio ratas habuere. Eiuſmodi ſunt Regina, Sanctae-Severinae, & Hydruntina, quas Graeci conſtituerunt; iiſque Calabria Northmannorum virtute eiectis, Romani pontifices, ne quid earum Sedium antiſtites e dignitate ſua deceſſiſſe quererentur, confirmarunt. Profecto poſt depulſos Graecos, in Calabriae eccleſiis haud immutata politia, quam tamdiu ratam habuerat Romana Sedes. Sub ipſis enim Graecis, Calabriae ac Siciliae dominis, quidquid dignitatis & honoris Graeci avulſis a Romana Sede Antiſtitibus contulere, id Summi pontifices prudenti oeconomia uſi paſſim ratum habuere, ne ſpe illos aliquando ſibi vindicandi penitus exciderent. Ita Nicolaus I. (1) a Michaële Imp. tantum Syracuſani Archiepiſcopi, non epiſcoporum omnium Siciliae conſecrationem ſibi reſtitui poſtulavit: quin Gregorium Syracuſanum *adverſus Patrem & Patriarcham ſuum* (Ignatium) *impietatis iacula exacuiſſe* adſerere non dubitavit.

Regium Calabriae metropolis ſub ipſo forte Leone Iſaurico facta eſt a CPolitano patriarcha, ſuffraganeis ipſi contributis epiſcopis *Vibonae*, *Taurianae*, *Locrorum*, *Ruſiani*, *Scylacei*, *Tropaeae*, *Amanteae*, *Cotronis*, *Conſtantiae*, *Nicoterae*, *Biſuniani*, *Neocaſtri*, & *Caſſani*, ut habent Graecorum diatypoſes (2). Pulſis Calabria Graecis, Regienſis Archiepiſcopi adpellationem & iura ſub Graecis adepta, diuque exercita, Romani pontifices paci prudenter inſervientes rata habuerunt. Eius quidem iura metropolitica Gregorius VII. (3) ſarta tecta ſervavit. Regium Graecis abſtulit Robertus Wiſcardus circa annum MLX. Vix eiectis Graecis

(1) Ep. II. & IX. ad Michaël. Imp. apud Harduin. Conc. tom. V. col. 148.

(2) Vide ſupra part. II. cap. III. p. LXXXI. ſeqq.

(3) Lib. IX. Regeſt. ep. XXIV.

Digitized by Google

cis occurrit *Archiepiſcopi Regienſis* mentio in donatione a Rogerio Comite anno MLXXXVI. facta Panormitanae eccleſiae (4); ei enim ſubſcripſit Reginus antiſtes, cuius nomen excidit: *Ego V. Regienſis Archiepiſcopus huic donationi interfui, & teſtis ſum*. Qui temporibus hiſce Reginam adminiſtrabat eccleſiam, vetus ius metropoliticum in Calabriae ſedes exercere perrexit, ipſis non obluctantibus, quin & probantibus Romanis pontificibus. Quum enim Rogerius a Gregorio VII. poſtulaſſet, ut paſtorem Miletenſi epiſcopatui a ſe recens inſtituto, una cum Roberto Troinenſi Electo conſecraret; abnuit pontifex, quod ad Regienſem metropolitam, in cuius provincia ex duabus antiquis ei ſubiectis, Vibonae & Taurianae, eccleſia illa novabatur, novi epiſcopi conſecratio ſpectare videretur: *De eo autem*, inquit, *quod ſuper Electo Melitenſi poſtulaſti, noverit Nobilitas tua nobis eſſe intimatum, ad ius eccleſiae Rhegytanae pertinere. Unde non aliter annuendum poſtulationi tuae perpendimus, niſi diligenter examinata iuſtitia, Melitenſem Eccleſiam ad praefatae Rhegytanae parochiae conſecrationem non attinere conſtiterit*. Egregius hic locus ad oſtendendum, Romanos pontifices, eiectis Calabria Graecis, ſuam epiſcopis dignitatem & auctoritatem a Patriarcha CPolitano acceptam, ſervatam voluiſſe. Rata haberi vult Gregorius Reginae Sedi metropolitica iura ſub Graecis iamdiu parta; ſi enim nova illi iura contuliſſet, facile pontifici patuiſſet, quibus limitibus provincia Regina contineretur. Eidem Regienſi Sedi metropolitica iura, quae a tribus circiter ſaeculis ſub Graecis comparaverat, intacta ſervari iuſſerunt Eugenius III. (cuius diploma fata nobis invidere) & Alexander III. diplomate *Rogerio Regenſi Archiepiſcopo* circa annum MCLXV. dato (5): *Aequum enim, & rationabile eſt, ut ſuus unicuique bonor eccleſiae, atque collata dignitas Sedis Apoſtolicae munimine confirmetur. Quocirca, Venerabilis in Chriſto Frater Rogeri Archiepiſcope, tuis iuſtis poſtulationibus benignum impartimur aſſenſum; & praedeceſſorum noſtrorum felicis memoriae* GREGORII, & EUGENII (vides heic memorari deperditum Eugenii III. diploma de Regina eccleſia) *Ro-*

(4) Ext. apud Pirrum Notit. eccleſ. Panorm. in Alcherio tom. I. p. 74.

(5) Hoc diploma ex autographo, quod in Tabulario Regienſis eccleſiae adſervatur, exſcripſit V. C. Ioſephus Moriſanus diatriba de Protopapis & Deutereis Graecor. cap. XII. p. 220.

Digitized by Google

Romanorum pontificum veſtigiis inhaerentes, praedictam Regenſem eccleſiam. . . ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & praeſentis ſcripti privilegio communimus . . . . . Praeterea ipſum Regenſem Archiepiſcopatum, cum omnibus ſuis epiſcopatibus, videlicet Tropeiano, Neocaſtrenſi, Sillano, Caſſanenſi, Bovenſi, Geratino, Openſi, & Cotroneſi, atque cum adiacentibus parochiis ſuis, tibi, tuiſque ſucceſſoribus nichilominus confirmamus, & ordinandi, ſeu conſecrandi epiſcopos, tam Graecos, quam Latinos eccleſiae tuae ſubiectos, licentiam, & poteſtatem pariter indulgemus. Tandem pallii uſum Rogerio indulget, quibuſque diebus eo uti liceat, praeſcribit.

Regienſi metropolitae tredecim, uti dictum, ſub Graecis paruere ſuffraganei, *Vibonis*, *Taurianae*, *Locrorum*, *Ruſiani*, *Scillacii*, *Tropaeae*, *Amantbeae*, *Cotronis*, *Conſentiae*, *Nicoterae*, *Biſuniani*, *Neocaſtri*, & *Caſſani*. In allato autem Alexandri III. diplomate octo ſub Regino Archiepiſcopo Sedes enumerantur, nempe *Tropaeae*, *Neocaſtri*, *Scyllacii*, *Caſſani*, *Bovae*, *Hieracii*, *Oppidi*, & *Crotonis*. Ne mireris, ex tredecim epiſcopatibus Regino metropolitae ſubiectis ſub Graecorum imperio, ſex tantum ab Alexandro memorari; ex iis enim duo, Conſentinus & Roſſanenſis, in Archiepiſcopatus erecti: alii duo, Vibonenſis & Taurianenſis, a Saracenis exciſi, in Miletenſem epiſcopatum a Rogerio inſtitutum, tranſiere: duo alii aliis adiuncti ſunt, nempe Amantheanus Tropeano, & Nicoterenſis Regino unitus, a quo Bonifacius VIII. anno MCCCXCII. avulſit, & ipſi Regienſi metropolitae reſtituit. Biſunianenſis epiſcopus, etſi a Graecis Regino metropolitae attributus ſit ab ipſis fere abſtractionis dioeceſeon temporibus; mox tamen, urbe Graecis erepta per Longobardos, Salernitano Archiepiſcopo, in cuius urbis Principatu erat, contributus a Romanis pontificibus (6); tandemque Romano metropolitae ſubiectus eſt, cui aevo Alexandri III. ſuberat. Porro in Alexandri diplomate Geratinus idem eſt ac Locrenſis; medio enim aevo Locri reſtituti a Graecis s. *Cyriacae* nuncupati ſunt, unde corrupto vocabulo *Hieracium* emerſit. Duo additi ſunt epiſco-

(6) Vide ſupra cap. I. pag. CXXVIII. & cap. IV. pag. CLVII.

piſcopatus, Bovenſis & Oppidenſis, a Graecis ſaeculo X. aut XI. inſtituti, Reginoque metropolitae ſuppoſiti. Cathacenſis vero epiſcopatus nulla in laudato diplomate mentio iniicitur; quod ſub Alexandro III. adhuc erectus non erat. In Notitia quinque patriarchatuum ſequentes enumerantur: *Archiepiſcopus Rheginus hos habet ſuffraganeos: Caſſanenſem, Neocaſtrenſem, Catacenſem, Crotonienſem, Cropienſem, Oppenſcinum* vel *Oppidanum*, *Bovenſem, Garatinum, Squillacenſem, Miletenſem; eſt Domini Papae*. In Notitia Thuanenſi: *Archiepiſcopus Reginus hos habet ſuffraganeos: Caſſanenſem, Crotonienſem, Bovenſem, Militenſem exemtum, Neocaſtrenſem, Tropenſem, Geratinum, Cathacenſem, Oppenſem, Squilatenſem*. Et in Provinciali Romano Leonis X: *Archiepiſcopus Rhegen hos habet ſuffraganeos: Caſſanen, Neucaſtren, Catacen, Crotonien, Tropien, Oppiden, Boien, Geracien, Squillaten, Nicoteren*.

Sancta-Severina metropolis a Patriarcha CPolitano inſtituta fuit, adſignatis ei ſuffraganeis quinque, *Euriatenſi*, *Acerantino*, *Callipolitano*, *Aiſylorum*, & *Veteris Caſtri*, ut habent Graecorum diſpoſitiones (7). Baſilius *Sanctae Severinae metropolita* memoratur in conſtitutione Siſinnii patriarchae anno DCCCCXCVII. evulgata. Graecis Calabria pulſis, Romani pontifices hanc Sanſeverinatenſi ſedi dignitatem ratam habuere. Stephanus quidem *Sanctae Severinae epiſcopus* appellatur in inſtrumento Rogerii Ducis Calabriae anno MXCVI. ſcripto. At qui eum excepit Conſtantinus anno MCXV. ab eodem Rogerio *metropolitanus* dicitur. Ceteri deinceps Sanctae-Severinae praeſules *Archiepiſcopi* ubique inſcribuntur. Sub metropolita Sanctae-Severinae hi ſuffraganei recenſentur in Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Sancti Severini hos habet ſuffraganeos: Ebuacenſem, Stronienſem, Genencaſtrenſem, Gerontinenſem, Inſulenſem, Sancti Leonis*. Conſonat Notitia Thuanenſis: *Archiepiſcopus s. Severinae hos habet ſuffraganeos: Ebriacenſem, Geruntinum, Stronienſem, Genecaſtrenſem*. Et Provinciale Leonis X: *Archiepiſcopus Sanctae-Severinae hos habet ſuffraganeos: Ebriacen, vel Umbriaticen, S. Leonis Graecus*,

(7) Vide huius diatribae part. II. cap. III. p. LXXXVI.

cus, *Genecaſtren*, *Sitonien*, *Inſulen*, *Geruntin*, *Strangulen*. Epiſcopatus S.Leonis a Pio V. anno MDLXXI abolitus eſt, iuraque omnia in metropolim translata; Cariatenſis vero Geruntinenſi unitus. Ita quinque tantum ſedes enumerantur, Bellicaſtrum, Cariatum, Strongylo, Umbriaticum, & Inſula.

Hydruntum a Graecis primum Archiepiſcopatus ſine ullis ſuffraganeis, deinde metropolis a Polyeucto Patriarcha CPolitano circa annum DCCCCLXVIII. facta eſt, adſignatis quinque Hydruntino Metropolitae ſuffraganeis, Turcici, Acheruntiae, Gravinae, Materae, & Tricarici: *Scripſit itaque Polyeuctus CPolitanus patriarcha privilegium Hydruntino epiſcopo, quatenus ſua auctoritate habeat licentiam epiſcopos conſecrandi in Acirentia*, *Turcico*, *Gravina*, *Maceria*, *Tricarico*, *qui ad conſecrationem Apoſtolici pertinere videntur*, inquit Luitprandus Cremonenſis (8). Paruit Hydruntinus metropolita CPolitano patriarchae ad Northmannos uſque. Nicetas *metropolita Hydruntinus* anno MXXVIII. interfuit Synodicae conſtitutioni Alexii Studitae. Graecis e regionibus noſtris penitus eiectis, Romani pontifices Hydruntini metropolitae dignitatem ſub Graecis partam bono pacis ratam habuere. Concilio Salernitano ab Alexandro II. anno MLXVIII. habito ſubſcripſit *Hugo Hydruntinus Archiepiſcopus*: quod nec ſumſiſſet ipſe ſibi, nec probaſſet Alexander, niſi eam dignitatem Hydruntinae Sedi collatam a Graecis ratam habuiſſent Romani pontifices, aut certe ipſi iam tum indulſiſſent. Idem Hugo *Idrontinus* Archiepiſcopus interfuit conſecrationi eccleſiae Caſſinenſis ab eodem Alexandro II. anno MLXXI. celebratae, teſte Leone Oſtienſi (9). Ipſemet Hugo una cum Vrſo Barenſi, & A. Tarentino Archiepiſcopis memoratur in donatione Rogerii Ducis Apuliae Monaſterio ss. Trinitatis de Venuſio factae anno MLXXXI. Petrus Hydruntinus Archiepiſcopus cum Gualterio Barenſi, & Baigelardo Brunduſino Archiepiſcopis ſubſcripſit privilegio, a Boëmundo Principe Antiocheno & Tarenti Domino Nilo Abbati Baſiliano s. Anaſtaſii de Carbono anno MCXXVI. conceſſo.

(8) In legation. ad Nicephor. Phoc.

(9) In Chronic. Caſſin. lib. III. cap. XXVIII.

ceſſo. Hydruntino metropolitae a Romanis pontificibus quinque epiſcopatus contributi ſunt, Aletium, Alexanum, Caſtrum, Callipolis, Vxentum. Sic Notitia quinque patriarchatuum: *Archiepiſcopus Hidrontinus*, inquit, *hos habet ſuffraganeos: Caſtrenſem, Galopolitanum, Licienſem, Vgentinum, Leucenſem*. Conſonat Notitia Thuanenſis: *Archiepiſcopus Hydruntinus hos habet ſuffraganeos: Caſtrenſem, Vgentinum, Gallipolitanum, Leutenſem, Licienſem*. Et Provinciale Romanum Leonis X: *Archiepiſcopus Hydruntinen hos habet ſuffraganeos: Caſtren, Gallipolitanen, Ogentin, Lauceden, Neritonen*. Leucenſis epiſcopatus poſtea ſuppreſſus eſt.

C A P. VI.

De Archiepiſcopatibus Roſſanenſi, Nazareno, & Lancianenſi.

NOn metropolitani modo, qui ſuffraganeis praeſunt, ſed et nudi *Archiepiſcopi* ſine ſubiectis ſuffraganeis extant in Regno Neapolitano (*). Eiuſmodi ſunt Archiepiſcopi tres, *Roſ-*

Y *ſa-*

(*) Primum in Oriente, tum in Occidente, ac nominatim Regno noſtro ſequioribus temporibus innotuerunt honorarii Archiepiſcopi, hoc eſt meri epiſcopi, qui primum poſt verum provinciae metropolitam locum obtinerent, ac epiſcopis reliquis honoratiores eſſent. Eiuſmodi Latinorum Archiepiſcopi omnino reſpondent Archiepiſcopis Graecorum. Nempe apud Latinos ſimplices Archiepiſcopi non metropolitanis illius provinciae, ſed Romano pontifici ἀμέσως ſubſunt; nullos, quibus praeſint, epiſcopos habent, ac honoratiores ſunt prae meris provinciae epiſcopis. Tales quoque ſunt Archiepiſcopi Graecorum. Balſamon in Meditatis ſcribit, *a Patribus ſancitum*, ut metropoles, *quae ſub ſe non habent urbes aliquas, epiſcoporum regimini ſubditas, Archiepiſcopos habeant pontifices; ut inferiores hae quidem ſint metropolibus, at epiſcopatibus ſuperiores*. Sed conceptior in rem noſtram eſt Nilus Doxopatrius de quinq. thron. patriarchalib., ubi de Antiochena ſede tradit, eam *hodie habere metropoles tredecim*; tum epiſcopatus ſub ſingulis metropolitanis enumerat; mox ſubdit: *Habet praeterea & alias metropoles, quae ſub ſe nullos habent epiſcopos, numero octo: quae quum prius eſſent epiſcopatus aliis metropolitanis obnoxii, in dignitatem metropolitanam provectae ſunt, decretumque, ne aliis metropolitanis ſubderentur, ſed tantummodo Patriarchae Antiocheno*. Idem Nilus de Hieroſolymitana Sede inquit, eam *habuiſſe & alias metropoles, varios epiſcopatus ſub ſe habentes; habere praeterea & Autocephalos epiſcopatus vigintiquinque*, Αὐτοκεφάλους Ἐπισκοπὰς εἰκοσιπέντε, *non habentes ſub ſe epiſcopatus, ſubiacere tamen Throno Hieroſolymorum*. Tandem Nilus ipſe de ſede CPolitana haec habet: Καὶ αἱ Ἀρχιεπισκοπαὶ αἱ ὑποκείμεναι τῷ Θρό-

ſanenſis, *Nazarenus*, & *Lancianenſis*; de quibus ſingulatim agendum.

Roſſanenſis Archiepiſcopatus obſcura ſunt primordia. Olim nulla fuit epiſcopalis Roſſani ſedes, ſed Thurii. Hac everſa urbe, Roſſanum translata eſt. Ita Concilio CPolitano III. ſub Agathone P. anno MCLXXX. Valerianus Roſſanenſis ſubſcripſit. Sub Graecis epiſcopus Roſſanenſis Regino metropolitae attributus fuit, ut ipſorum latercula probant (1). Sub ultimis Graecorum temporibus videtur eccleſia Roſſanenſis archiepiſcopali dignitate cohoneſtata. Ea enim Graeca ſemper fuit, & ſub primis Northmannis Archiepiſcopalis inventa eſt, uti liquet ex Gaufredo Malaterra (2), qui teſtatur, Rogerium Ducem *contra voluntatem Graecorum*, *qui Roſſano maxima ex parte principabantur*, *Graeco Archiepiſcopo eiuſdem ſedis defuncto*, *ſucceſſorem Latinum eligendo ſubrogaſſe*; nec aliter Roſſanum a Willielmo de Erentemanilia occupatam poſtea obtinuiſſe, quam *libertate urbi adſerta*, *ut de gente ſua Archiepiſcopum ſibi Graeci pro libitu eligerent*. Romani autem pontifices Roſſanenſis ſedis ſibi redditae archiepiſcopalem dignitatem ſub ultimis Graecis partam, pacis fovendae ſtudio ratam habuere. Qui enim an. MCLXXXVII. Roſſanenſi Sedi praeerat Coſmas, *Archiepiſcopus* appellatur quum in diplomate Tancredi Regis anno MCXCIII., tum in litteris Conſtantiae Imperatricis, quibus ſedis illius privilegia rata eſſe iubet. Archiepiſcopi Roſſanenſis meminit metropolita Regienſis in litteris ad Innocentium III. ſcriptis

Θρονω Κωνσταντινουπολεως, και μηδενι μητροπολιτῃ ὑποκειμεναι, μητε ἐχουσαι ὑφ' ἑαυτας Επισκοπας, *Archiepiſcopatus item*, *qui Throno CPolitano ſubiacent*, *nulli tamen metropolitano obnoxii*, *nec ſub ſe habentes epiſcopatus*. Quod vero honorarii hi Archiepiſcopi provinciarum metropolitis non ſubeſſent, ſed Patriarchae; dicti quoque ſunt Επισκοποι αὐτοκεφαλοι, & Αρχιεπισκοποι αὐτοκεφαλοι, hoc eſt, nulli ſubiecti metropolitae, quamvis αὐτοκεφαλον quod ipſum *ex ſe ſit caput* proprie ſignificet. Porro quum eiusmodi Archiepiſcopi primum inter provinciae epiſcopos locum haberent, *Protothroni* etiam adpellati ſunt: qua de re plura dat Lupus ad can. XII. Chalced. Oper. tom. II. p.54. Praeter ſimplices Archiepiſcopos ſunt in Italia, Regnoque noſtro *epiſcopi exemti*, qui nulli provinciae metropolitano, ſed Romanae Sedi ἀμεσως ſubſunt. Hi Archiepiſcopis Graecis parum abſimiles ſunt: in eo tantum ab iis abludunt, quod nec provinciales epiſcopos honore praecedunt, nec *Archiepiſcopi*, ſed epiſcopi titulum gerunt.

(1) Vide ſupra part. II. cap. III. p. LXXXIII.

(2) Lib. IV. cap. XXII. Ext. in Biblioth. Sicul. tom. I. p. 241.

Digitized by Google

tis . Clemens IV. bulla anno MCCLXVI. data (3) Angelum Archipresbyterum Roſſanenſis Eccleſiae a Capitulo poſtulatum , ei praefecit eccleſiae: *Capitulum Canonicorum Graecorum eccleſiae Roſſanenſis in Calabria per ſpeciales nuncios &c. humiliter poſtulari fecere a nobis, ut cum eccleſia ipſa Graecum habere Archiepiſcopum conſuevit, dudum fuerit paſtoris ſolatio deſtituta ... Fraternitati tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſupradicto Archipresbytero , ſi ad hoc merita noveris ſuffragari, vel aliam Graecam perſonam idoneam, quae tanto congruat oneri , & honori, hac vice praeficias*. Inſtrumento anno MCCLXXXI. conſcripto (4), cui Canonici ſeptem Latine, quatuor alii Graece ſubſcribunt, legitur ſubſcriptus: *Ego Angelus Roſſanenſis Archiepiſcopus Graecus.* Dionyſii Archiepiſcopi Roſſanenſis , *qui ſub Rogerio vixit* , meminit Fridericus II. Imp. Roſſanenſi Archiepiſcopo nullus nunc ſubeſt epiſcopus. Sic Notitia quinque patriarchatuum : *Archiepiſcopus Roſſanenſis nullum habet ſuffraganeum : Biſinianenſem . Eſt Domini Papae. Sancti Marci*. Et Notitia Bibliothecae Thuanenſis: *Archiepiſcopus Roſanus nullos habet ſuffraganeos: Epiſcopus Biſignianienſis eſt exemtus* . Olim vero praefuiſſe videtur Biſinianenſi, quin & Cariatenſi, cuius Sedem Geruntinae adiunxit Gregorius XIII. Cum autem Geruntina metropolitano s. Severinae ſubſit, Roſſanenſis, cui praeſit, habet neminem.

Nazareni Archiepiſcopatus origo haec eſt. Palaeſtina Saracenis erepta virtute Gotfredi Ducis , Nazareth Galilaeae oppidum, diuturna Chriſti Servatoris habitatione nobilitatum, a Latinis factum eſt eius provinciae metropolis. Sed anno MCXC. recuperata a Saracenis Palaeſtina, pulſi inde chriſtiani diffugerunt, pars in Cyprum, pars in Italiam, quo etiam appulit Archiepiſcopus Nazarenus, cui a ſummis pontificibus , ne Nazareni Archiepiſcopatus nomen interiret, honoraria Sedes conſtituta eſt Baruli, Apuliae urbe, in Tranenſi dioeceſi, adſignata eccleſia s. Mariae de Nazareth non procul a moenibus , cum iuribus & dignitate archiepiſcopali . Deinde Nazareno Archiepiſcopatui Cannenſem ſedem Callixtus III. anno MCCCCLV., & epiſcopatum

y 2 Mon-

(3) Apud Ughell. de Archiep. Roſſanenſib.

(4) Apud Ughell. ibid.

Digitized by Google

Montis-Viridis Clemens VII. anno MDXXXI. univit. Hinc Nazarenus Archiepiſcopus titulum quoque habet *epiſcopi Cannenſis & Montis-Viridis*. Everſa vero bellorum motibus baſilica s.Mariae de Nazareth, metropolitica ſedes in eccleſiam s.Bartholomaei intra oppidum a Pio V. anno MDLXVI. translata eſt. Singularis eſt Nazareni Archiepiſcopi praerogativa deferendi crucem, pallium, & mozzettam, non Baruli modo, ut in ſua cuique dioeceſi, ſed & per univerſum Chriſtianum orbem, Roma excepta: quam ei indulſit Clemens IV. anno MCCLXV.: deinde Innocentius VIII. anno MCCCCXCII., Clemens VII. anno MDXXV., & Pius V. anno MDLXVII. diplomatibus ſuis confirmarunt. Exercet Nazarenus antiſtes archiepiſcopalia munia in Nazarena, aliiſque ſibi unitis eccleſiis, nullique Primati, ſed Romano pontifici ab initio ad haec uſque tempora ἀμέσως ſubſuit. Ob Cannenſem vero epiſcopatum Barenſi, & ob epiſcopatum Montis-Viridis Compſano Archiepiſcopo obnoxius eſt. In diplomate Pauli III. anno MDXXXIV. edito expreſſum eſt (5): *Ipſumque Hieronymum epiſcopum* (Nazarenum) *ad debita & conſueta obſequia ratione Cannenſis Archiepiſcopo Baren, & ratione unitae eccleſiarum huiuſmodi pro tempore exiſtenti Archiepiſcopo Coſanen, cuius ipſa eccleſia Montis-Viridis ſuffraganea exiſtebat, praeſtari, ac teneri praefatus praedeceſſor noſter* (Clemens VII.) *voluit*.

Omnium recentiſſimus eſt Lancianenſis Archiepiſcopatus. Olim Lancianum Aprutii citerioris oppidum ſub ſpirituali Theatini Antiſtitis cura fuit. Deinde a Leone X. anno MDXV. epiſcopatu, Romanae ſedi ἀμέσως ſubiecto, inſignitum eſt. Tum Theatino metropolitae Lancianenſis epiſcopus contributus a Clemente VII. anno MDXXVI. Id cum moleſtum epiſcopo & civibus eſſet, Pius IV. anno MDLXII., Philippi II. Regis auctoritate, Lancianum Archiepiſcopali honore decoravit, Leonardo Archiepiſcopo primum creato, uti conſtat ex Actis Conſiſtorialibus (6), cuius haec ſunt verba: *Romae apud s. Petrum in Conſiſtorio die IX. Feb.* MDLXII. *Sanctiſſimus erexit ad evitandas lites & diſcordias, & pro bono pacis conciliando, cathedralem eccleſiam Lancianenſem in metropolitanam, cui R.P.D. Leonardus de Marinis*

(5) Ext. apud Ughell. Ital. Sacr. tom. VII. pag.779. ſeq.

(6) Apud eumdem Ughell. Ital.Sacr. tom.VI. pag.787.

Digitized by Google

rinis epiſcopus de cetero illi ut Archiepiſcopus praeſit. In hoc Lancianenſis Archiepiſcopus ceteris inferior eſt, quod nulla ei provincia, epiſcopus nullus ſubſit.

C A P. VII.

De metropolibus Regni Siculi, Panormitana, Meſſanenſi, & Montis Regalis.

DEcedamus nunc ad metropoles, quas in Sicilia Romani pontifices inſtituerunt. Eae ſunt tres, Panormitana, Meſſanenſis, & Montis Regalis. Panormus non ſecus ac ceterae Siciliae urbes Romano metropolitano paruit. Avulſa deinde per Leonem Iſauricum Sicilia a Romana eccleſia, erectaque a Graeco Patriarcha in metropolim Syracuſana ſede, huic Panormitanus epiſcopus contributus eſt, uti Graecorum diatypoſes oſtendunt (1). Everſa vero Syracuſana urbe a Saracenis anno DCCCLXXVIII., & Archiepiſcopo captivo Panormum abducto (2), ubi Amirae Saracenorum ſedes erat, Syracuſanus epiſcopatus defecit. Labente tempore Graeci plurimi, qui Panormi ſub Saracenorum tyrannide vivebant, Archiepiſcopum ſibi delegerunt. Northmanni ſub Roberto Apuliae Duce Panormum occuparunt *anno* MLXXII. *Ind.* X., *decimo die intrante menſis Ianuarii*, ut Ignotus Barenſis ait (3); ibique Graecum Archiepiſcopum inveniſſe, teſtatur Gaufredus Malaterra (4): *Eccleſiam*, inquit, *ſanctiſſimae Dei genitricis Mariae, quae antiquitus fuerat, ſed tunc ab impiis Saracenis violata templum ſuperſtitionis eorum facta erat, cum magna devotione catholice reconciliatam, dote, & ornamentis eccleſiaſticis* (Robertus & Rogerius) *augent. Archiepiſcopum, qui ab impiis deiectus in paupere eccleſia s. Cyriacae, quamvis timidus, natione Graecus, cultum Chriſtianae religionis pro poſſe conſequebatur, revocantes reſtituunt* (*). Hunc Graecorum Archiepiſcopum Nicodemum fuiſſe,

(1) Vid. ſupra part. II. cap. III. p. XCII. & ſeq.

(2) Conf. Theodoſium Monachum ep. de excidio Syracuſar. ad Leonem Archidiacon., apud Murat. S.R.I. tom. I. part. II.

(3) In Chronic. tom. IV. Hiſtor. Princip. Longobarb. p. 334. edit. Pratill.

(4) Lib. II. ep. XLV.

(*) Albertus Piccolus diſſ. de antiq. iur. eccleſ. Sicul. part. I. cap. VII. & VIII. contendit, verba haec apud Malaterram intruſa fuiſſe. At cum ſolide refellit Pirrus Notit. I. Eccleſ. Panormit. poſt exactos Saracen. p. 53. & ſeq.

Digitized by Google

ſe, ex diplomate Calixti II. Petro Panormitano Archiepiſcopo dato colligit Pirrus (5). Romani autem pontifices Panormitani Archiepiſcopi iura ſub Saracenorum dominatione parta rata eſſe iuſſerunt, ut Alexander II., Gregorius VII., & Paſchalis II. Verba appingam bullae Gregorii VII. ad Alcherium Archiepiſcopum, Romae Ind. VI. anno MLXXXIII. XVI. Kal. Maii datae, cuius haec inſcriptio eſt: *Gregorius ſervus ſervorum Dei dilecto in Chriſto fratri Alcherio Panormitano Archiepiſcopo ſalutem.* Tum omnia ſedis Panormitanae iura confirmat: *Apoſtolica igitur auctoritate confirmamus eidem eccleſiae, & per eam tibi quidquid dignitatis & auctoritatis tenuiſſe probatur, item omnes eius ſuffraganeos epiſcopatus; vel ſi quis deſtructis illis in eorum loco ſtatuti ſunt, vel opitulante Domino ſtatuuntur, ut in praefatae tuae eccleſiae priſtinam redeant poteſtatem.* Non multo poſt Calixtus II. diplomate ad Petrum Archiepiſcopum (6), quae Panormitanae ſedi Alexander II., Gregorius VII., & Paſchalis II. conceſſerant, confirmavit. Tandem Hadrianus IV. anno MCLIV. Siciliam in ſuas provincias ita deſcripſit, ut tres epiſcopos Panormitano ſubeſſe iuſſerit, Gergentinum, Mazarienſem, & Melitenſem: *Sanctorum Patrum*, inquit, *ſanxit auctoritas, ut in ſingulis provinciis aliqua metropolis haberetur; hoc ſiquidem nos provinciae Siciliae deeſſe videntes, Panormitanam civitatem, quae ſolo fere nomine metropolis habebatur, in plenitudine dignitatis metropolim decrevimus ſtatuendam, & civitates veſtras ei iure metropolitico perpetuis temporibus ſtatuimus ſubiacere.* Ceterum Archiepiſcopus Panormitanus tribus praeeſt epiſcopis, Agrigentino, Mazarienſi, & Melitenſi. Sic in Notitia quinque patriarchatuum: *Panormitana metropolis hos habet ſuffraganeos: Agrigentinum, Mazarianſem, Milevitanum.* Eadem prorſus habet altera Notitia e Thuanenſi Bibliotheca eruta.

Meſſanenſis epiſcopus primum Romano metropolitae paruit, ut ex Gregorio M. (7), aliiſque compertum eſt. Deinde Syracuſano Metropolita in univerſam Siciliam inſtituto a CPolitano

(5) In cit. Notit. 1. Eccleſ. Panormit.

(6) Ext. apud Pirrum cit. loc. p.82.

(7) Vide dicta in huius diatribae part. I. cap. IV. & VI.

Digitized by Google

no Patriarcha, ei contributus eſt, uti Graecorum Notitiae probant (8). Sub Saracenis Siciliae poſſeſſoribus Meſſanenſis epiſcopus creari deſiit. Meſſana autem Saracenis erepta virtute Rogerii Northmanni anno MLX., epiſcopatus Troinae, quod oppidum eſt non procul a Meſſana, ab eodem Rogerio inſtitutus eſt circa annum MLXXX., Roberto Italo homine Troinenſi epiſcopo creato (*). Meminit Troinenſis epiſcopi Gregorius VII. (9). Deinde Meſſanam, quae antiquitate & civium multitudine Troina potior erat, ſedem epiſcopi conſenſu Urbani II. tranſtulit Rogerius anno MXCVI. Ad annum uſque MCXXXI epiſcopalis ſedes fuit. Hinc Willielmus MCXX. *Meſſanenſium & Troinenſium tertius epiſcopus* ſubſcripſit. Qui Willielmo anno MCXXIX. ſucceſſit Hugo, is Panormi adfuit, dum Rogerius Regni inſignia ſuſcepit anno MCXXIX., ac poſt Archiepiſcopos recenſetur inter meros epiſcopos, *Hugo Meſſanae epiſcopus*. Mox Antipapa Anacletus Meſſanam in metropolim erexit anno MCXXXI., eodem Hugone in Archiepiſcopum creato, ut ex eius diplomate dato Priverni XVIII. Kal. Octob. anno Incarnat. MCXXXI. Duos is epiſcopos inſtituit, quibus Meſſanenſis metropolita praeeſſet, Liparitanum & Cephalaedenſem, uti conſtat ex duobus ipſius diplomatibus, quorum alterum Liparitanis, alterum Cephalaedenſibus inſcriptum eſt. Ecce tibi verba diplomatis ad Liparitanos an. MCXXXI. ſcripti (10): *Statuimus, ut iam dictum Liparitanum Coenobium epiſcopalem deinceps obtineat dignitatem, & proprium mereatur Antiſtitem, qui per manus venerabilis fratris noſtri Meſſanenſis Archiepiſcopi munera conſecrationis accipiat, & Meſſanenſis eccleſiae, quam ipſe, tam ſucceſſores illius, tamquam ſuae metropoli debeat perpetuo ſubiacere*. Eadem diplomati ad Cephalaedenſes ſententia ſubeſt (11). Paullo poſt partam ab Anacleto dignitatem amiſit Hugo, reſciſſis pſeudo-papae Anacleti
actis

(8) Vide ſupra part. II. cap. III. p. XCII.

(9) Lib. IX. ep. XXIV.

(*) Pirrus in Notit. Troinenſ. p. 494. cenſet, Rogerium Troinenſi Sedi Robertum gentilem ſuum praefeciſſe. At Italum hominem fuiſſe Robertum hunc, teſtis eſt Gaufredus Malaterra lib. IV. cap. XXIII.

(10) Ext. apud Pirrum Notit. II. Eccleſ. Meſſanens. pag. 387. ſeq.

(11) Vide integrum diploma apud Pirrum cit. loc. p. 388.

Digitized by Google

actis ab Innocentio II. in Concilio Lateranenſi II. anno MCXXXIX. Hinc Hugonis ſucceſſores Gauffridus, Robertus II., Arnaldus, & Robertus III. interdum quidem *Archiepiſcopi*, ſed *epiſcopi* ſaepius appellantur. Et Eugenius III. dioeceſim Roberti III. deſcribens illum *epiſcopum* adpellat, & ſuffraganeorum non meminit. Tandem metropoliticam Meſſanenſi Antiſtiti dignitatem reddidit Alexander III. diplomate circa annum MCLX. dato: unde qui tum huic ſedi praeerat Nicolaus, ſaepe ſubſcripſit, *Nicolaus Dei gratia ſacroſanctae Meſſanenſis eccleſiae primus Archiepiſcopus* (12). Eidem Meſſanenſi ſedi metropolitica iura rata eſſe iuſſit Lucius III. diplomate Velitris anno MCLXXXIII. ad Pactenſem & Cephalaedenſem epiſcopos dato (13), quibus *mandat, quatenus venerabili fratri noſtro Richardo Meſſanenſi Archiepiſcopo reverentiam & obedientiam impendant*. Duobus Meſſanenſis metropolita nunc praeeſt epiſcopis, Cephalaedenſi, & Pactenſi. Praeter hos alii epiſcopi recenſentur in Notitia quinque Patriarchatuum: *Meſana metropolis hos habet ſuffraganeos: Cephaludenſem, Pactenſem, Liparienſem*, CATANIENSEM, S. MARCI, *Miletenſem*. Et in Notitia Thuana: *Archiepiſcopus Meſſanenſis hos habet ſuffraganeos: Cephaludenſem, Pactenſem, s. Marci, Militenum*. At epiſcopus Catanenſis metropolitae Montis Regalis, & Melitenſis Panormitano contributus eſt; epiſcopus vero s. Marci in Conſentina provincia exemtus eſt: Liparenſem quoque a Meſſanenſi metropolita ſubduxit Vrbanus VIII. anno MDCXXVII., Romanoque addixit.

Recentior eſt metropoleos Montis-Regalis inſtitutio. Mons-Regalis oppidulum erat, colli peramoeno impoſitum, quo Siciliae Reges animi gratia itare ſolebant. Id quum ſaepius faceret Willielmus II. Coenobium ibi extruxit anno MCLXVII., arceſſitis e Cavenſi Monaſterio monachis, eorumque Abbate Teobaldo. Baſilicam extruxit Virgini Deiparae ſacram, quae primum s. *Mariae Novae*, deinde *s. Mariae Regalis* dicta eſt: unde urbs poſtea nomen eſt nacta. Nihil iuris Panormitano Metropolitae in eum Abbatem datum eſt; ſed Romano pontifici ſuppoſitus ab Alexandro III. diplomate anno MCLXXIV. Mox oppidum epiſco-

pali

(12) Vid. Pirr. cit. Notit. p. 395.

(13) Apud Pirrum ibid. p. 398.

Digitized by Google

pali dignitate ornatum eſt anno MCLXXVI.; hoc enim anno idem Theobaldus primus Abbas epiſcopali dignitate auctus eſt, uti liquet ex diplomate epiſcopi Mazarienſis. Paullo poſt Montis Regalis ſedem metropolitica dignitate ornavit Lucius III. diplomate anno MCLXXXIII. Nonis Februariis dato, dum Velitris moraretur, Willielmo, qui Teobaldo ſucceſſit, Archiepiſcopo primum deſignato (14). In eo Pontifex ait, Willielmum Siciliae Regem monaſterium in loco, qui dicitur *Mons Regalis conſtruxiſſe, & brevi tempore templum Domino multa dignum admiratione* conſtruxiſſe, adeoque redditibus, aliiſque rebus ampliaſſe, *ut ſimile opus per aliquem Regem factum non fuerit a diebus antiquis, & in admirationem homines adducat*: a ſe autem petiiſſe, ut eumdem locum *dignitate metropolitica* donaret, ideoque ſe Willielmum in eiuſdem ſedis Archiepiſcopum conſecrare: *Te itaque venerabilis in Chriſto frater Guillelme, in eiuſdem loci Archiepiſcopum noſtris tamquam beati Petri manibus conſecramus, & pallii dignitate ſtatuimus decorandum*. Tum ipſi Catanenſem epiſcopum parere iubet: *Epiſcopatum Catanenſem ... tibi tuiſque ſucceſſoribus, ſicut propriis Archiepiſcopis, metropolitico in perpetuum iure conſtituimus ſubeſſe*. Mox eidem ſubiacere ſubdit monaſterium *Maniacium* dictum, *quod illuſtris recordationis Margarita glorioſa quondam Regina in dioeceſi Meſſanenſi conſtruxit*. Diplomati ſubſcribunt Cardinales quindecim, inque fine legitur: *Datum Velletri per manum Alberti S. R. E. presbyteri Card. & Cancell. Nonis Februar. Ind. I. Incarnat. Dominicae anno* MCLXXXII. *pontificatus vero Domini Lucii Papae III. anno ſecundo*, qui cum Indictione prima concurrebat menſe Februario anno MCLXXXIII., quem tamen Lucius vocat MCLXXXII, quia anni initium repetit a die XXV. Martii. Hinc Anonymus Caſſinenſis (*) in annum MCLXXXIII. inſtitutionem metropoleos Montis Regalis confert: *Anno* MCLXXXIII. ... *Lucius Papa III. apud Velletrum promovit Guilielmum Abbatem s. Mariae Regalis de Panormo in Archiepiſcopum Montis Regalis*. Paullo poſt epiſcopum Syracuſanum Metropolitae Montis Regalis ſubiecit Clemens III. an. MCLXXXVIII. Ita duo novo huic Me-

(14) Ext. apud Pirrum Sicil. Sacr. pag. 408. & ſeqq.

(*) In Chronico, apud Pratill. Hiſt. Princip. Longob. tom. IV. pag. 113.

Metropolitae ſubſunt epiſcopi, Catanenſis & Syracuſanus. In Notitia quinque patriarchatuum legitur: *Archiepiſcopus Montis Regalis hunc habet ſuffraganeum, Syracuſanum.* In Notitia vero Thuana: *Archiepiſcopus Montis Regalis hos habet ſuffraganeos, Syracuſanum, Cathanienſem.*

C A P. VIII.

De iuribus Metropolitanorum Regni Neapolitani & Siculi, ac patriarchica Romani Pontificis in eos auctoritate.

NOrunt omnes, metropoliticae poteſtatis iura in epiſcoporum ſuffraganeorum conſecratione, eorum ad provincialem ſynodum convocatione, cauſſiſque ipſorum diiudicandis, potiſſimum contineri. Iura haec Regni utriuſque metropolitani, ſive a CPolitanis, ſive a Romanis pontificibus creati, & acceperunt, & re ipſa exercuerunt. Ita non meri nominis praerogativam, ſed veram metropoliticam dignitatem, auctoritatemque ſunt nacti. Longum eſt ire per omnes: pluribus collatis monumentis rem conficiam; quum ceterorum omnium par ſit ratio.

Primum conſiſtam in metropolitanis a Byzantino patriarcha in Calabria & Sicilia conſtitutis, nempe Regienſi, Sanctae Severinae, & Syracuſano. Hos metropolitica iura in ſuffraganeos epiſcopos exercuiſſe, luculentiſſime poſſemus adſtruere, ſi edacis iniuria temporis, regionumque noſtrarum calamitatibus tot monumenta haud excidiſſent. Ex iis autem, quae ſuperſunt, res proclive conficitur. Graeci apud nos & *Metropolitanos*, & *Archiepiſcopos* inſtituerunt. Ita in Calabria univerſa Reginum praeſulem, tum Sanſeverinatenſem metropolitas renuntiarunt; Hydruntinum vero primum *Archiepiſcopum*, tum metropolitanum dixerunt. In Sicilia epiſcopus Syracuſanus *Metropolitanus*; Catanenſis autem *Archiepiſcopus* ab iiſdem eſt factus. Inter Metropolitanos & Archiepiſcopos apud iuniores Graecos id intereрat, quod illi ſuffraganeis praeeſſent, & metropolitica in eos iura exercerent; hi nudum ſine ſuffraganeis titulum haberent (1). Sic in Grae-

(1) Conſule quae huius diatribae part. II. cap. III. pag. LXXX. in not., & hac part. III. cap. VI. pag. CLXIX. in not. ediximus.

Graecorum laterculis Regienſi, Sanſeverinatenſi, ac Syracuſano Antiſtitibus & *metropolitani* nomen, & ſuffraganei epiſcopi attribuuntur: contra Hydruntino & Catanenſi epiſcopis nudus Archiepiſcopi titulus, & cui praeſint, nemo adſignatur. Ex hoc diſcerniculo liquet, metropolitas a Byzantino patriarcha in his provinciis creatos iura metropolitica & accepiſſe, & exercuiſſe; ſecus nulla in re a meris Archiepiſcopis Graecorum diſtaſſent. Profecto non nudum titulum, ſed iura ipſa metropoliticam dignitatem a patriarcha CPlitano epiſcopis noſtris collatam comprehendiſſe, teſtimonio etiam liquet Luitprandi Cremonenſis epiſcopi (2), qui refert, Nicephori Phocae iuſſu Polyeuctum CPolitanum patriarcham metropolitica dignitate Hydruntinum Antiſtitem, qui antea nudus erat Archiepiſcopus, auxiſſe, eique ſcripſiſſe, *quatenus ſua auctoritate habeat licentiam epiſcopos conſecrandi in Acirentila, Turcico, Gravina, Maceria, Tricarico*. Porro quis umquam concoquat, tot Calabriae ac Siciliae praeſules a Romana ad CPolitanam Sedem vi Leonis Iſaurici abductos, CPolim ab ipſo Patriarcha conſecrationem accepturos proficiſci debuiſſe, non autem a propriis metropolitanis, quibus fuerant ab ipſo Graeco Pontifice contributi, ordinatos; praeſertim quum Graeci tot adhibitis mediis ac illiciis illos ad ſe trahere, ſibique retinere, ipſorumque commodo adeo ſtudere conſueverint. Numnam Graeci eatenus deſipuerunt, ut oblato inani titulo ſine re, metropolitanis noſtris illudere ſe poſſe confiderint? Praeterea receptiſſimi erant in utraque eccleſia Nicaeni canones (3) de metropolitico ſuffraganeorum conſecrandorum iure, & pervulgata diſciplina ad ſaeculum undecimum fere nuſpiam immutata. Sed et illud adiiciam, quod nunc primum calamum ſubit, in Concilio Nicaeno II. an. DCCLXXXVII. Siculos & Calabros praeſules Tharaſium CPolitanum *oecumenicum Patriarcham ſuum* adpellaſſe. Tharaſium ergo reverebantur tamquam Patriarcham, non metropolitanum; adeoque conſecrationem ab ipſis, quibus ſuberant, metropolitis accipiebant, quod praecipuum eſt metropoliticum ius.

Z 2 Alia

(2) In Legat. ad Nicephor. Phoc.

(3) Concil. Nicaen. I. can. IV. & VI.

Alia vero ſuppetunt, quae omnem de hac re dubitationem eximunt. Syracuſanum Metropolitam ſub Graecis univerſos Siciliae epiſcopos ſedi ſuae ſuffraganeos ordinaſſe, conceptiſſimo liquet Photii patriarchae CPolitani teſtimonio (4), qui Gregorium Asbeſtam Syracuſanum Metropolitam, hominem ſibi addictiſſimum, hortatur ad epiſcopos conſecrandos: *Intende igitur*, ſcribit, *& proſpere procede*, MANVS IMPONENS, *& ſacra perficiens*, *gregem Chriſti augens*, *& multiplicans*, *veneranda templa extruens*, *& conſecrans*. Ipſi Romani Pontifices temporum acerbitati deſervientes, metropolitica, quae Syracuſana ſedes iura exercebat, haud impetierunt, ſed rata potius habuerunt. Nicolaus I (5) a Michaële Aug. reſtitui Romanae Sedi petiit tantum Syracuſani Archiepiſcopi conſecrationem, non item epiſcoporum omnium Siciliae, prudenti ſane conſilio uſus, ne ceteroquin, Syracuſana Sede partis iuribus deiecta, ſpem praecideret omnem, ſibi aliquando revindicandi Siculos Antiſtites: *Volumus*, ait, *ut conſecratio Syracuſani Archiepiſcopi noſtra a Sede impendatur*, *ut traditio ab Apoſtolis inſtituta nullatenus noſtris temporibus violetur.* Vides, Pontificem Syracuſano nomen & iura *Archiepiſcopi* haud negare; ſed permiſſo illi Archiepiſcopatu, adeoque metropolitico in Siculos epiſcopos iure unum id exigere, ut Romanum Pontificem tamquam patriarcham agnoſcat, conſecrationem ab ipſo accipiendo. Idem Nicolaus (6) inter Archiepiſcopos enumerat Syracuſanum: *Mittantur etiam*, inquit, *de parte Ignatii Archiepiſcopi quidam*, *Antonius Cyzici*, *Baſilius Theſſalonicae*, *Conſtantinus Lariſſae*, THEODORVS SYRACVSANORVM. Porro Marcianum II., qui Syracuſanae eccleſiae praefuit poſt avulſam a Romano metropolita Siciliam, *non Romae conſecratum*, *ſed a tribus epiſcopis Syracuſis*, ſcriptum eſt in veteri catalogo MSto eccleſiae Syracuſanae (7), immutato ſcilicet vetuſtiſſimo more, quo Siculi praeſules a Romano metropolita Romae conſecrabantur. Hinc colligere licet, Syracuſanum metropolitanum non CPoli ab ipſo Pa-

(4) Ep. ad Gregor. epiſcop. Syracuſan, apud Baron. ad an. DCCCLXX. n. 59., & Iohan. de Iohanne in Codic. diplomatic. Sicil. pag. 330.

(5) Epiſt. I. & IX. ad Michaël. Imp.

(6) Ep. VIII. ad Michaël. Imp.

(7) Apud Pirrum Notit. Eccleſ. Syracuſ. in Marcian. II. p. 609.

Digitized by Google

patriarcha, ſed in eadem urbe ordinatum. Quod ſi metropolitanus Siciliae, cuius conſecratio ad patriarcham praecipuo quodam iure pertinet, in ipſis Syracuſis ordinabatur; quis credat, Syracuſani metropolitae ſuffraganeos a CPolitano patriarcha conſecrari debuiſſe? Non Siciliae modo praeſules a Syracuſano, ſed & Calabriae a Regino metropolita conſecrabantur. Rem perbelle adſtruit Gregorius VII. (8), qui non multo poſt depulſos Calabria Graecos, Regienſi Antiſtiti metropolitica iura a Graecis nacta, ac tribus circiter ſaeculis vertentibus exercita, nominatim ſuffraganeorum conſecrationem, intacta manere voluit. Is enim vix reſtitutis Romanae ſedi Northmannorum pietate Calabriae epiſcopatibus, conſecrare reſpuit Miletenſem epiſcopum a Rogerio Comite electum, quod eius conſecratio pertinere ad Reginum Metropolitam videretur; in huius enim provincia ex duabus excіſis Sedibus, Vibonis & Taurianae, Miletenſis epiſcopatus fuerat a Rogerio inſtitutus: *De eo autem*, inquit, *quod ſuper Electo Melitenſi poſtulaſti, noverit Nobilitas tua nobis eſſe intimatum, ad ius eccleſiae Rhegytanae pertinere. Vnde non aliter annuendum poſtulationi tuae perpendimus, niſi diligenter examinata iuſtitia, Melitenſem eccleſiam ad praefatae Rhegytanae parochiae conſecrationem non attinere conſtiterit*. En ut Regienſi Sedi conſervata voluit Pontifex vetera in Calabras eccleſias metropolitica iura, a Graecis accepta; ſi enim nova illi contuliſſet, quibus finibus provincia Regina contineretur, haud ignoraſſet.

Progredior nunc ad Metropolitanos a Romanis Pontificibus in Regno Neapolitano conſtitutos. Agmen ducat Capuanus, omnium quot quot Romani Antiſtites erexerunt, antiquiſſimus. Hunc metropolitica iura & accepiſſe, & exercuiſſe, ne ambigas. Gerbertus tertius Capuae Archiepiſcopus an. DCCCCLXXIX. Stephanum Caiacienſem epiſcopum ſibi ſuffraganeum conſecravit, ut ex conſecrationis bulla ab eo data, quae ſic habet (9): *Gerbertus s. Capuanae Sedis gratia Dei Archiepiſcopus, fidelibus omnibus orthodoxis, Clero, Ordini, & Plebi conſiſtenti Caiaciae eccleſiae, per Apoſtolicam inſtitutionem noſtro Archiepiſcopatui ſubiectae; dilectiſſimis filiis in* Do-

(8) Lib. IX. Regeſti ep. XXIV.
(9) Extat apud Michaëlem Monachum in Sanctuar. Capuan. p. 771.

Digitized by Google

Domino ſalutem. Probabilibus (*) *deſideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem iam, & coepiſcopum noſtrum Stephanum vobis ordinavimus Sacerdotem &c. Anno Deo propitio Archiepiſcopatus Domini Gerberti tertii Archiepiſcopi in ſacratiſſima ſede beati Protomartyris Stephani, in ipſa die Kalend. Novembris Indictione octaba. Ego Aldericus Calactinae eccleſiae epiſcopus conſenſi, & ſubſcripſi. Ego Leo Suranae Sedis epiſcopus conſenſi &c. Datum per manum Iohannis Subdiaconi noſtri Bibliothecarii in Kalend. iam dictis per ſupraſcriptam Indictionem. Benevalete* (**). Nempe anno DCCCCLXXIX., quo Indictio VIII. in curſu erat a Kalendis Septembris inchoata. Adenulfus Archiepiſcopus Capuanus Gerardum in epiſcopum Iſernienſem conſecravit. Bulla conſecrationis haec eſt (10): *Nos Adenulfus divina gratia humilis Antiſtes s. Capuanae eccleſiae ..... Quoniam conſecravimus praeſulem Garardum venerandum virum in eccleſia s. Petri Apoſtoli, quae conſtructa eſſe videtur in civitate & Comitatu, qui dicitur Iſernienſis, quae ſubiecta eſſe videtur iam fato noſtro Archiepiſcopatui: in qua eccleſia multis temporibus deſtituta eſſe videtur a ſuo Paſtore. Unde nunc pro precatu Sacerdotum, ſeu Levitarum, ac clericorum eiuſdem eccleſiae s. Petri Apoſtoli conſecravimus eorum iam dictum Garardum confratrem noſtrum &c.* In fine legitur: *Ex iuſſione autem praedicto s. Antiſtiti ſcripſi ego Ioa. Diaconus, & Scriba ipſius s. dictae eccleſiae, & in ſacratiſſimo eius palatio: in annis viginti & ſex Archipreſulatui eius in menſe Octuber, & in ſupradicta Indict. Data in ſextodecimo Kal. Novemb.* Idem Adenulfus Benedictum Sueſſanum epiſcopum ſuffraganeum ſuum conſecravit an. MXXXII. Bulla haec eſt (11): *Adenulfus divina favente gratia humilis Archipraeſul, Cle-*

(*) Huius bullae formula videtur eſſe communis. Ita concepta eſt bulla conſecrationis Benedicti epiſcopi Sueſſani. Eadem uſus eſt Barbatus Surrentinus Archiepiſcopus in bullis ſuis. Quin iam olim haud abſimilem formulam paſſim Gregorius M. adhibuerat, ut ex eius epiſtolis patet.

(**) To *Benevalete* ab aevo Leonis IX. in Romanorum Pontificum bullis, conſecratis epiſcopis datis, adhibitum. Conf. Mabillon. lib. v. de re diplomatic. tab. L., & Cangium in Gloſſar. med. & infim. Latinit. voc. *Benevalete*. Adhibitum & in bullis, quas Metropolitani Regni ordinatis a ſe praeſulibus dedere.

(10) Apud Michaël. Monachum cit. oper. p. 573.

(11) Apud eumdem Monachum ibid. p. 585.

Clero, Ordini, & Plebi civitatis Sueſſanae eccleſiae, dilectiſſimis filiis in Domino ſalutem. Probabilibus deſideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem iam, & coepiſcopum noſtrum Benedictum vobis ordinavimus praeſulem &c. Damus interim in praeceptis, ut tu & ſucceſſores tui veniatis cauſa manducandi nobiſcum, & cunctis ſucceſſoribus, quando vos accerſire facimus ad celebrandum miſſarum ſolemnia, ſeu peragendum quaſcumque eccleſiaſticas cauſſas. Poſt diſceſſum ſiquidem tuum, ſucceſſores tui, quot in epiſcopatu Sueſſano eligendi ſunt, conſenſu noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum veniant Capuam, & a nobis, ſive a noſtris ſucceſſoribus conſecrationem epiſcopatus accipiant, ſicut continetur in privilegio, quod ab eccleſia B. Petri Apoſtolorum principis accepimus, & corroboratum apud noſtrum Archiepiſcopatum habemus a D. Benedicto ſummo Pontifice, & univerſali Papa. Huic ergo ſedis noſtrae praecepta ſervantes, devotis animis obſequi vos oportet &c. Ex iuſſione autem praedicto s. Antiſtiti ſcripſi Ego Io. Diaconus, & Scriba ipſius S. Capuanae Eccleſiae, & in ſacratiſſimo eius palatio in annos vigintiquinque Archipraeſulatus eius, in menſe Martio, & quintadecima dicta Indict. Data 14. Kal. Aprilis. Ab eodem Adenulfo Leo Atinenſis epiſcopus conſecratus eſt anno MXLIV. In Catalogo epiſcoporum eccleſiae Atinenſis legitur: *Anno Dominicae Incarnationis 1044. Adenulfus Capuanus Archiepiſcopus, cum iam ſceptrum Archiepiſcopale ſumſiſſet, in ſede Atinenſi ordinavit Leonem praeſulem.* Caſertani Epiſcopi a Capuano Metropolita ſuo conſecrabantur. Bulla Sennis Capuae Archiepiſcopi ita concepta eſt (12): *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sennes ſervus Ieſu Chriſti, eius ſola miſericordia Capuanus Archiepiſcopus &c. Clero, & Capitulo Caſertano, dilectis in Chriſto filiis ſalutem & benedictionem in Chriſto &c. Notum ſit igitur tam praeſentibus, quam futuris eccleſiae Dei fidelibus, quoniam poſcentibus eccleſiae noſtrae Canonicis, concedimus & confirmamus tibi venerabili*

(*) Benedictus Papa, a quo Adenulfus Capuanus privilegium accepit, fuit Benedictus VIII., qui anno MXII. electus eſt; nam ab anno MVIII., quo Adenulfus archiepiſcopatum accepit, ad an. MXXXII., quo bulla haec ſcripta eſt, tempora concurrerunt Benedicti VIII., itemque Sergii IV., & Iohannis XVIII.

(12) Apud Monachum cit. loc.

Digitized by Google

li Confratri noſtro Ranuulfo Caſertano epiſcopo , tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum , totam & integram dioeceſim Caſertani epiſcopatus, illis finibus, quibus noſtri Anteceſſores tuis conceſſere, & confirmavere praedeceſſoribus &c. Tu autem , tuique ſucceſſores, quoties vocati fueritis, niſi canonicam praetendatis excuſationem, ad nos, & ad noſtros ſucceſſores venire debebitis. Poſt diſceſſum vero tuum ſucceſſores tui, qui noſtro, noſtrorumque ſucceſſorum Caſertanae eccleſiae ſunt eligendi conſ. . . . a nobis, ſeu a noſtris ſucceſſoribus EPISCOPATVS CONSECRATIONEM SVSCIPIANT , *ſicut in privilegiis a ſanctae Romanae eccleſiae Pontificibus, eccleſiae noſtrae conceſſis continetur*. In fine legitur: *Ego Sennes Dei gratia Capuanus Archiepiſcopus, & Domini Papae vicarius. Ego Io. Sueſſanus epiſcopus. Ego Pannolfus Theanenſis epiſcopus legi, & ſubſcripſi. Ego Maurus Iſernienſis epiſcopus ſubſcripſi. Ego Giraldus Calinenſis epiſcopus ſubſcripſi. Ego Alfenus Abbas, & Archidiaconus &c.*

Non Capuanus modo, ſed & Beneventanus metropolita ſuffraganeos epiſcopos ordinavit, ceteraque metropolitica munia obiit. Iohannes XIII. in ipſo, quo Landulſum Beneventi Archiepiſcopum creavit, diplomate, pallium ipſi concedit, ut eo quum certis diebus utatur, tum *in conſecratione epiſcoporum, tribuentes tibi inſuper cum eo poteſtatem & honorem Archiepiſcopatus, ita ut fraternitas tua, & ſucceſſores tui infra ſuam dioeceſim in locis, quibus olim fuerant, ſemper in perpetuum epiſcopos conſecret, qui veſtrae ſubiaceant ditioni, ſcilicet S. Agathae, Abellini, Ariani, Aſculi, Bibini, Vulturariae, Larini, Theleſiae, Aliſae*. Iohannes XIV. Aloni Beneventano Archiepiſcopo pallium miſit anno DCCCCLXXXIV. his uſus verbis : *Palleum autem fraternitati tuae ex more ad miſſarum ſolemnia celebranda tranſmiſimus, quo tibi non aliter (eccleſiae tuae privilegiis in ſuo ſtatu manentibus) uti concedimus, quam deceſſores praedeceſſoreſque tuos uſos eſſe incognitum non habes, ſcilicet in his feſtivitatibus, in Nativitate Domini &c. nec non in die tuae conſecrationis, & in congregatione*, ET CONSECRATIONE EPISCOPORVM ... *ſimulque tribuimus, atque concedimus licentiam tibi, tuiſque ſucceſſoribus* EPISCOPOS ORDINANDI *in his videlicet civitatibus, s. Agathae, Abellini, Quintodecimi, Ariano, Aſculi,*

Bi-

Digitized by Google

Bibini, *Vulturariae*, *Larinae*, *Theleſiae*, *Aliſi*, *Termulae*, *Triventi*, & *Seſſulae*. Revera Beneventanus Metropolita attributos ſibi ſuffraganeos conſecravit. Landulfus primus Beneventanus Archiepiſcopus Madelfridum in epiſcopum s. Agathae Gothorum conſecravit anno DCCCCLXX., ut ex ipſius diplomate liquet (*), ubi inter alia haec comprehenduntur: *Et quia ſemper ſunt concedenda, quae rationabilibus congruunt deſideriis, petentibus vobis, Madelfridum venerabilem presbyterum Epiſcopum conſecravimus, atque per huius noſtrae ſeriem confirmantes decrevimus, ſanctam Agathenſem eccleſiam, ut olim, ſemper epiſcopum habituram, &c. Quoties autem ibidem epiſcopus conſecrandus eſt, ſemper ab hac metropolitana ſancta Beneventanenſi eccleſia, cui Deo auctore deſervio,* CONSECRATIONEM PERCIPIAT, *ſimulque ſancimus, ut praeſules s. Agathenſis eccleſiae quinquies in anno Beneventum veniant, ut participes feſtivitatum ſubſequentium quibus inter hora cunctorum operari Domino referendae gratia, ea inter nos, quae mos eccleſiaſticus exigit, confirmemus, ſcilicet in feſtivitate Pentecoſtes, & B. Bartholomaei Apoſtoli, & Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, & in conſecratione noſtri Archiepiſcopatus*, ET IN ORDINATIONE NOSTRORVM EPISCOPORVM.

Salernitanus quoque Antiſtes metropoliticam poteſtatem Romanae ſedis beneficio acceptam adhibuit. In diplomate ab Iohanne XV. Grimoaldo Salernitano Archiepiſcopo dato an. DCCCCXCIII. haec inter alia comprehenduntur: *Tali namque ordine, ut fati ſumus, id fieri decrevimus, ut tui, & ſucceſſores tui in perpetuum habeatis licentiam & poteſtatem* ORDINANDI EPISCOPOS ET CONSECRANDI *in his ſubiectis vobis locis, hoc eſt Peſtanenſem epiſc. cum parochiis & adiacentiis ſuis, nec non epiſc. Acheruntinum ſimul etiam & epiſc. Nolanum, & epiſc. Biſinianenſem, & epiſcopatum Maluttanenſem, atque epiſcopatum Cuſentiae cum omnibus parochiis, & adiacentiis eorum, ſicuti in veſtro anteriori uſu pallii continetur . . . Et non habeant ſucceſſores noſtri in cunctis veſtris epiſcopatibus, quos vobis ſubiecerunt, deinceps in perpetuum*

(*) Hoc diploma ex Tabulario Eccleſiae Agathenſis evulgavit Vghellus Ital. Sacr. tom. VIII. p. 345.

petuum aliquem epiſcopum conſecrare, quod iam vobis conceſſum eſt. Eamdem conſecrandi poteſtatem iiſdem prope verbis confirmarunt Sergius IV. diplomate Michaëli Salernitano an. MXII., Clemens II. diplomate Iohanni Archiepiſcopo Salernitano an. MXLVII., & Leo IX. diplomate eidem Iohanni an. MLI. dato (13), addita ſollemni clauſula, *& non habeant poteſtatem ſucceſſores noſtri in cunctis veſtris epiſcopatibus, quos vobis ſubiecerunt, deinceps in perpetuum aliquem epiſcopum conſecrare, quod iam vobis conceſſum eſt*. Nec exciderunt monumenta omnia, quibus Salernitanum metropolitam ſuffraganeos ſuos conſecraſſe pateat. Alphanus primus Salerni Archiepiſcopus Riſum in Sarnenſem epiſcopum conſecravit, uti liquet ex conſecrationis bulla, cuius autographum Longobardicis litteris conſcriptum in pergameno ſervatur in Tabulario Sarnenſis eccleſiae (14): *Alphanus s. Sedis Salernitanae gratia Dei Archiepiſcopus, omnibus fidelibus orthodoxis, Clero, Ordini, & Plebi conſiſtenti Sarnenſis eccleſiae per Apoſtolicam inſtitutionem noſtro Archiepiſcopatui ſubiectis, dilectis filiis in Domino ſalutem. Probabilibus veſtris deſideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem etiam, & coepiſcopum noſtrum Riſum vobis ordinavimus Sacerdotem &c. Datum ſcriptum per manum Marini Clerici, & Primicerii, & Cancellarii, & Bibliothecarii s. Salernitanae eccleſiae, anno Deo propitio Principatus Giſulfi eximii Principis vigeſimo quinto, & nono anno Pontif. D. Alphani devotiſſimi Archiepiſcopi. De menſe Martio tertia die Ind.* 4. Policaſtrenſem etiam praeſulem a Salernitano Metropolita ſuo conſecratum, probant Innocentii III. litterae anno MCCXI. *Epiſcopo Caputaquenſi & Abbati Cavenſi Salernitanae dioeceſis* datae (15), quibus expreſſum eſt, Iacobum a Capitulo Policaſtrenſi epiſcopum electum *ad Archiepiſcopum Salernitanum acceſſiſſe, pro confirmationis & conſecrationis gratia obtinenda*.

Metropolitanus Surrentinus ſuos quoque ſuffraganeos ordinavit,

(13) Ext. apud Ughel. Ital. Sacr. tom. VII. p. 377. ſeq.
(14) Ext. apud eumdem Ughell. cit. loc. p. 571.
(15) Apud Ughell. ibid p. 560.

Digitized by Google

vit. Barbatus Surrenti Archipraeſul Gregorium in Stabienſem epiſcopum conſecravit, ut ex bulla conſecrationis illius conſtat (16): *Nos Barbatus Dei gratia Archiepiſcopus Sedis ſanctae Surrentinae eccleſiae, omnibus fidelibus orthodoxis Clero, Ordini, & Plebi conſiſtenti eccleſiae Stabianae per Apoſtolicam inſtitutionem Archiepiſcopatui noſtro ſubiectae, dilectis filiis ſalutem in Domino. Probabilibus veſtris deſideriis nihil attulimus tarditatis: etiam confratrem noſtrum, ſcilicet Gregorium presbyterum, vobis ordinavimus epiſcopum, cui dedimus in mandatis, ne umquam ordinationem praeſumat facere illicitam &c. Ipſa vero ſancta eccleſia* (Stabienſis) *ſub noſtrae ſedis dominatione, & poteſtate liceat ſemper ſubiacere: quatenus noſtris obediatis mandatis, & Apoſtolica iubeatis iugiter obſervari praecepta*. Et poſt pauca: *Mandamus itaque veſtrae dilectioni, ut per ſingulos annos vos, & ſucceſſores veſtri ſemel ad noſtram Sedem veniatis, & nobiſcum in hac ſacra ſede pariter ad Miſſam veſtire. Huic ergo ſanctae ſedi noſtrae praecepta ſervantes, de totis annis obſequi oportet*. Vrſo Archiepiſcopus Surrentinus Iohannem Stabienſem epiſcopum conſecravit. Ecce tibi diploma (17): *Vrſo divina gratia Archiepiſcopus ſanctae Surrentinae eccleſiae, omnibus fidelibus orthodoxis Clero, Ordini, & Plebi conſiſtenti eccleſiae Stabianae per Apoſtolicam inſtitutionem noſtro Archiepiſcopatui ſubiectis, dilectis filiis in domino ſalutem. Probabilibus veſtris deſideriis nihil attulimus traditatis. Fratrem etiam, & Sacerdotem noſtrum Iohannem vobis epiſcopum ordinavimus &c. Mandamus itaque veſtrae dilectioni, ut per ſingulos annos vos, & ſucceſſores veſtri ſemel ad noſtram ſacram Sedem veniatis, & paratus ſis in hac ſacra Sede noſtrum pariter ad Miſſam veſtire &c.*

Reginus Metropolita ſuffraganeos quoque ſuos conſecravit. Gregorius VII. (18) conſecrare noluit electum Miletenſem antiſtitem, quod eius conſecrandi ius ad Regienſem Metropolitanum pertinere videretur, idque tum demum ſe facturum profitetur, quum *diligenter examinata iuſtitia, Melitenſem eccleſiam ad Rhegytanae parochiae conſecrationem non attinere conſtiterit*. In di-

 plo-

(16) Extat apud Pium Milante de Stabian. eccleſ. diſſ. v. p.210. ſeqq.

(17) Apud eumdem Milante loc. cit.

(18) Lib.IX. Regeſti cap.XXIV.

plomate Alexandri III. Rogerio Regienſi Archiepiſcopo, eiuſque ſucceſsoribus dato (19), haec inter cetera continentur: *Praeterea ipſum Regenſem Archiepiſcopatum, cum omnibus ſuis epiſcopatibus, videlicet Trapeiano, Neocaſtrenſi, Sillano, Caſſanenſi, Bovenſi, Geratino, Openſi, & Cotronenſi, atque cum adiacentibus parrochiis ſuis, tibi tuiſque ſucceſſoribus nihilominus confirmamus*, ET ORDINANDI *ſeu* CONSECRANDI EPISCOPOS *tam Graecos, quam Latinos eccleſiae tuae ſubiectos, licentiam & poteſtatem pariter indulgemus*. Tum pallium de more tranſmittit, ut eo quum praeſcriptis quibuſdam diebus, tum IN CONSECRATIONIBVS EPISCOPORVM SVFFRAGANEORVM utatur.

Suos Barenſis Metropolita ſuffraganeos ordinavit. Iohannes XX. diplomate Biſantio Archiepiſcopo dato anno MXXV., ei concedit & confirmat, quod Romani Pontifices praedeceſſores ſui Barenſi Sedi decreverant, ut *Archiepiſcopus duodecim ſub ſe ordinaret epiſcopos* &c. Tum ei permittit conſecrare ſuffraganeos, pallioque uti: *Praeterea concedimus . . . quatenus licentiam habeas cunctis diebus vitae tuae utere pallium*, ET EPISCOPOS CONSECRARE *cum omni humilitate, atque reverentia*. Et poſt pauca: *Quas vero ſupraſcriptum Archiepiſcopum Canuſinum* (hoc eſt Barenſem) *cum omnibus ſuis pertinentiis*, ET EPISCOPOS IPSOS PER MANVS VESTRAS CONSECRANDI, *atque uſu pallii per auctoritatem Apoſtolicam utendi a praeſenti octaba Indictione omnibus diebus vitae tuae concedimus &c.* Et Urbanus II. In bulla Eliae Archiepiſcopo Barenſi anno MLXXXIX. data ipſi *pallii uſum ex more concedit, ut eo inter Miſſarum ſollemnia* quum certis expreſſis diebus, tum IN ORDINATIONE EPISCOPORVM utatur. Ne vero longius, quam par eſt, noſter evagetur ſermo, quod de recenſitorum metropolitarum auctoritate in ſuffraganeos ſuos hactenus ediſſeruimus, idem & de ceteris ex fide hiſtoriae adfirmandum; quum una eademque omnium ratio ſit.

Ad Metropolitanos Regni Siculi noſtra nunc convertatur oratio. Eos conſecraſſe attributos ſibi epiſcopos, ceteraque metropolitica munia exercuiſſe, planum eſt. Gregorius VII. diplomate Al-

(19) Vide ſupra cap. v. p. CLXV.

Digitized by Google

Alcherio Panormitano Archiepiſcopo an. MLXXXIII. (20) ſcripto, inter alia profitetur, ſe illi pallium mittere, ut eo cum certis diebus, tum *in ordinatione Epiſcoporum, ſeu ceterorum clericorum* utatur. Metropolitanus Meſſanenſis Archiepiſcopatu ab Anacleto auctus, Liparitanum & Cephalaedenſem epiſcopos conſecravit. Anacletus diplomate Hugoni Meſſanenſi anno MC. dato (21) cavit, ut *Liparitanum Coenobium epiſcopalem deinceps obtineat dignitatem, & proprium mereatur Antiſtitem, qui per manus venerabilis fratris noſtri Meſſanenſis Archiepiſcopi* MVNERA CONSECRATIONIS ACCIPIAT, *& Meſſanenſi eccleſiae tam ipſe, quam ſucceſſores illius, tamquam ſuae metropoli debeat perpetuo ſubiacere*. Vi huius diplomatis Hugo Iohannem Liparenſis Monaſterii Abbatem epiſcopum conſtituit, ut ex eius bulla liquet (22): *In nomine Dei aeterni, & Salvatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti anno ab Incarnatione eius* MCXXXI.*Indict.X. menſe Octobri. Ego Hugo Dei gratia Meſſanenſis humilis Archiepiſcopus. Cum unuſquiſque fidelium eccleſiae ſuae provectui debeat providere, Epiſcopus maxime ad Archiepiſcopatum noviter promotus pro dignitate eccleſiae adipiſcenda plurimum debeat elaborare. Idcirco eccleſiae Meſſanenſis dignitati augmentandae diſcrete providentes, quia ſine aliquantis ſuffraganeis honorifice conſiſtere non poſſet; Liparitanam eccleſiam conſilio Meſſanenſium & Troinenſium Canonicorum, utriuſque denique Conventum epiſcopatum perpetuo conſtituimus. Igitur, frater in Chriſto cariſſime Iohannes nunc eiuſdem eccleſiae Abbas, te Liparitanum epiſcopum eligi concedimus, ita ſane ut tam tu, quam & tui ſucceſſores in noſtra obedientia in poſterum permanentes*, A NOSTRIS MANIBVS, NOSTRORVMQVE SVCCESSORVM TAMQVAM NOSTRAE ECCLESIAE SVFFRAGANEI DEBEATIS CONSECRARI. In Anacleti diplomate pro Eccleſia Cephalaedenſi eodem anno MCXXXI. ſcripto (23) decernitur, *Cephaludenſem eccleſiam ſedem epiſcopalem fore deinceps, in qua Cardinalem epiſcopum volumus de cetero permanere*, QVI PER MANVS MESSANENSIS ARCHIEPISCOPI MYSTERIA CONSECRATIONIS ACCIPIAT. *Et tam ipſe, quam ſuc-*

(20) Apud Pirrum Notit. I. eccleſ. Panormit. p. 70. ſeq.

(21) Apud eumdem Pirrum in Notit. II. eccleſ. Meſſanenſ. p. 387.

(22) Apud Pirrum ibid.

(23) Apud Pirrum cit. loc. p. 388.

Digitized by Google

ſucceſſores eius debitam Meſſanenſi eccleſiae tamquam ſuae metropoli obedientiam ſtudeat exhibere.

Habes itaque ex dictis, metropolitanos utriuſque Regni, ſaeculo decimo ac undecimo revera ſuffraganeos epiſcopos ſibi attributos conſecraſſe, ceteraque metropolitica iura in eos exercuiſſe. Sane ius hoc conſecrandi ſuffraganeos metropoliticae dignitati innatum, & a Nicaenis canonibus confirmatum, receptiſſimum in Oriente ac Occidente fuit, & eiuſmodi diſciplina ad ſaeculum undecimum fere nuſquam immutata eſt. Deinde hac ſuffraganeos ſuos conſecrandi poteſtate paſſim exciderunt Metropolitani noſtri, Romanis pontificibus illud ſibi revindicantibus. Iam ante Rogerium I. Siciliae Regem Romani pontifices conſecrationem epiſcoporum Siciliae ſedi ſuae vindicaſſe, liquet ex Romualdo Salernitano (24), qui memoriae prodit, Rogerium, dum adhuc non Rex, ſed Siciliae Comes eſſet, ab Honorio II. an. MCXXVII. excommunicatum, *quia non permittebat, ut Siciliae epiſcopi venirent Romam*, utique conſecrandi. Idem Rogerius iam Siciliae Rex ſalutatus, compoſitis diſſenſionibus, quas cum pontifice Eugenio III. exercuit, circa eumdem an. MCXXVII. conſecrationem epiſcoporum Regni, quam interceperat, illi liberam eſſe iuſſit: *Rex Rogerius Archiepiſcopos, & epiſcopos terrae ſuae a Papa Eugenio iuſſit conſecrari*, ut idem refert Romualdus (25). Deinde Willielmus I. cognomento *Malus*, Rogerii filius, ob diſſenſionem cum Hadriano IV. habitam, anno MCLV. inhibuit epiſcopis Regni, ne Romam conſecrandi pergerent, praeſertim quod creatis in utroque Regno metropolitis, nova tunc ea reſervatio quantum ad omnes Regni epiſcopos impugnari poſſe videretur. Mox foedere pacis inter Regem & Pontificem anno MCLVI. inito, quas Willielmus conſecrationes epiſcoporum utriuſque Regni eripuerat, eas Hadriano reddidit. Appoſite Robertus de Monte (26) narrat, Willielmum I. cum Hadriano IV. *pacem feciſſe concedendo ei conſecrationes epiſcoporum Regni ſui, & Ducatus, ſicut antiquitus eas habuit Romana eccleſia*. Sed ipſa pacta inter Pontificem & Re-

(24) In Chronic. ad an. MCXXVIII., apud Murator. S.R.I. tom. VII.
(25) In Chronic. ad an. MCL.
(26) In Supplem. ad Chronograph. Sigeberti Gemblacenſ., tom. II. Bibliothec. Sicul. p. 951.

Regem conventa (27) audiamus. Ea haec habent n. III. *Conſecrationes, & viſitationes libere Romana eccleſia faciet Apuliae, vel Calabriae civitatum, ut voluerit, aut illarum partium, quae Apuliae ſunt affines, civitatibus illis exceptis, in quibus perſona noſtra, vel noſtrorum heredum in illo tempore fuerit, remoto malo ingenio, niſi cum voluntate noſtra, noſtrorumque heredum*. Et n. V. *in Sicilia quoque Romana eccleſia conſecrationes, & viſitationes habeat*. Ita poſt foedus hoc, quod metropoliticae dignitati inſitum eſt, indulgentiae Romanorum pontificum in utroque Regno tribui coepit.

Quemadmodum, Metropolitanis in Regno Neapolitano & Siculo conſtitutis, Romani pontifices metropoliticam in epiſcopos noſtrates poteſtatem amiſerunt, inque novos Metropolitas tranſtulerunt; ita patriarchicam in ipſos utriuſque Regni Metropolitanos auctoritatem, quae in ordinandis Metropolitanis, iiſdem ad Synodum convocandis, aliiſque eiuſmodi continetur, adepti ſunt; illi enim Romano Pontifici ſubſunt non tamquam metropolitano, ut antea, ſed patriarchae. Ita, metropolitica Romanae Sedis poteſtate ſenſim imminuta, patriarchica crevit. Et ſane Romanos Pontifices Metropolitanorum Regni conſecrationem ſemper ſibi reſervaſſe, atque peregiſſe, teſtatiſſima res eſt. Nonnulla afferam monumenta, ex quibus de ceteris iudicari poteſt, quum una omnium ratio ſit. Iohannes XIII. (28) in bulla erectionis Beneventanae metropoleos haec habet: *Poſteri vero tuae Eccleſiae Rectores poſt obitum tuum conſecrationem ipſius Archiepiſcopatus, ac honorem pallii ab hac ſancta & Apoſtolica, cui Deo auctore deſervio, Sede percipiant*. In diplomate Iohannis XV. ad Grimoaldum Salernitanum Archiepiſcopum an. DCCCCXCIII. ſcripto legitur: *Poſt diſceſſum ſiquidem tuum ſucceſſores tui perveniant ad Apoſtolicam Sedem, & uſum pallii, conſecrationemque decretabiliter ſuſcipiant; & ſi ſucceſſores noſtri conſecrare noluerint, licentia ſit veſtrae ſanctae Eccleſiae ab epiſcopis noſtris ſuffraganeis conſecrari*. Eadem expreſſa ſunt in diplomate Sergii IV. Michaëli Salernitano anno MXII. inſcripto: *Poſt diſceſſum ſiqui-*

(27) Apud Baron. ad A.C. MCLVI. n. 4.

(28) Apud Labb. Conc. tom. IX. col. 1238.

quidem tuum ſucceſſores tui perveniant ad Apoſtolicam Sedem, & uſum pallii, conſecrationemque decretabiliter ſuſcipiant; & ſi ſucceſſores noſtri conſecrare noluerint, licentia ſit veſtrae ſanctae eccleſiae ab epiſcopis veſtris ſuffraganeis conſecrari. Tandem, ne cui nimius hac in re videar, Paſchalis II. diplomate Petro Acheruntino metropolitae anno MCVI. dato (29), illi, eiuſque ſucceſſoribus confirmat poteſtatem in ſubiectis ſibi locis *canonice & decretabiliter epiſcopos ordinandi ac conſecrandi*, SALVA IN OMNIBVS SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE AVCTORITATE. Quid plura? Efflagitanti Willielmo II. Siciliae Regi, ut Gualterius electus Panormitanae Sedis Archiepiſcopus non Romae, ſed a tribus de more Epiſcopis Panormi conſecraretur, id ex venia ſingulari indulſit Alexander III.: *Licet in memoria*, inquit, *non exiſtat, ut aliquis praedeceſſorum praefati electi* (Gualterii) *umquam fuerit, niſi a Romano pontifice conſecratus, conſiderantes tamen &c., concedimus conſecrari, ita tamen, quod hoc non debeat in poſterum in exemplum aſſumi*. Adeo ſcilicet ſuam in metropolitanos noſtros auctoritatem Romani pontifices ſervatam voluerunt.

C A P. IX.

De hodiernis Romanae provinciae finibus.

PRovinciae Romanae nomine intelligimus, quam Summus Pontifex metropolitico, quo etiam pollet iure, adminiſtrat, in qua nempe epiſcopos ordinat, concilia provincialia celebrat, lites inter epiſcopos dirimit, eccleſias inſtituit, ceteraque metropolitae munera exercet. Ampliſſima prioribus quatuor eccleſiae ſaeculis fuit Romani Pontificis, tamquam metropolitani, provincia; ea enim per univerſam Italiam, qua a freto Siculo ad Alpium radices extenditur, latiſſime patebat (*). Diviſa ſub Conſtantino aut Theodoſio Italia in ſeptemdecim provincias, inſtitutiſque duobus Vicariis, Mediolanenſi & Vrbico, quorum illi ſeptem *Italicae* regio-

(29) Apud Vghell. Ital. Sacr. tom. VII. pag. 29. ſeq.

(*) Fuſe de hac re diſſeruimus diatriba V. quae eſt *de patriarchica Romani Pontificis dioeceſi*. Ext. in noſtris *Auctariis ad Petrum de Marca*, Oper. ipſius tom. VI.

Digitized by Google

regiones, huic reliquae decem *urbicariae* contributae ſunt, Romana provincia anguſtioribus limitibus paſſim contrahi coepit. In Italicis enim regionibus quarto labente ſaeculo duo metropolitani, Aquileienſis & Mediolanenſis, & quinto Ravennatenſis emerſerunt, quorum inſtitutione metropolitica Romani pontificis in epiſcopos earum regionum auctoritas imminuta eſt. In urbicariis quoque provinciis per metropolitanorum inſtitutiones Romana provincia paſſim contracta eſt. Ineunte ſaeculo ſexto Calaritanus in Sardinia praeſul metropoliticum decus accepit. Saeculo octavo epiſcopi Calabriae & Siciliae a Romano metropolita ad CPolitanum patriarcham avulſi ſunt Leonis Iſaurici tyrannide, inſtitutique ibi a Graecis metropolitani, & archiepiſcopi. Saeculo decimo labente ipſi Romani pontifices metropoles in Campania erexerunt: quod idem ſaeculo undecimo & duodecimo fecerunt in aliis regionibus noſtris, Apulia & Calabria, Lucania & Brutiis, Samnio, ac Sicilia. Amplitudinem Romanae provinciae paſſim imminutam arctioribus limitibus contraxit undecimo declinante ſaeculo Vrbanus II., nova intra huius fines Piſana metropoli erecta. Quare ſaeculo duodecimo Innocentius III. (1) peculiarem Romani pontificis provinciam inter Capuanam & Piſanam poſitam inquit: *Praeſertim cum ipſe moratur in ſua provincia ſpeciali, videlicet inter Capuanam provinciam & Piſanam*. Novas poſt Innocentium imminutiones paſſa eſt Romana provincia. Martinus enim V. Florentiam; Pius II. Senenſem; Pius IV. Vrbinatenſem; Gregorius XIII. Bononienſem; & Sixtus V. Firmanam eccleſias in metropoles erexerunt. Quamobrem, licet ex Innocentii decretali etiamnum Romana provincia inter Capuanam & Piſanam contineri dicatur; epiſcopis tamen omnibus inter utramque exiſtentibus haud coaleſcit, ſed iis tantum, qui inter Capuanae & Piſanae provinciae fines poſiti, nulli ſubſunt metropolitae. Id liquet ex indictione Concilii provincialis die XXIV. Decemb. MDCCXXIV. a Benedicto XIII. facta, & Concilio ipſo in Baſilica Lateranenſi ſequenti anno ab eodem pontifice, ut metropolita, celebrato; ad hoc enim vocavit Pontifex tantum epiſcopos in

(1) In cap. ſua nobis, de offic. Vicarii.

in *ſpeciali noſtra provincia conſtitutos*, *videlicet inter Capuanam & Piſanam*, Archiepiſcopos ſuffraganeis carentes, epiſcopos ſedi Apoſtolicae immediate ſubiectos, & Abbates nullius dioeceſis, iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, qui ſibi metropolitanum, cuius provinciali Synodo intereſſent, ex Tridentini decreto non elegerunt.

Ipſos nunc epiſcopos Romanae provinciae recenſeamus. In veteri Notitia Romanae eccleſiae, ſaeculo duodecimo ſcripta (*), quam e Vaticano Codice Baronius (2) evulgavit, deſcribitur Romana provincia, intra quam, praeter ſeptem epiſcopos Cardinales, dictos *Collaterales*, quia Pontifici in Vrbe ſemper adſtant, epiſcopi enumerantur ſexaginta duo, qui ſuffraganei erant Romani pontificis, nulli alii Archiepiſcopo ſubiecti, nempe in Campania decem, in Marſis ſex, in Tuſcia viginti & unus, in Vmbria & Marchia viginti quinque. Ipſa Notitiae verba heic appingere non pigebit: *Inſuper praeter ſeptem collaterales epiſcopos*, *erant alii epiſcopi*, *qui dicuntur ſuffraganei Romani Pontificis*, *nulli alii Primati*, *vel Archiepiſcopo ſubiecti*, *qui frequenter ad Synodos vocarentur*. *In Campania*: *Tiburtinus*, *Anagninus*, *Signinus*, *Ferentinus*, *Alatrinus*, *Verulanus*, *Soranus*, *Fundanus*, *Caietanus*, *Tarracinus*. *In Marſis ſunt hi*: *Furconenſis*, *Marſicanus*, *Valvenſis*, *Theatinus*, *Pennenſis*, *Aprutinus*. *In Tuſcia ſunt hi*: *Nepeſinus*, *Sutrinus*, *Civitenſis*, *Hortanus*, *Balneoregienſis*, *Vrbevetanus*, *Viterbienſis*, *Caſtrenſis*, *Suanenſis*, *Cluſinus*, *Peruſinus*, *Caſtellanus*, *Aricinus*, *Goſtetanus*, *Volaterranus*, *Senenſis*, *Lucanus*, *Piſtorienſis*, *Florentinus*, *Feſulanus*, *Lunenſis*. *In Vmbria & Marchia*: *Spoletanus*, *Aſſiſinus*, *Fulginus*, *Nucerinus*, *Eugubinus*, *Reatinus*, *Tudertinus*, *Amerinus*, *Narnienſis*, *Interamnenſis*, *Eſculanus*, *Firmanus*, *Camerinenſis*, *Auximanus*, *Numanus*, *Anconitanus*, *Eſinus*, *Senogallienſis*, *Fanenſis*, *Piſaurienſis*, *Faroſempronienſis*, *Callienſis*, *Vrbinas*, *Ariminenſis*, *Ferentanus*. Huic Vaticanae Notitiae congruit altera e Thuana Bibliotheca per Carolum a S. Paulo (3) vulgata, ex qua etiam integrum in rem noſtram locum exſcribere, ſu-

(*) Notitiam hanc annum MCC. antiquitate non excedere, facile poteſt oſtendi ex epiſcopatibus tunc recens ſuppreſſis, vel unitis, vel recens inſtitutis.

(2) Ad A.C. MLVII.

(3) In Geograph. eccleſ. tom. I. in Parergo p.68.

Digitized by Google

ſupervacaneum non eſt: *Iſti ſunt epiſcopi ſub Romano Pontifice, qui non ſunt in alterius provincia conſtituti. Oſtienſis, Praeneſtinus, Tiburtinus, Ferentinus, Tarracinenſis, Gaietanus, Valvenſis, Aprutinus, Civitacenſis* ſeu *civitatis Caſtellanae, Urbevetanus, Caſtrenſis, Perusinus, Senenſis, Lucanus, Feſulanus, Fulginas, Spoletanus, Amelienſis* vel *Amelinus, Eſculanus, Auximanus, Eſinus* vel *Eſiſinas, Penſaurienſis, Urbinas, Portuenſis, Sabinenſis, Anagninus, Alatrinus, Soranus, Furconenſis, Theatinus, Nepeſinus, Ortanus, Viterbienſis, Suanenſis, Caſtellanus, Groſſetanus, Piſtorienſis, Lunenſis, Nucerinus, Reatinus, Narnienſis, Firmanus, Humanas, Senogallienſis, Foroſempronienſis, Ariminenſis, Albanenſis, Tuſculanus, Signinus, Verulanus, Fundanus, Marſicanus, Pennenſis, Sutrius, Balneoregienſis, Tuſcanenſis, Gluſinus, Aretinus, Vulteranus, Florentinus, Aſininas, Eugubinus, Tudertinus, Interamprienſis, Camerinenſis, Anconitanus, Fanenſis, Callenſis, Feretranus.*

Ex his autem epiſcopis multi labente tempore ſubducti, noviſque metropolitanis Florentino, Senenſi, Urbinatenſi, Firmano, ac Bononienſi, a Romanis pontificibus in metropolitica provincia ſua paſſim inſtitutis, contributi ſunt. At ne ita quidem de Romanae metropoleos maieſtate ac amplitudine deceſſit; nam ſuffraganeos introrſum ademtos ſupplent extrinſecus *Archiepiſcopi ſuffraganeis carentes, Epiſcopi Sedi Apoſtolicae immediate ſubiecti, & Abbates nullius dioeceſis iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes, qui alias ſibi metropolitanum, cuius provinciali Synodo intereſſent, ad formam Tridentini non elegerunt*, uti conſtat ex Romano Concilio provinciali Benedicti XIII. (4). Quod pertinet ad Regnum noſtrum, ſequentes epiſcopi in Romana provincia ultra Capuam ſiti, Romano Metropolitae ab antiquo paruerunt, *Soranus, Fundanus, Caietanus, Forconienſis, Marſicanus, Valvenſis* (nunc *Sulmonenſi* unitus), *Theatinus, Pennenſis* (cui *Adrienſis* adiunctus), *Aprutinus*, ut habent allatae Notitiae. Extra Romanam vero provinciam hi epiſcopi ſive ab origine ſua, ſive ex privilegio poſtea exemti, Romanaeque Se-

(4) Vide litteras Indictionis huius Synodi ann. MDCCXXIV. ſcriptas.

di immediate ſubiecti ſunt, *Aquinenſis*, *Averſanus*, *Cavenſis*; *Scalenſis & Ravellenſis*, *Biſunianenſis*, *Caſſanenſis*, *Miletenſis*, *s. Marci*, *Melphictanus*, *Monopolitanus*, *Melphienſis*, *Montis-peluſii*, *Neritonenſis*, *Troianus*, *Triventinus*, inque Regno Siculo *Liparenſis*. His addantur Archiepiſcopi tres ſine ſuffraganeis, *Roſſanenſis*, *Nazarenus*, & *Lancianenſis*: ac porro Abbates nullius dioeceſis cum ſeparato territorio, ac ordinaria iuriſdictione, ut *Caſſinenſis*, *SS. Trinitatis Cavenſis*, *S. Spiritus Morronenſis*, *S. Laurentii a Chartuſia Padularum*. Qui hodiernos Romanae provinciae ſuffraganeos plenius noſſe avet, is Acta conſulat Romanae Synodi provincialis ſub Benedicto XIII. anno MDCCXXV. celebratae.

Illud hoc loco haud praetereundum, epiſcopos nulli metropolitae ſubditos obſtringi vicinum ſibi metropolitanum eligere, cuius provinciae Synodo ſe ſiſtant. Tridentina Synodus (5), decretum innovans Concilii Lateranenſis V. ſub Leone X. (6), cavit, ut *epiſcopi*, QVI NVLLI ARCHIEPISCOPO SVBIICIVNTVR, *aliquem vicinum metropolitanum ſemel eligant*, *in cuius Synodo provinciali cum aliis intereſſe debeant*, *& quae ibi ordinata fuerint*, *obſervent: in reliquis omnibus eorum exemtio*, *& privilegia ſalva & integra maneant*. Hoc Tridentini decreto haud comprehenduntur epiſcopi exemti, qui in hodiernis Romanae provinciae limitibus poſiti ſunt. Loquitur enim Tridentinum de iis epiſcopis, qui *nulli Archiepiſcopo ſubiiciuntur*; qui autem in Romana provincia ſunt, Romanum pontificem tamquam metropolitanum ſuum habent, eiuſque provinciali Synodo adeſſe debent. Adhaec, in eiuſmodi epiſcopis optime Tridentini mens impletur, quum Romanus metropolita iis cenſendus ſit VICINVS, legeſque Concilii provincialis Romani ipſorum regimini adcommodari poſſint. Praeterea putandum non eſt, Tridentinos Patres ullum metropoliticae Romani pontificis poteſtati afferre detrimentum voluiſſe. Ita Sacra Congregatio, Tridentini Concilii interpres, die XXXI. Iulii an. MDLXXX. declaravit, hoc decreto non contineri epiſcopos Romanae provinciae, quod hi Roma-

(5) Seſſ. XXIV. de reformat. cap. 11.

(6) Seſſ. 11. conſt. quae incipit *regiminis*.

Digitized by Google

mano pontifici, tamquam eorum Archiepiſcopo & Metropolitano *immediate* ſubiiciuntur. Idem cautum in Congregatione habita coram Benedicto XIII. die XXVIII. Martii MDCCXXV. Hactenus dicta intellige de iis Romanae provinciae epiſcopis, qui adhuc perſeverant a cuiuslibet metropolitani ſubiectione, ſuntque adeo Romani metropolitae ſuffraganei; ſi enim ab ipſo pontifice fuerint a Romana provincia divulſi, & inter ſuffraganeos alicuius metropolitani deputati, profecto huius provinciali Synodo adeſſe tenentur. De epiſcopis autem exemtis, Romanaeque Sedi *[illegible]* ſubiectis, qui extra Romanam provinciam continentur, ambigi iure poteſt, an vicinum metropolitanum ſibi eligere teneantur, ut provinciali illius Synodo adſint. Plane intereſt, num ii a primaeva origine ſua in exemtione nati, an poſtea ex privilegio exemti ſint. Si nativam habeant libertatem, magis eſt, ut eos Concilii decreto haud obſtringi putes. Inquit enim Synodus: *in reliquis omnibus eorum exemtio, & privilegia ſalva ac integra maneant*; quibus verbis colligitur, eam loqui de epiſcopis per privilegium exemtis, adeoque alicui metropolitae aliquando ſubiectis, non autem de epiſcopis, qui in libertate nati ab origine ſua non alium adgnovere metropolitanum, quam Pontificem; quum exemtio ſit quid ſeiunctum diſtinctumque a nativa libertate. Scite Fontaninus (7) cenſuit, hos a metropolitica Romani pontificis ſubiectione avellendos non eſſe, nec ius eccleſiis iamdiu quaeſitum invertendum: *Ceteri enim*, inquit; *qui metropolitam ab origine ſua ſemper habuerunt Romanum pontificem, ab hoc nequaquam ſunt avellendi*. Si vero metropolitae obnoxii aliquando fuerint, eiuſque iuriſdictione poſtmodum ſubducti, Romanaeque Sedi deputati, nullus ambigo, quin Concilii decreto parere teneantur. Quae cum ita ſint; Regni noſtri epiſcopi, qui ſunt in provincia Romana, ſemperque Romano metropolitae adhaeſerunt, provinciali vicini Archiepiſcopi Synodo intereſſe non compelluntur: nec epiſcopi exemti extra Romanam provinciam poſiti, qui nativam habent libertatem; ſed ii tantum, qui ex poſtfacto exemtionem per privilegium conſequuti ſunt.

CAP.

(7) Diſſ. de amplitudine peculiaris provinciae Summi Pontificis ut Romani metropolitae, deque epiſcopatu Eugubino eodem poſito. Romae MDCCXXV. 4.

C A P. X.

An eccleſiaſticae metropoles ex civili Regni diſpoſitione fuerint a CPolitanis, & Romanis Pontificibus conſtitutae, diſputatur.

NE quidquam intactum videar praeterire, quod ad rem, de qua agitur, illuſtrandam quodammodo confert; opportuno hoc loco inquirendum, an ex forma civili metropoles eccleſiaſticae fuerint in Regno erectae? Diſtinquendum inter metropoles, quas Graeci, quaſque Romani Antiſtites inſtituerunt. Illae ſecundum civilem diſpoſitionem, quae in his provinciis adhuc ſub Graecis vigebat, conſtitutae ſunt. Sane ſub ipſo forte Leone Iſaurico duae eodem prope tempore inſtitutae metropoles eccleſiaſticae, Syracuſana in Sicilia, & Regienſis in nova Calabria; quarum illi univerſae Siciliae, huic autem epiſcopales totius Calabriae ſedes attributae ſunt. In duabus urbibus, civilibus provinciarum ſuarum capitibus, binae metropoles eccleſiaſticae erectae. Syracuſana urbs civilis erat univerſae Siciliae metropolis (*); Regium autem, Italia in provincias tributa, Brutiorum caput evaſit, teſte Olympiodoro, qui ſaeculo quinto ſub Theodoſio Iuniore claruit, in Hiſtoria, cuius epitomen ſervavit Photius (1): Ῥηγιον, inquit, μητροπολις ἐςι της Βρεττιας (**). Quae vero a Romanis pontificibus in Regno excitatae ſunt metropoles, aut ſub Longobardis, aut ſub Northmannis, aliiſque Principibus noſtris erectae ſunt. Prioris generis metropoles ad formam πολιτειας a Longobardis invectae in regionibus hiſce conſtitutae ſunt; in poſterioribus autem fere nulla civilis Regni diſpoſitionis ratio eſt habita.

Profecto vigente Longobardorum dominatione, ſub quibus metropolitani apud nos inſtitui a Romanis pontificibus coeperunt,

(*) Pluribus collatis veterum teſtimoniis id demonſtrat Dominicus Georgius Exercit. de antiq. Italiae metropolib.

(1) In Bibliothec. Codic. LXXX.

(**) Regio Brutiorum Βρεττιας dicta Olympiodoro, & Βρεττανιας Polybio in eclogis lib. II., Dioni lib. XLI., & Zoſimo lib. VI. *Brettania* quoque inter Italiae regiones enumeratur in Notitia Graeca epiſcopatuum apud Goar ad calcem Codini. Provincia *Britannorum* pro *Bruttiorum* occurrit apud Frontinum in libello de coloniis Italiae p. 328. ubi in aliis codicibus *provincia Britinorum*, & in vetuſtioribus *Brittiorum* legitur, ut adnotat Keuchenius ad Frontin. p. 413.

Digitized by Google

runt, praeſtantiores civitates iis ſubditae fuerunt Beneventum, Capua, & Salernum. Hae urbes principes metropoles eccleſiaſticae factae ſunt. Primum Capuae Antiſtes, quae prae aliis urbibus caput extulit, metropolitanus renuntiatus eſt, eique parere iuſſi ſunt epiſcopi, qui tum in Capuano Principatu extabant. Landulfus Capuae praeſul anno DCCCLXXIII. per Ludovicum II. Imp. *Archiepiſcopatum totius Beneventi* (hoc eſt Beneventani Principatus), *& ut Capuae metropolis fieret*, *quaeſivit*, ut Erchempertus (2) ait. In Chronico Comitum Capuae refertur, a pontifice Iohanne XIII. conſecratum fuiſſe Iohannem Pandulfi Principis fratrem in *Aula Archiepiſcopum pro univerſo Principatu*, puta Capuae, ubi Pandulfus degebat, cui & Beneventanus ſuberat. Mox idem honos Beneventano Principatui collatus; etenim metropolitica dignitate auctus eſt epiſcopus Beneventi, quae urbs tam ampli Principatus caput erat, eique ſuffraganei dati ſunt epiſcopi, qui in Beneventano erant Principatu. Quod vero Principatus iſte omnium latiſſime pateret, factum eſt, ut Beneventanus metropolitanus numero ſuffraganeorum omnes Regni metropolitas facile vicerit. Principatus etiam Salernitanus metropoliticum decus demerebatur, utpote Capua & Benevento nulla re inferior. Hinc Antiſtes Salerni, quae urbs princeps erat eius Principatus, ad metropoliticae dignitatis faſtigium evectus eſt, attributis ipſi ſuffraganeis ipſius Salernitani Principatus epiſcopis, qui tunc temporis extabant. Diſerte Chronographus Cavenſis (3) teſtatur, Amato Archiepiſcopo primum creato ſubiectum fuiſſe *totum Principatum*, hoc eſt univerſos Salernitani Principatus epiſcopos.

Nec in tribus tantum Longobardorum Principatibus Capuano, Beneventano, & Salernitano; ſed & in Ducatibus Amalphitano, Neapolitano, & Surrentino, urbes principes metropoliticum decus a Romanis pontificibus conſecutae ſunt, & ſecundum civilem diſpoſitionem ipſius Ducatus epiſcopi cuique metropolitano contributi. Amalphis, quae hac tempeſtate & civium

(2) In Chronic. n. XXXVI. tom. IV. p. 421. edit. Pratill.
(3) Ext. in Hiſt. Princip. Longobard.

Digitized by Google

vium numero, & opibus, & maritimo cum Graecis, Arabibus, Afris, Indis, aliiſque gentibus commercio, omnibus noſtrarum provinciarum civitatibus praeſtabat (4), metropoliticam dignitatem, non ſecus ac Capua, Beneventum & Salernum, merebatur. Talis Amalphitanae ſedi honos impenſus eſt ſub Manſone Duce, cui ſuffraganei adſignati ſunt ipſius Ducatus epiſcopi. Surrentum quoque, parvi licet Ducatus caput, eadem dignitate exornata eſt. Neapolis tandem urbs anguſti olim Ducatus princeps in metropolim erecta, attributis Neapolitano Metropolitae epiſcopis, qui in Ducatu Neapolitano tunc temporis extabant. Qui vetera novis metiri ſolet, is plane mirabitur, metropolitanos Capuae, Beneventi, Salerni, aliarumque inferiorum civitatum tot praeſidere ſuffraganeis epiſcopis; Neapolim vero, urbem Regni univerſi caput, nonniſi paucis. At fines Ducatus Neapolitani, quo tempore Neapolitana ſedes in metropolim evecta eſt, anguſti erant; contra Principatus Beneventi, Capuae, ac Salerni multo latius patebant. Civilis autem formae ratio in erigendis metropolibus vigente Longobardorum dominatione habita eſt. Neapolis quidem ſupra ceteras Regni urbes caput extulit ſub Carolo I. Andegavenſi, regia ſede huc defixa: antea aliis cedebat. Epiſcopatus Caietae, quae urbs Ducatus quoque caput erat, ad metropoleos faſtigium haud pervenit, quia id parvus anguſtuſque Caietanus Ducatus non patiebatur. Ceterum metropoles ſub Northmannis aliiſque Regibus noſtris non parvo numero paſſim erectas, civili Regni diſpoſitioni haud reſpondere, rem perpendenti liquido patebit. Sub iis enim Regnum noſtrum duodecim provinciis diſpertitum eſt: contra eccleſiaſticae metropoles, uti iam expoſuimus, multo plures ſunt.

F I N I S.

(4) Videſis Willielm. Apulum lib. III. Rer. Northman.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ

DE EPOCHA ET CAVSSA NOMINIS CALABRIAE AD BRVTTIOS TRANSLATI,

Quo PETRI DE MARCA lib. I. Concord. Sacerdot. & Imper. cap. VII. n. IV. ſententia ea de re expenditur.

OLIM Calabria in peninſula Hydruntina, inter Iſthmum Brunduſium & Tarentum, tamquam Apuliae finitima, qua in mare Ionium procurrit Italia, potiſſimum continebatur. Eam & *Meſſapiam*, & *Iapygiam*, & *Salentinam* veteres adpellarunt (1). Bruttiorum autem Regio inter fluvios Sybarim in mari ſupero, & Laum in infero coërcebatur, Lucaniae contermina, & in Auſtrum vergens. Poſtea Calabriae nomen Bruttiorum Agro impertitum eſt. Id quo primum tempore, & quanam de cauſſa factum, nunc diſpicere eſt animus. Non ad ingenii exercitationem, ſed ad veteres Calabrorum, Bruttiorumque res quum eccleſiaſticas, tum civiles rite pernoſcendas, haec pertinet inquiſitio. Atque hic temperare mihi vix poſſum, quin adverſam Calabrae, Brutiaeque rei vicem indoleam, & noſtrorum de hac re negligentiam accuſem, ex qua factum eſt, ut priſcas Calabrorum, Bruttiorumque res mire confuderint, atque interturbaverint. Ipſi ſeduli Calabrarum antiquitatum commentatores Gabriel Barrius, Proſper Pariſius, & Hieronymus Maraſiotus, eiuſmodi indaginem omiſerunt, & ex eius rei ignoratione pleraque ad veterem Calabriam ſpectantia, inſcite ad novam tranſtulere. Primus ad quaeſtionem hanc acceſſit Camillus Peregrinius; tum Caſpar Beretta; tandemque alii. Ex exteris vero Petrus de Marca, licet obiter atque aliud agens, in eiuſmodi indaginem proſiluit. Noſtrum itaque erit, eruditorum virorum de praeſenti argumen-

* to

(1) Strabo Geographiae lib. VI. II. ſect. 4. n. 57;. Conſule Cellarium antiq. Geograph. lib.

to ſententias afferre, nedum excutere, ut tota res bono lumine collocetur.

Iam cl. Peregrinius (2), etſi annum, aut periodum, intra quam Calabriae nomen Brutiis communicatum eſt, non definiat, nec ſub quo Imperatore, tamen ſub Longobardis, & quidem a temporibus Romualdi Senioris Ducis Beneventani, eius nominis translationem a Graecis, veteri Calabria deperdita, factam feliciter coniecit, ne Thematum, ſive provinciarum ſuarum nomina amitterent. Integrum heic locum recenſere non gravabimur: *Mea eſt igitur de hoc coniectura, ſub Longobardorum aetate, non tamen ab illis, ſed a Graecis novum Brutio Agro vocabulum fuiſſe inditum. Nam Graeci (ſic inquam coniicio) integram retinentes Siciliam, proximamque Brutiorum, Conſentiam ultra, haud magnam partem, nec non litoralia Acropolim uſque multa, & Campaniae quoque maritimas urbes: atque etiam ſervantes, ut mox, & in ſubſequenti diſſertatione palam fiet, ad ſuperum mare,* „ regionem latiſſimam „ *qualem eam dicit Paulus Diaconus lib. VI. cap. 1. antiquiſſime Calabriam nuncupatam: haec loca, inquam, omnia ſub duplici Themate deſcripſerunt, ac in duas provincias contribuerunt, Sicilia pro una, reliquis vero quamvis admodum disiunctis ditionibus, pro altera computatis, atque his Italicis omnibus ſub unius antiquae Calabriae nomine, quae tunc amplior fructuoſiorque ceteris erat portio, deſignatis. Qui rerum ordo ad tempora quum manſiſſet Imperatoris Conſtantis, poſtque eius necem quum primaeva illa Calabria a Duce Beneventi Romualdo Seniore, quod Paulus ibidem perhibet, admodum fuiſſet imminuta, Imperatores, qui Conſtantem ſunt ſubſequuti, eodem Calabriae vocabulo appellare perſeverarunt, quae adhuc in Cis-Tyberina Italia ſervabant loca, tum ex conſueto Graecorum faſtu, ac ne ſui Imperii Themata minora deveniſſe viderentur; tum quod reliquam ad Orientem trans Brunduſium ac Tarentum provinciam, nunc fere,* „ Terra di Otranto „ *olim vero antiquae Calabriae partem, numquam amiſerunt, ut poſt dicam: quo pacto novum hoc nomen Brutio Agro, etſi nec omni, nec ſoli, impertiri coeptum, ei-*

(2) Diſſ. VI. de finib. Ducat. Beneventan. ad Orient. Ext. in Hiſtor. Princip. Longobard. tom. v. p. 268. edit. Pratill.

ei tamen uni firmius inhaeſit; quandoquidem Calabri Thematis Praetores, ſive cum Porphyrogenneta dicas „ Patricii „ *vel* „ Strategi „ *amiſſa Graecis Tarento, quae regionis fuerat caput, ad inferiorem Calabriam ſuam detulerunt ſedem, ubi ditionis portio remanſerat ceteris maior; Graecorumque ad exemplum Longobardi, ut aſſolet inter finitimos, mediterranea illic ſua eodem vocabulo appellarunt, qui loca Tarentum ac Brunduſium uſque recentius pervaſa, haud antiquo nomine* Calabriam, *ſed ex adiacenti a ſe poſſeſſa regione dixerunt* „ Apuliam „ ; *Graeci autem quidquid erat ad ſuperum mare dein nominarunt* „ Longobardiam „ *de quo poſt; ſicque omnino deſiit primitivae Calabriae nomenclatura. Et mea de abditiſſima quidem re talis eſt divinatio.*

Poſt Peregrinium Beretta (3) quo primum tempore, ſub quo Imperatore, & qua de cauſſa Calabriae nomen Bruttio Agro communicatum ſit, detegere niſus eſt. Itaque Bruttium Calabriae nomine donatum non diu ante annum DCLXXX. colligit ex Synodica Agathonis P. epiſtola ad futuram Sextam Synodum oecumenicam eo anno data, in qua Epiſcopi in Bruttiis poſiti ſe epiſcopos *provinciae Calabriae* ſubſcribunt. Eruditi viri verba, quae huc faciunt, adſcribam: *Igitur anno Imperii XIII. Conſtantini IV. Pogonati, hoc eſt aerae vulgatae* DCLXXX. *iam confectum bellum Romualdi* (Ducis Beneventani cum Graecis initum), *iam translata ſedes Graeci Praetoris Tarento in Brutios, & tunc primum auditum nomen novae Calabriae in VI. Synodo Conſtantinopolitana ſub Agathone dicto anno inchoata, & ſequenti abſoluta. Teſtes ſunt tres epiſcopi Brutiorum Actioni IV. huius Synodi ſubſcripti*, Theophanius epiſcopus ſanctae Thurinae eccleſiae provinciae Calabriae: *& infra*, Georgius epiſcopus ſanctae Thaurianae Eccleſiae provinciae Calabriae: *& huic proximus tertius*, Teodorus epiſcopus ſanctae Tropeianae eccleſiae provinciae Calabriae . . *At* Thurium *ſuperioris Calabriae*, Taurianum *&* Tropeiam *inferioris urbes fuiſſe, & Geographi veteres, & Lexicographi docent . . . . Adiungi adhuc poſſent* Stephanus Locrenſis *Eccleſiae, &* Iulianus

(3) In diſſ. Tab. Chorogr. Med. aevi. Ext. apud Murator. S. R. I. tom. x. pag. 307.

nus Conſentinae provinciae Calabriae . *At quia τὸ* provinciae Calabriae *in margine ſcribitur*, *neſcimus*, *an ſit additio Labbeana* , *vel textualis alterius codicis : tres praelaudati ſufficient*. *Quid ergo clarius? Sed paullo ante annum* DCLXXX. *id nomen translatum adhuc obſervamus* : *quoniam nondum tunc in uſu apud omnes*: *etenim alii epiſcopi tres eccleſiarum* Crotonenſis *Petrus* ; Scyllacinae *Paulus*; Tempſanae *Abundantius* , *omnes ſubſcribuntur* provinciae Bruttiorum . *Ibidem etiam* Tarentinae *Germanus dicitur* Calabriae, *quia quum Tarentum accenſeretur Lucaniae* , *&* *Brutia ac Lucania eſſent una provincia* , *ſaltem civiliter* , *ut ex Notitia Imperii*, *&* *ex aliis*, *ideo Brutia facta Calabria*, *&* *Germanus Calabriae dicitur*. *At cur tandem* Hydruntinae *Iohannes dicatur Brutiorum* , *quaerimus a viris doctis*. Deinde cauſſam affert nominis Calabriae Bruttiis impoſiti: *Recolere supereſt* , *cur facta haec translatio*, *dum Graeci tunc non amiſiſſent integram Calabriam veterem*, *ultra Tarentum & Brunduſium* , *Hydrunto praeſertim ſervato*. *At oportet*, *quod Romualdus ultra dictas duas urbes*, *plures alias illis ademerit*, *quas Paulus ex more reticet* , *ut in deſcriptione Calabriae II.* 21. *Significat eas tantum per ea verba VI.* 1. „ & omnem illam, quae in circuitu eſt , latiſſimam regionem ſuae ditioni ſubiugavit : „ *& reapſe Porphyrogenitus excipit ſolum Hydruntum* . *Ut ut ſit* , *nominis mutatio eſt ſecuta*, *ſicut breviter innuit Peregrinius dicta diſſ. VI. pag.* 181. „ tum conſueto Graecorum faſtu: ac ne ſui Imperii Themata minora deveniſſe viderentur „; Tandem pergit Beretta: *Ex illo itaque poſteriori tempore nedum tota Brutia paulatim dicta fuit Calabria (ut aetate Leonis III. Iconomachi ab anno* DCCXVII. *iam nomen eſſet ubique diffuſum*, *quum Miſcellae lib.* XXI. *pag.* 150. *dicatur*, *quod Sergius Praetor Siciliae* „ confugit ad proximos Calabriae Longobardos „ *qui nuper eius partem occupaverant* , *& pag.* 152. *quod idem impius Leo* „ , tributa capitalia . . . . Siciliae *ſeu* Calabriae ſuperimpoſuit „ *verum etiam Calabriae nomen ad proximam Lucaniae & Campaniae oram maritimam tranſiit*, *ut docet idem Peregrinius diſſ. V. pag.* 155. *in fine* , *ex quodam antiquo documento Actorum S. Martini* , *in quo fit mentio* „ Meſſanae, quae in Calabria eſt „; *vere tamen in Campania*, *quum*

quum ſit vetus Miſenum prope Puteolos, Baias, & Cumas.

Ego autem quae viri doctiſſimi Peregrinius & Beretta de re praeſenti tradiderunt, enucleatius explicabo, atque confirmabo. Calabriae nomen paullo ante annum DCLXXIX. ipſo loquendi uſu, non quidem apud omnes, ſed quoſdam tantum recepto, primum communicari coepit Bruttiorum regioni. Id praeclare conficitur ex Synodica Agathonis P. laudato anno ad futurum Concilium CPolitanum III. ſcripta (4), cui ex epiſcopis civitatum in Bruttio Agro poſitarum, quinque ex *provincia Calabriae*, non Bruttiorum, uti prius fecerant, ſubſcripſere in hunc modum, *Stephanus Locrenſis provinciae Calabriae*, *Theophanes Thurinus prov. Calabriae*, *Georgius Taurianenſis prov. Calabriae*, *Theodorus Tropeianus prov. Calabriae*, *Creſcens Vibonenſis prov. Calabriae*; quatuor ſe *provinciae Bruttiorum* dixerunt, nempe *Iulianus Conſentinus provinciae Brutiorum*, *Abundantius Tempſanus provinciae Brutiorum*, *Petrus Crotonenſis provinciae Brutiorum*, *Paulus Scyllacinus provinciae Brutiorum*. Ex epiſcopis autem veteris Calabriae Iohannes Hydruntinus ſe *provinciae Brutiorum*; Germanus vero Tarentinus *provinciae Calabriae* ſubſcripſit. Iam vides, ab his uſque temporibus binas provincias confundi promiſcuo nomine coepiſſe; adeoque Bruttiorum Agrum & novo Calabriae, & antiquo Bruttiae nomine peraeque adpellatum, ac viciſſim veteri Calabriae Bruttiorum nomen communicatum. Tandem reiecto Bruttiorum nomine, illud Calabriae tantum ſuperfuit, eoque ſignificatum quidquid Graecis ſive in veteri Calabria, ſive in nova, hoc eſt Agro Bruttio a Longobardorum incurſione remanſit. Exemplorum abunde eſt apud veteres ſcriptores. Calabriae nomine Bruttiorum regionem adpellat Eginhardus, Hadriani Papae aequalis (5), iis verbis: *Italia tota ab Auguſta Praetoria uſque ad Calabriam inferiorem, in qua Graecorum, ac Beneventanorum conſtat eſſe confinia*. Pari modo Hadrianus P. (6) Calabriam univerſam ad mare Inferum, ſeu Bruttium Agrum deſignat, dum ſcribit, *Adelgiſum cum Miſſis Imperatoris* (Conſtantini) *in partibus Calabriae reſidere iuxta confinium*

(4) Apud Harduin. Concil. tom. III. col. 1127.

(5) In vit. Caroli M.

(6) Ep. XLVI. ad Carol. M.

Digitized by Google

finium Ducatus Beneventani. Tandem Anaſtaſius Bibliothecarius (7), Theophanes (8), aliique ſexcenti ad Bruttium Agrum ſignificandum Calabriae vocabulo utuntur. Si quis autem quaerat, cur Calabriae nomen ad Bruttios translatum ſit, in proclivi cauſſa eſt. Romualdus I. Dux Beneventi inter annos DCLXVIII. & DCLXXXX. Graecis abſtulit Tarentum, Brunduſium, omnemque fere veterem Calabriam, exceptis Hydrunto & Callipoli, ut ex Paullo Diacono (9), & Conſtantino Porphyrogenneta (10) colligitur. Graeci vero inde uſque ab eo tempore, ne Themata, ſeu provincias ſuas decreviſſe viderentur, conſueto tumore, confuſa veteris Calabriae parte, quam poſſidebant, cum Bruttiis, quibus dominabantur, promiſcuo Calabriae, aut Bruttiorum nomine, quidquid reſiduum iis erat, deſignare coeperunt; donec, Bruttiorum reiecto nomine, Calabriae tantum remanſit. Quemadmodum vero a Graecis, veteri deperdita Calabria, ad Bruttios Calabriae nomen translatum; ſic a Longobardis *Apuliae* nomen ad antiquam Calabriam, quam occupaverant, extenſum eſt. Hinc poſteriores Graeci veterem Calabriam cum antiqua Apulia *Longobardiam* adpellarunt, ut ex Porphyrogenneta (11) liquet.

Iam vero imperare mihi non poſſum, ut Peregrinio & Berettae adſtipuler, illud interferentibus, a Graecis, amiſſa veteri Calabria, ex Tarento, quae regionis caput erat, ad Bruttios Praetoris Graeci ſedem translatam fuiſſe. Etenim nullus ad ea uſque tempora extitit Praetor, qui veterem Calabriam regeret. Profecto vigente Romano Imperio Campania & Sicilia per Conſulares; Apulia & Calabria, Lucania & Bruttium per Correctores; Samnium per Praeſides regebantur. Occidentali extincto Imperio, vetus provinciarum Romanarum magiſtratus ſub Theodorico, aliiſque Gothorum Regibus, Italiae dominis ſteterunt, ut ex Caſſiodoro (12) compertum eſt. Pulſis Italia Gothis per Narſethem

(7) In vit. Iohannis V. papae, in vit. Ioh. V., & in vit. Gregor. II.
(8) In Chronic. ad an. Incarnat. ſecundum Alexandrinos DCCXXIV.
(9) Hiſt. Longobard. lib. II. cap. XVII.
(10) De Adminiſtr. Imper. cap. XVII. p. 82. edit. Bandur.
(11) Cit. cap. XXVII., & de Thematib. lib. II. themat. X.
(12) Lib. I. Variar. ep. III., & lib. III. ep. VIII.

Digitized by Google

them Iuſtiniani Ducem an. DXLIII., miſſoque deinde a Iuſtino II. circa an. DLXVIII. Longino in eam cum ſummo imperio, novam Italia regiminis formam induit; is enim ſuſtulit e provinciis Conſulares, Correctores & Praeſides, ex Vrbe Senatum & Conſules, ex Italia Praefectum Praetorio, cui ſubſtituit Exarchum, qui Ravennae ſedebat, penes quem totius Italiae cura erat (*): tantum ſpectabilibus civitatibus dedit inferiores iudices, dictos *Duces*, alias per *Tribunos* regebat. Stante itaque Exarchatu, in univerſam Italiam Exarchorum praecipuae fuere partes, inſtitutis Ducibus, & miſſis Tribunis. Romae, Neapoli, Amalphi, Surrenti, Caietae Duces praepoſiti. Calabria vero non Duci, aut Praetori, ſed Exarcho ſub Tribunis parebat, ut ex Gregorio M. (13) conſtat. Tantum Siciliae ſuus, ut antea, manſit Praetor, qui & *Praefectus*, & *Patricius*, & *Strategus* dictus eſt. Exarchatu circa an. DCCLII. (**) peremto, Graeci quod in veteri Calabria, & Bruttiis ſibi remanſerat, una cum omnibus maritimis locis Caietam uſque, ſub uno Calabriae nomine Praetori Siciliae regendum commiſere. Per haec tempora nomen Calabriae cum Sicilia confundi coepit, quod ea ab eodem Praetore Siciliae regeretur. Hinc in Septima Synodo anno DCCLXXXVII. celebrata (14) *Theodorus epiſcopus Thaurianae Siculorum Inſulae* dicitur. Sicilia vero fere tota Graecis ſub Baſilio Macedone an. DCCCLXXVIII. erepta per Saracenos, ad ſervandum quod in veteri, novaque Calabria remanſerat, inque Apulia recuperaverant, Duces, Graece Στρατηγὺς, huc miſerunt. Tunc primum inducti ſunt Duces, ſeu Strategi Apuliae, & Calabriae. Primus Apuliae Strategus, ſub Baſilio Macedone miſſus, Stephanus Maxentius Cappadox occurrit apud Porphyrogennetam (15). Strategus autem Calabriae veterem, novamque Calabriam adminiſtrabat

(*) Conf. Sigon. lib. I. de Regn. Ital. ad an. DLXVI. in fin., & Blondum lib. VIII. decad. I. p. 102.

(13) Lib. IX. ep. XCIX.

(**) Conſule de hac re Sigon. lib. III. de Regno Ital. ſub Aiſtulpho ad an. DCCLII., & Murator. in Annalib. ad eum annum, ac diſs. I. Antiq. medii aevi.

(14) Act. VII.

(15) In Baſilio Macedone n. LXI. edit. Combefiſii.

Digitized by Google

bat, ſedemque Regii habebat, ubi ad tempus Regii a Roberto Guiſcardo capti perſtitit, teſte Scylitze (16). Hic aliquando *Strategus Siciliae* dictus, ut appellatur Coſmas Anthius in documento apud Ughellum (17). Nonnumquam iidem fuerunt Apuliae, & Siciliae Strategi. Ita Marianus Patricius *Strategus Calabriae*, *ac Longobardiae* dicitur Oſtienſi (18). Et Nicephorum Magiſtrum αμφοτερωντων χωρων, Ιταλιας τε και καθ', ημας Καλαβριας, *utramque regionem*, *Italiae pariter*, *& Calabriae noſtrae* rexiſſe, inquit Auctor vitae Sancti Nili Iunioris (19). Iam intelligis, poſt captam demum Siciliam a Saracenis anno DCCCLXXVIII. Graecos Italicas Regiones ſibi ſubiectas in duo themata, ſeu provincias, *Siciliae*, & *Longobardiae* partitos, eaſque duobus Strategis regendas detuliſſe. At enim Conſtantinus Porphyrogenneta (20) hanc adminiſtrandi rationem ad tempora Narſethem praeeuntia refert. Nimirum is male novit veterem ſui in Italia Imperii politiam, & nova vetuſtis admiſcuit (*). Idem Porphyrogenneta (21) haec a veritate haud aliena memoriae prodidit: *Decimum thema Sicilia. Ceterum Sicilia inſignes urbes habet, Syracuſas, & Tauromenium dictum, ipſumque Agrigentum, & civitates partim deſertas, partim a Saracenis occupatas. Syracuſas certe ſub Baſilio illo praeclaro Imperatore coeperunt Saraceni; Tauromenium vero ſub Leone Sapientiſſimo Imperatore. Quotquot igitur deſerta fuere oppida, haec ab ipſis Saracenis detinentur. Sola Calabria a Chriſtianis tenetur, in qua etiam Regium eſt, & oppidulum S. Cyriacae, & S. Severinae, & Croto, & alia quibuſdem oppida; quae Dux (Graece ὁ στρατηγος Strategus) Calabriae dominatur. Sunt autem ſub Sicilia, & eius Duce (Graece Stratego) urbes viginti duae.* Pro τῳ *dominatur* Peregrinius & Beretta legerunt *dominabatur*: inde forte ipſorum de veteri Praetore Calabriae fluxit opinio. Illud heic non reticebo, ſaeculo decimo quidquid Graeci proſpera fortu-

(16) Tom. II. p. 853.
(17) Ital. Sacr. tom. VIII. p. 47.
(18) Lib. II. cap. II.
(19) Editus eſt a Caryophilo.
(20) De Adminiſtr. Imper. cap. XXVII.
(*) Errata, quae Porphyrogenneta in enarrando Italiae regimine admiſit c. XXVII. *de Adminiſtr. Imper.*, caſtigat Aſſemanus de Reb. Neap. & Sicul. lib. I. cap. II. n. 17. ſeqq. & cap. XIII. per tot.
(21) De Themat. lib. II. themat. X. Occidentis p. 28. edit. Banduri.

Digitized by Google

tuna usi in Apulia recuperarunt, novo ſubdidiſſe magiſtratui regia paene poteſtate inſtructo, ac Barii degenti, quem *Catapanum* (*) dixere. Sed pluribus haec perſequi, non eſt huius loci.

Reliquum eſt, ut Petri de Marca de praeſenti argumento doctrinam expendamus; aliorum enim de hac ipſa re ſententias, utpote a veri ſpecie alienas, nihil moror (**). Colligit itaque vir ſummus ex laudata Agathonis Synodica anno DCLXXIX. ſcripta, aevo huius Pontificis veterem provinciarum Calabriae & Bruttiorum diſtinctionem adhuc perſtitiſſe; deinde ſub Leone Iſaurico anno DCCXXVI. innovationem in provinciarum Italiae inferioris appellatione, ac diſtributione factam, teſtimoniis Hadriani P. & Eginhardi adſtruit. Eius haec ſunt verba: *Non eſt tamen diſſimulandum, in eadem diatypoſi ſeu laterculo* (Leoniano) *provinciarum metropolitani Regii collocatum eſſe in ordine trigeſimo ſecundo metropolitarum, qui a Sede CPolitana pendent, inſcriptumque Calabriae metropolitam; quum tamen, ut dixi, Regii civitas ſita ſit in provincia Brutiae. Vnde nolim aliquis colligat, mendum irrepſiſſe in textum, ſed innovationem factam fuiſſe in provinciarum Italiae inferioris appellatione & tributione. Perſeverabat adhuc Agathonis Papae temporibus provinciarum Calabriae & Brutiae antiqua diſtinctio. Etenim in ſubſcriptionibus epiſtolae Synodicae Concilii Romani recenſentur inter epiſcopos provinciae Calabriae Locrenſis, Tarentinus, Thurinus, Taurianus, Tropeianus, Vibonenſis, & Hydruntinus in contextu Graeco melius, quam in contextu Latino, ubi provinciae Bruttiorum adſcribitur. Inter epiſcopos vero provinciae Bruttiorum annumerantur Conſentinus, Crotonenſis, Scyllacienſis, & Tempſanus. Sed quadraginta ſex poſt haec annis pars illa Italiae, quae ab Imperatoribus CPolitanis retenta*

** con-

(*) Videſis de hac re prae ceteris Cangium in Gloſſar. voc. *Catapanus*, ac Poſſinum in Gloſſar. ad Alexiad. Annae Comnenae voc. Κατεπάνω.

(**) Thomas Aceti in prolegomen. ad Barrium p. 36. contendit, ante ſeptimum ſaeculum Calabriae nomen Bruttiis haeſiſſe. Nae is magno conatu maximas agit nugas. Nec aevo Iuſtiniani Bruttium Agrum *Calabriam* nuncupatum fuiſſe, rite colligitur ex Miſcella lib. XVI., ubi Beliſarium ex civitatibus *Calabriae Melito* (hoc eſt Mileto) & *Conſentia* populos collegiſſe ait, ut Neapolim civibus vacuefactam impleret; tota enim fabella de Neapoli populis e Sicilia, Calabria, Apulia, & Campania acceſſitis impleta, abeſt a textu Paulli Diaconi Hiſtoriae Miſcellae Auctoris, uti liquet ex Romana illius editione an. MCCCCLXXV. Quare recentior Collector, qui Miſcellam Paulli auxit, non ex vetuſtis monumentis, ſed ex fabellis narratiunculam illam hauſit. Qui vero Calabri nominis translationem ſaeculo tandem decimo factam tuentur, manifeſti erroris arguuntur ex Synodica Agathonis, Diatypoſi Leoniana, Anaſtaſio Bibliothecario, Theophane, aliiſque ſcriptoribus ſaeculo decimo vetuſtioribus.

eſt, *Calabriae nomen eſt indepta*. *Quod probatur eximie duobus teſtimoniis Hadriani & Eginhardi*. *Hic enim ait*, *Carolum M. obtinuiſſe* „Italiam totam, quae ab Auguſta Praetoria uſque in Calabriam inferiorem, in qua Graecorum & Beneventanorum conſtat eſſe confinia„... *Ceterum Calabriae nomine tunc Bruttia*, *Lucania*, *Apulia & Calabria ſpecialiter dicta ſignificabantur*. *Similis huic locus apud Hadrianum I. qui ad Carolum ſcripſit*, *Adalgiſum Ducem acceſſiſſe*„ ad Miſſos Imperatoris (*ſcilicet Graeci*) in partibus Calabriae iuxta confinium Ducatus Beneventani„. *Hinc factum*, *ut in diatypoſi Graeca Regium dicatur metropolis Calabriae*, *quamvis pertineat ad provinciam Bruttiae*, *non autem ad Calabriam ſpecialiter dictam*. *Duodecim autem epiſcopatus* (quin tredecim) *huic metropoli adſcripti in illa diatypoſi partim ſiti ſunt in Bruttia*, *ut Conſentiae*, *Crotonae*, *Scyllacii*, *qui provinciae Bruttiae accenſentur in Synodica Concilii Romani ſub Agathone* ; *partim ſiti ſunt in Calabria*, *ut Locrenſis*, *Vibonenſis*, *Taurianus & Tropeianus*, *qui inter epiſcopos Calabriae deſcribuntur in dicta epiſtola*. Hactenus Marca noſter. Verum ex Synodica Agathonis vir emunctae naris colligere potius debuiſſet, iam tum duas provincias Calabriae & Bruttiorum inter ſe confundi, & promiſcuo nomine appellari coepiſſe, quam veterem utriuſque diſtinctionem ſub Agathone adhuc perſeveraſſe. Etenim in ea ex epiſcopis in Bruttio Agro poſitis quinque ſe *provinciae Calabriae*; quatuor *provinciae Bruttiorum* ſubſcribunt: contra ex epiſcopis Calabriae unus ſe *provinciae Bruttiorum*; alter *provinciae Calabriae* dicit. Id non alia de cauſſa factum, quam quia anno DCLXXIX. Bruttiorum regio & novo Calabriae, & veteri Bruttiorum nomine aeque adpellaretur. Venia vero Marcae extero homini ultro concedenda eſt, ſi ex qua provincia eſſent noſtrates illi praeſules, qui Synodicae Agathonis ſubſcripſere, non ſatis noverit. Scilicet in veteri Bruttiorum Agro ſiti ſunt non modo Epiſcopi *Conſentiae*, *Crotonae*, *Scyllacii*, *qui provinciae Brutiae accenſentur in Synodica Concilii Romani ſub Agathone*, ut recte vidit Marca; verum etiam *Locrenſis*, *Vibonenſis*, *Taurianus*, *& Tropeianus*, quos in Calabria veteri is perperam collocat. Hi quidem *provinciae Calabriae* ſe appellant in Synodica illa, non quod epiſcopales ipſorum ſedes in veteri Calabria exiſterent, ſed quia temporibus Agathonis Calabriae nomen Bruttio Agro iam eſſet impertitum.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM

IN OPERE CONTENTORVM

ANTELOQ. Pag.I.

PARS. I. IN qua nullum in Regno Neapolitano & Siculo metropolitanum, praeter Rom. pontificem, a primis Eccleſiae ſaeculis ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit, extitiſſe oſtenditur; ac ſecus ſentientes refelluntur. Pag.XII.

CAP.I. Nullus in Campania & Samnio metropolitanus, praeter Rom. pontificem, a primis Eccleſiae ſaeculis ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit. *ibid.*

CAP.II. Nullus in Apulia & Calabria metropolitanus, praeter Rom. pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit. XXX.

CAP.III. Nullus in Lucania & Bruttiis metropolitanus, praeter Rom. pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit. XXXV.

CAP.IV. Nullus in Sicilia metropolitanus, praeter Rom. pontificem, ad Leonem Iſaurum, & quod excurrit. XLII.

CAP.V. Refelluntur qui alium a Rom. pontifice metropolitanum in Regno Neapolitano admittunt ante Leonem Iſaurum. L.

CAP.VI. Refelluntur qui alium a Romano metropolitanum in Sicilia admittunt ante Leonem Iſaurum. LXIII.

PARS II. In qua de Metropolitanis & Archiepiſcopis in utroque Regno a patriarchis CPolitanis inſtitutis fuſe diſſeritur. LXIX.

CAP.I. De Calabriae & Siciliae Epiſcopis a Rom. Metropolita ad Conſtantinopolitanum patriarcham abductis. *ibid.*

CAP.II. De iuriſdictione Patriarchae Conſtantinopolitani in Epiſcopos Calabriae ac Siciliae. LXXVI.

CAP.III. De Metropolitanis & Archiepiſcopis in Calabria & Sicilia a patriarchis CPolitanis inſtitutis. LXXIX.

CAP.IV. Nullum in ceteras Regni Eccleſias, Calabris & Siculis exceptis, CPolitani patriarchae ius. XCVI.

CAP.V. De avulsis Calabriae ac Siciliae Eccleſiis Rom. pontifici reſtitutis. CXI.

PARS III. In qua de Metropolitanis & Archiepiſcopis in utroque Regno a Rom. Pontificibus inſtitutis, aut confirmatis diſſeritur. CXV.

CAP.I. De eccleſiaſticis Regni Neapolitani metropolibus, ac primum Capuana, Beneventana, & Salernitana. CXVII.

CAP.II. De metropolibus Amalphitana, Neapolitana, & Surrentina. CXXX.

CAP.III. De metropolibus Barenſi, Sipontina, Tranenſi, Brunduſina, & Tarentina. CXXXVI.

CAP.IV. De metropolibus Acheruntina, Compſana, Conſentina, et Theatina. CLVIII.

CAP.V. De metropolibus a Romanis pontificibus confirmatis, Regienſi, Sanctae-Severinae, & Hydruntina. CLXIV.

CAP.VI. De Archiepiſcopatibus Roſſanenſi, Nazareno, & Lancianenſi. CLXIX.

CAP.VII. De metropolibus Regni Siculi, Panormitana, Meſſanenſi, & Montis-Regalis. CLXXIII.

CAP.VIII. De iuribus Metropolitanorum Regni Neapolitani & Siculi, ac patriarchica Rom. pontificis in eos auctoritate. CLXXVIII.

CAP.IX. De hodiernis Romanae provinciae finibus. CXCII.

Digitized by Google

CAP.X. An eccleſiaſticae metropoles ex civili Regni diſpoſitione fuerint a CPolitanis, & Rom. pontificibus conſtitutae, diſputatur. CXCVIII.

ΠΑΡΕΡΓΟΝ De epocha & cauſſa nominis Calabriae ad Bruttios translati, quo Petri de Marca lib. I. Concord. Sacerdot. & Imper. cap. VII. num. IV. ſententia ea de re expenditur. *in fin.* p.I.

INDEX AVCTORVM

Qui laudantur, notantur, explicantur.

A

Allatius (Leo) *notat.*, pag.81. in Not.
Amicus (Antoninus) *notat.*, 63.
Anaſtaſiis (Philippus de) *notat.*, 135. in Not.
Aſſemanus (Ioſeph Simonius) *laudat.*, *notat.* 88. & 140. in Not.
Aſte (Franciſcus de) *notat.*, 88. in Not.
A Sancto Paulo (Carolus) *notat.*, 62. 63.
Aceti (Thom.) *notat.*, 9. in Parerg.

B

Balſamon (Theod.) *notat.*, 22. in Not.
Baronius (Caeſar) *notat.*, 118. 132. in Not.
Ballerinii fratres *laudant.*, 59.
Benedectini Operum S. Gregorii editores *laud.*, 61. 66. 68.
Beretta (Caſpar) *laud.*, 70. in Not., 3. in Parerg., *notat.* 6. *ibid.*
Beveregius (Guil.) *laudat.*, 81. in Not.
Beatillus (Antonius) *notat.*, 137., & 142. in Not.
Bibliothecarius (Anaſtaſius) *laud.*, 77. 112.
Bollandus (Ioh.) *laud.* 143., *notat.*, 137. in Not.
Blondus (Flavius) *notat.*, 118.

C

Caniſius (Henr.) *laud.*, 51.
Cantelius (Petrus Ioſ.) *notat.* 56. 132. & alibi.
Caveus (Guil.) *notat.*, 88. in Not.
Caracciolus (Antonius) *notat.*, 131. in Not.
Caietanus (Octavius) *laud.*, 95.
Couſtantius (Petr.) *laud.*, 25.
Chioccarellus (Bartholomaeus) *laud.*, 133., *notat.*, 132. in Not.
Cellarius (Chriſtoph.) *laud.*, 1. in Parerg.
Cluverius (Philippus) *laud.*, 58.

D

Doxopatrius (Nilus) *notat.*, 84. 90. in Not., 107. ſeqq.
Du-cangius (Carolus) *laud.*, 106. in Not.
Dupinius (Lodov. Ellies) *notat.*, 63.

F

Ficoronius *laud.*, 95.
Fontaninus (Iuſt.) *laud.*, 197.
Freccia (Marin.) *notat.*, 135. in Not.

G

Garnerius (Ioh.) *notat.*, 56. ſeqq.
Georgius (Dominicus) *notat.*, 56. 118.
Goar. (Iac.) *laud.*, 83.
Gregorius M. *explicat.*, 21. in Not.
Gretſerus (Iac.) *notat.*, 81.
Gruterus (Ian.) *laud.*, 59.

H

Hallier (Franc.) *notat.*, 52. 63.
Harduinus (Ioh.) *laud.*, 77. & alibi.
Holſtenius (Lucas) *notat.*, 52.

I

Ignotus Barenſis *laud.*, 141. & alibi.
Iannonius (Petrus) *notat.*, 51. 101. 106. 147. 158.145.147. in Not.
Iohanne (Ioh. de) *laud.*, 70., *notat.*, 91. 92. 95. in Not.

K

Keuchenius *laud.*, 198.

L

Labbeus (Philippus) *laud.*, 68.
Lauretus (Matthaeus) *notat.*, 118.
Leunclavius *notat.*, 10. in Not.
Le Moyne (Stephanus) *laud.*, 85.
Lettera (Vincentius) *notat.*, 65.
Lucentius (Iul.) *laud.*, 51., *notat.*, 87. 150. 153. in Not.
Luitprandus epiſcopus Cremonenſis *laud.*, 89.

Lu

Lupus (Chriſtian.) *notat.*, 87. 114. 150. 153. in Not.

M

Mabillonius (Ioh.) *laud.*, 130.

Malaterra (Gaufrid.) *laud.*, 94.

Marca (Petrus de) *notat.*, 4. ſeqq. in Anteloq., 52. 62. 63. 84. 87. in Not., & 9. in Parer.

Manfredus (Franc.) *notat.*, 65.

Mazochius (Alex. Symmachus) *laud.*, 80. 99. & alibi, *notat* 100. 118. 132. in Not.

Milante (Thomas Pius) *laud.*, 187. 135. in Not.

Miraeus (Aubertus) *notat.*, 81. 131. in Not.

Monachus (Michaël) *notat.*, 118. 123. 131.

Moriſanus (Ioſeph) *laud.*, 165. in Not.

Morabitus (Carolus) *notat.*, 67.

Muratorius (Lud. Ant.) *laud.*, 59. 118. 127. in Not., *notat.*, & 101. & 103.

N

Noriſius (Henric.) *laud.*, 59., *notat.*, 118.

Nucaeus (Angelus) *notat.*, 63.

O

Orlendius (Franc.) *notat.*, 63.

Oſtienſis (Leo) *explic.* 121. & 147.

P

Pagius (Antonius) *laud.*, 118., *notat.* 71. 132. in Not.

Pagius (Franc.) *laud.*, 118.

Paulinus Nolanus epiſcopus *explicat.*, 59.

Pratillus (Franc. Maria) *laud.*, 118.

Peregrinius (Camillus) *laud.*, 2. in Parerg., *notat.* 118. 132. in Not., & 6. in Parerg.

Piccolus (Albert.) *notat.*, 67. 72. 91. 173. in Not.

Pirrus (Roccus) *laud.*, 173., *notat.* 73. 91. 175. in Not.

Porphyrogenneta (Conſtantinus) *notat.*, 8. in Parerg.

Protoſpata (Lupus) *laud.*, *notat.* 140. in Not.

R

Remondinus (Ioh. Steph.) *laud.*, 59.

S

Salmaſius (Claud.) *notat.*, 72. in Not.

Sarnellius (Pompeius) *notat.*, 56. 118. 115. 150. in Not.

Sigonius (Carolus) *laud.* 70. in Not., & 118.

Sirmondus (Iacob.) *notat.*, 52.

Scorſus (Franc.) *notat.*, 92. in Not.

Schobar (Chriſtoph.) *laud.*, 77.

Strabo *laud.*, 1. in Parerg.

Scylitzes (Ioh.) *laud.* in Parerg.

T

Tortora (Angel. Maria) *laud.*, 157. in Not.

Theophanes *explic.*, 71.

Thomaſſinus (Ludov.) *notat.*, 63.

Troylus (Placidus) *notat.*, 147. in Not.

V

Valeſius (Henricus) *laud.*, 64. in Not.

Vipera (Marius) *notat.*, 56. 118.

Vita (Ioh. de) *notat.*, 56. ſeq., 118.

Vghellus (Ferdinandus) *notat.* 56. 104. 127. 132. 137. 142. in Not.

Z

Zavarronus (Antonius) *laud.* 159., *notat.* 73.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM.

Prior numerus partem; alter caput; tertius paginam deſignat.

A

Abbates Regni Romanae ſedi immediate ſubiecti. III. 9. 196.

Acheruntia quo anno cremata a ſeipſa, eiuſque eccleſia Materanenſi adiuncta. III. 4. 160. Quando metropolis facta. III. 4. 158. & 159. Ei multae a Romanis Pontificibus decretales datae. *ibid.* in Not. Qui eius ſuffraganei. III. 4. 160.

Alcherius Panormitanus Archiepiſcopus a Gregorio VII. pallium accepit. III. 8. 189.

Amalphis in metropolim ab Iohanne XV. erecta. III. 2. 130. Eius ſuffraganei. *ibid.*

Andronicus quo tempore imperavit. I. 4. 107.

Apuliae & Calabriae epiſcopatus. I. 2. 30. Romano metropolitae olim ſubiecti. *ib.* Ab eo Apuli Calabriq. praeſules ordinabantur. II. 4. 104. Apuliae ſedes bellorum occaſione Beneventanae unitae. I. 5. 60.

Apuliae nomen ad veterem Calabriam extenſum a Longobardis, pag. 6. in Parerg.

Archiepiſcopi Regni ſine ſuffraganeis. III. 5. 169. Reſpondent honorariis Graecorum Archiepiſcopis. III. 9. 169. in Not. Cur hi dicti *Protothroni*. *ibid.*

Athalaricus Gothorum Rex quo tempore regnavit. I. 5. 62.

Averſanam Sedem Romanae ſubiecit Martinus V. idque Callixtus III. confirmavit. III. 2. 135.

B

Balſamon Patriarcha Antiochenus quando vixit. II. 4. 107.

Barbatus Surrentinus Archiepiſcopus Gregorium in Stabienſem antiſtitem conſecravit. III. 8. 187.

Barium ſaeculo ſexto haud metropolis facta. I. 5. 61. Haec civitas ſub Longobardis, Graecis, & Northmannis. *ibid.* Quando facta metropolis. III. 3. 137. ſeqq. Qui eius ſuffraganei. III. 3. 145. & 148. Barenſis metropolita ſuos ordinavit ſuffraganeos. III. 8. 188.

Benevalete quando adhiberi in bullis coepit. III. 8. 182.

Beneventanae ſedis metropolis an antiquiſſima. I. 5. 57. ſeqq. Metropoliticam dignitatem ab Iohanne XIII. primum accepit. III. 1. 124. ſeqq. Qui eius ſuffraganei. *ibid.* Suos Beneventanus Metropolita ſuffraganeos conſecravit. III. 8. 184.

Brunduſina metropolis quo tempore inſtituta. III. 3. 155. Ei ſubeſt Oſtuni epiſcopus. *ibid.*

Bruttiorum Ager quibus limitibus olim coërcebatur, pag. 1. in Parerg. Quando *Calabria* dictus, 2. *ibid.*

Bruttii dicti *Britanni*. III. 10. 118. in Not.

C

Calaris civilis Sardiniae metropolis, ſaeculo ſexto eccleſiaſtica evaſit, pag. 9. in Anteloq.

Calabria quos olim fines habuit, pag. 1. in Pareg. Quando Calabriae nomen Bruttio Agro impertitum. *ibid.* pag. 2. & ſeqq. An ullus olim veteris Calabriae Praetor. *ibid.* pag. 7.

Calabriae & Siciliae epiſcopi a Romana ad CPolitan. eccleſiam quo anno abducti. II. 1. 71. Patriarchae CPolitano diu paruerunt. II. 2. 76. ſeqq.

Campaniae urbes epiſcopales. I. 1. 13. Romano metropolitae ſuberant. *ibid.*

Canuſium poſt annum 872. devaſtatum a Saracenis. III. 3. 144. & 145. Numquam Archiepiſcopali dignitate donatum. III. 3. 102. ad 144. in Not.

Capua olim civilis Campaniae metropolis, non eccleſiaſtica, 9. & 10. in Anteloq., & I. 5. 53. ſeq. Eius epiſcopus R. pontifici parebat. I. 5. 55. Metropolis ab Iohanne XIII. anno 966. primum dicta. III. 1. 117. Eius ſuffraganei. III. 1. 123. Metropolita Capuanus metropolitica iura exercuit. III. 8. 181. Cur ſub Gregorio M. Capuae epiſcopus Neapoli Eccleſiam ſibi ſubditam habebat. I. 1. 21.

Catanenſis in Sicilia Archiepiſcopatus quando a Graecis inſtitutus. II. 3. 94. & ſeq.

Civiles metropoles in Oriente poſt Conſtantinum eccleſiaſticae evaſerunt: quod in urbicariis provinciis haud factum. I. 5. 53. ſeq.

Compſana ſedes quando metropolis facta. III. 4. 161. Ipſius ſuffraganei. *ibid.*

Conſtantinopolitanus Patriarcha in Calabria & Sicilia Metropolitanos inſtituit. II. 3. 80. Ei quae ſedes ſubiectae. II. 3. 81. & 82. An in alias Regni eccleſias, praeter Calabras & Siculas, ius exercuit. II. 4. 96. Illius in Antiſtites Calabriae & Siciliae auctoritas. II. 2. 77. ſeqq.

D

Dedicationes Eccleſiarum Siciliae, cetera-

Digitized by Google

rarumque urbicariarum provinciarum, non niſi cum venia Rom. metropolitani ab epiſcopis peractae. I. 4. 47.

Demetrius Neapolitanus epiſcopus ob nefanda crimina depoſitus a Gregorio M. I. 4. 18.

Diatypoſis Leonis Sapientis de ſedibus CPolitano throno ſubiectis. II. 3. 81. in Not. Quis eius auctor. *ibid.* Quot editiones. *ibid.*

Dioeceſeωr avulſio a Romana eccleſia ſub Leone Iſauro peracta. II. 1. 70. ſeq. Quo anno. *ibid.* Avulſarum Calabriae & Siciliae Sedium reſtitutio a Northmannis ſacta. II. 5. 113.

Dorum Beneventanum epiſcopum Leo M. increpat. I. 1. 29.

E.

Aeclanum quo loco fuerit. I. 3. 58.

Elias Barenſis Archiepiſcopus pallium ab Vrbano II. accepit. III. 8. 188.

Epiſcopi nulli metropolitae ſubiecti tenentur vicinum ſibi metropolitanum eligere, cujus provinciali Synodo ſe ſiſtant. III. 9. 196. Ab hac lege eximuntur epiſcopi in Romana provincia poſiti, qui ſemper Romano pontifici adhaeſerunt; itemque epiſcopi exemti extra Romanam provinciam, qui nativam habent libertatem. III. 9. 197. Epiſcopi Regni noſtri in Romana provincia ſiti. III. 9. 194. & ſeq. Qui novis metropolitanis contributi ſunt. III. 9. 195.

Epiſcopi Calabriae ab anno 732. ad ſaeculum XI. CPolitano patriarchae ſubiecti. II. 4. 98. Ab eo tempore Conciliis CPolitanis frequenter adſuere, numquam Romanis. *ibid.* Omnes Calabri Siculique praeſules, qui octavae Synodo interfuerunt, a Byzantinis patriarchis Methodio, aut Ignatio conſecrati. *ibid.* Epiſcopi vero Campaniae, Samnii, Apuliae, & Lucaniae vel poſt Iſauri tempora a Romano pontifice ordinati ſunt, Romaniſque Synodis interfuerunt. II. 4. 99.

F

Formula communis bullae conſecrationis epiſcoporum. III. 8. 81. in Not.

Frequentum terraemotu deiectum. I. 5. 58.

G

Garganici fruſtra contenderunt oppidum ſuum archiepiſcopali titulo donari. III. 5. 151.

Gerardus Iſernienſis epiſcopus a Capuano Archiepiſcopo ſuo conſecratus. III. 8. 182.

Gerbertus Capuae Archiepiſcopus Stephanum Caiacienſem ſuffraganeum ſuum ordinavit. III. 181.

Graeci quos Metropolitanos & Archiepiſcopos in Calabria & Sicilia conſtituerunt. III. 3. 178. Poſt Siciliam a Saracenis occupatam Italicas regiones ſibi ſubiectas in duo themata, *Siciliae* & *Longobardiae*, partiti ſunt, eaſque duobus Strategis regendas commiſerunt, pag. 8. in Parerg.

Gregorius M. quo anno deceſſit, p. 8. in Anteloq. Canonum & veterum inſtitutorum cuſtos & propugnator, *ibid.* Metropolitica iura exercuit in epiſcopos Samnii, Campaniae, Apuliae & Calabriae, Lucaniae & Bruttiorum, atque Siciliae, parte I. a cap. I. ad 4.

Gregorius VII. Alcherio Panormitano Archiepiſcopo pallium mittit. III. 8. 189. Eius epiſtola, qua iura metropolitica a Regienſi ſede ſub Graecis adepta confirmantur. III. 5. 165.

Gregorius Stabienſis epiſcopus conſecratus a Barbato Archiepiſcopo Surrentino. III. 8. 187.

Gualterius Panormitanae Sedis Archiepiſcopus. III. 8. 182.

H

Hadriani I. epiſtola ad VII. Synodum, & ad Conſtantinum ac Irenem. II. 5. 111.

Hirpini qui. I. 5. 58.

Hydruntum a ſaeculo octavo ad undecimum Graecis paruit. II. 3. 87. ſeq. in Not. Eius eccleſia a Romana Sede cum ceteris avulſa. *ib.* Quando Archiepiſcopatus honorem a Graecis obtinuit. II. 3. 88. Metropolis a Polyeucto CPolitano patriarcha eſt dicta. *ibid.* Confirmata a Romanis pontificibus. III. 5. 168.

168. Quot habet ſuffraganeos. III. 5. 169.

I

Iohannes XIII. primus omnium metropoliticam dignitatem epiſcopis nonnullis Regni indulſit. III. 8. 191.

Iohannes Srabienſis Epiſcopus a Surrentino Archiepiſcopo ſuo conſecratus. III. 8. 187.

Iohannes Tranenſis cur ab Auctore Hiſtoriae translationis S. Leucii dicitur *Sipontinus Archiepiſcopus, nec non Pontificalis & Auguſtalis Synkellus.* III. 3. 154. in Not.

Iohannis VIII. epiſtola ad Carolum Calvum de miſerrima regionum noſtrarum conditione ſub Saracenis. III. 3. 146. in Excurſ.

Iulianus Aeclanenſis Epiſcopus. I. 5. 58. in Not.

Italia quam habuit regiminis formam ſub Gothis, pag. 6. in Parerg. Quam a Longino accepit, *ibid.* pag. 7.

L

Lancienſis Archiepiſcopatus origo. III. 6. 172. Sub eo nullus eſt epiſcopus. III. 6. 173.

Landulfus Capuanus epiſcopus ope Ludovici. II. Imp. metropoliticam dignitatem adipiſci niſus eſt. I. 5. 56. Eius conatus in irritum ceſſere. *ibid.*

Landulfus Pandulfi Principis filius primus Beneventi Archiepiſcopus. III. 1. 124. Madelfridum in epiſcopum S. Agathae Gothorum conſecravit. III. 8. 185.

Leo Iſauricus quando imperavit. II. 1. 69. Bellum ſacris imaginibus indixit. *ibid.* Eccleſias Calabras, Siculas, & Illyricianas a Romana ad CPolitanam ſedem traduxit. II. 1. 70.

Leo Atinenſis epiſcopus a Capuano metropolita ſuo conſecratus. III. 8. 183.

Leucenſis epiſcopatus ſuppreſſus. III. 5. 169.

S. Leucii corporis translatio facta ſub Iohanne Tranenſi epiſcopo. III. 3. 153. in Not.

Lucaniae & Bruttiorum urbes epiſcopales. I. 3. 35. Romano metropolitae ſuberant. *ibid.* Ab hoc Lucani Bruttiique praeſules ordinabantur. I. 3. 36. Eorum ſubſcriptiones in Synodis Romanis. I. 3. 37. Ipſorum cauſſae a Romano metropolitano ſuo iudicabantur. I. 3. 38. Cur olim Romani pontifices epiſcopis Lucaniae ac Bruttiorum litteras inſcripſerunt, numquam metropolitanis. I. 3. 41.

M

Madelfridus epiſcopus s. Agathae Gothorum a Landulfo Beneventi metropolita ſuo conſecratus. III. 8. 185.

Magnae Graeciae fines veteres. II. 4. 110.

Manfredonia a quo extructa. III. 3. 151.

Marcus Melodus Hydruntinus praeſul quando vixit. II. 3. 88.

Matricula quid. I. 2. 32.

Meſſana olim epiſcopalis, non metropolitica ſedes I. 6. 67. Quando metropolis facta. III. 7. 175. Qui eius ſuffraganei. III. 7. 176.

Metropoles in Regno a CPolitanis, & Romanis pontificibus an ex forma civili erectae. III. 10. 198. ſeqq. Metropolitanorum iura, pag. 3. in Anteloq. Ea revera metropolitani Regni noſtri exercuerunt. III. 8. 178. ſeqq. Quando epiſcoporum Regni conſecratio Romanae ſedi reſervata. *ibid.* Qui antiquiores in Regno metropolitani a CPolitanis Patriarchis inſtituti. II. 3. 80. ſeqq. Qui omnium primi a Romanis pontificibus creati. III. 1. 118. ſeq.

Minturnenſem eccleſiam deſolatam Formienſi univit Gregorius M. I. 1. 26.

Miſenum numquam Neapolitanae ſedi paruit. III. 2. 134. Everſum a Saracenis, eiuſque ſedis praedia Neapolitanae addicta. III. 7. 135.

Montis-Regalis metropoleos inſtitutio. III. 7. 178. Eius ſuffraganei. *ibid.*

N

Nazareni Archiepiſcopatus origo. III. 6. 171. Sedes ipſi unitae. III. 6. 172. Quae Nazareni Archiepiſcopi privilegia. *ibid.*

Neapolis antiquitus metropolis eccleſiaſtica non fuit. I. 5. 50. Numquam paruit CPolitano patriarchae. 2. 131. ſeq.

Qui

Digitized by Google

Qui eius ſuffraganei. III. 2.134. & ſeq.
Nicetas Neapolitanus epiſcopus non Graecus, ſed Latinus, nec a Byzantino, ſed Romano Antiſtite conſecratus. II.4.104.
Nicotetenſem epiſcopum poenitentiae addixit Gregorius M. I. 3. 39. Nicoterenſis epiſcopatus Regienſi unitus. III. 1.166.
Northmanni Calabria & Sicilia potiti avulſas eccleſias illico Romanae Sedi reſtituerunt. II. 5. 113. Quin ei novas a ſe fundatas ſubiecerunt. II. 5. 114.
Notitia vetus Romanae eccleſiae anno 1200. antiquior non eſt. III. 9. 194. in Not.

O

Oppidenſis epiſcopatus ſub ultimis Graecorum temporibus inſtitutus. III.5.167.
Opportunum ad perfectam converſionem hortatur Gregorius M. I. 1.29.
Oreranus epiſcopus. III. 3.155.

P

Pallium non ſolum metropolitanis, ſed & ſimplicibus epiſcopis dari ſolebat. I. 6. 60. & ſeq.
Panormum antiquitus eccleſiaſtica metropolis non fuit. I. 6. 65. ſeq. Quando metropolis facta. III. 7. 173. Qui Panormitani metropolitae ſuffraganei. III. 7. 174.
Patriarchae CPolitano Calabriae ac Siciliae praeſules iam ante an. 787. paruerunt. II. 1. 70.
Paullus Nepeſinus epiſcopus a Gregorio M. viſitator miſſus Neapolim. I. 1. 13.
Petro Subdiacono Campaniae iniungit Gregorius M., ut Numerium Nucerinae eccleſiae diaconum, ſi epiſcopatu dignum iudicet, Romam mittat conſecrandum. I. 1. 16. Eidem imponit, ut Secundinum Abbatem ob crimina deponat, ordinetque Theodoſium a Congregatione poſtulatum. I. 2. 20.
Petro Hydruntino epiſcopo Gregorius M. delegat viſitationem Eccleſiarum Brunduſii, Lipiae & Gallipolis paſtoribus deſtitutarum. I. 2. 30. & I. 2. 33.
Policaſtrenſis epiſcopus a Salernitano metropolita ſuo conſecratus. III. 8. 186.
Protothroni apud Graecos qui. III. 6. 170. in Not.
Provincia quaeque ſuum in Oriente habuit metropolitanum; ſecus in urbicariis provinciis, pag. 7. in Anteloq.

R

Reginus epiſcopus ante Leonem Iſaurum metropolitanus non fuit. I. 5. 62. ſeq. Primum a CPolitano patriarcha metropolitanus renuntiatus, & quando. II. 3. 81. Quot ei ſuffraganei a Graecis contributi. II. 3. 83. Metropolitica iura ipſi a Romanis pontificibus confirmata. III. 5. 164. Qui illi ſuffraganei a Romanis pontificibus adſignati. III. 5. 166. & 167. Conſecravit epiſcopos ſuffraganeos, aliaque in hos exercuit metropolitica iura. III. 8. 187.
Riſus Sarnenſis epiſcopus a Salernitano metropolita ſuo conſecratus. III. 8. 186.
Rogerii Siciliae adhuc Comitis cum Honorio II. diſſenſiones. III. 8. 190.
Romanus Pontifex a primis eccleſiae temporibus ad exitum ſaeculi quarti fuit univerſae Italiae metropolitanus, pag. 1. in Anteloq. Quo pacto ſenſim coërcita metropolitica ipſius dioeceſis, pag. 2. *ibid.* Is unus metropolitanus eccleſiarum omnium utriuſque Regni ad Leonem Iſauricum. I. a cap. I. ad 6. per tot. Metropolitica iura explicavit in eccleſias Regni interdum per epiſcopos, aut Subdiaconos ſuos. I. 4. 49. Cur metropolitica illius auctoritas ſenſim in Regno imminuta, & patriarchica crevit. III. 8. 191. Semper ſibi metropolitanorum Regni noſtri conſecrationem R. Pontifices reſervarunt. III. 8. 191.
Romanae eccleſiae patrimonia in Calabria & Sicilia vi Leonis Iſaurici in fiſcum redacta. II. 1. 70.
Romanae provinciae fines olim ampliſſimi. III. 9. 192. Cur ſenſim coangustati. III. 9. 193. Qui nunc eius limites. III. 9. 194. & ſeq.
Romualdus Dux Beneventi Sipontinam ſedem, templumque S. Michaëlis in in Gargano precibus s. Barbati Beneventanae adiunxit. III. 3. 148. Graecis Tarentum, Brunduſium, aliaſque urbes abſtulit. II. 4. 47.
Roſſanenſis Archiepiſcopatus primordia.

III. 6. 170. Nullus ei ſubeſt epiſcopus III. 6. 171.

S

S. Sabini corporis inventio ſub Rogerio Duce Apuliae. III. 3. 144. in Not. Eius tumulo inſcriptio quando, & a quo poſita. *ibid.*

Sabino Subdiacono iniungit Gregorius M., ut Regitani Cleri adverſus epiſcopi ſui querelas ſcrutetur. I. 3. 38.

Salernitanus praeſul quando metropoliticam dignitatem accepit. III. 1. 137. Qui eius ſuffraganei. III. 129. Metropolitica iura revera accepit, & exercuit III. 8. 185.

Salpenſis epiſcopatus Barenſi metropolitae ſubiectus. III. 2. 136.

Samnium una e ſuburbicariis provinciis I. 1. 28. Veteres in eo urbes epiſcopales. *ibid.* Eius metropolitanus Romanus pontifex. *ibid.*

Sancta-Severina a Graecis & epiſcopalis, & metropolitana ſedes facta. II. 3. 86. & II. 4. 108. Quinam eius ſuffraganei. *ibid.* A Romanis pontificibus confirmata. III. 5. 167. Qui nunc Sanctae-Severinae metropolitano ſubſunt. III. 5. 168.

Saraceni quo tempore Siciliam invaſerunt. III. 3. 146. & ſeq. in Not. Saracenicae in Apuliam incurſionis, & Canuſii depraedati epocha. III. 3. 144. in Excurſu.

Secundi ordinis miniſtri qui. I. 6. 63.

Sennis Capuae metropolitani bulla. III. 8. 183.

Sergius Neapolitanus epiſcopus a Gregorio III. in ordinem redactus. I. 5. 52. & II. 4. 101.

Sicilia nullum, praeter Romanum pontificem, metropolitanum habuit ad Leonis Iſauri tempora. I. 4. 42. & I. 6. 63. ſeqq. A Romana Sede vi Iſauri primum avulſa. II. 1. Quot in ea metropoles erectae ſunt. III. 3. 117. Siciliae praeſules a Leone M. reprehenſi, quod ſollemnem baptiſmum numeroſius in Epiphania, quam in Paſchate & Pentecoſte conferrent adverſus morem Romanae Eccleſiae. I. 4. 42. Quot in Sicilia Epiſcopi aevo Leonis M. *ib.* Romanis Synodis aderant. I. 4. 44. ſeq. A Romano metropolita ſuo iudicabantur. I. 4. 46.

Sipontina ſedes deſolata cum eccleſia s. Michaelis in Gargano Beneventanae adiuncta. III. 3. 148. Seiuncta a Benedicto IX. III. 3. 149. Ob Siponti interitum Archiepiſcopi ſedes in novam civitatem tranſlata, quae *Manfredonia* dicta eſt. III. 3. 151. Quando in metropolim erecta. III. 3. 150. ſeq. Qui eius ſuffraganei. III. 3. 152.

Stratego Apuliae quando creati, pag. 7. in Parerg.

Subſcriptiones epiſtolarum Rom. pontificum, & Conciliorum ad rationem civilis, non eccleſiaſtici plerumque factae, pag. 7. & 8. in Anteloq. In ſubſcribendis Synodis non urbium dignitatis, ſed epiſcoporum aetatis ratio olim habebatur. I. 6. 65.

Surrentinus epiſcopus quando metropolita creatus. III. 2. 135. ſeq. Quinam eius ſuffraganei. *ibid.* Surrentinus metropolita ſuffraganeos ſuos ordinavit. III. 8. 186.

Syncelli Auguſtales & Pontificales qui. II. 4. 106.

Syracuſana civitas olim totius Siciliae metropolis civilis, non eccleſiaſtica. I. 6. 64. Eius epiſcopus a CPolitano patriarcha metropolitanus dictus, & quo tempore. II. 3. 97. ſeq. Sub Graecis univerſos Siciliae epiſcopos ſibi contributos ordinavit. III. 8. 180. Cur metropoliticam dignitatem amiſit. III. 7. 173. Quando a Saracenis direpta. *ibid.*

T

Tarentum quando in eccleſiaſticam metropolim evecta. III. 3. 157. Qui eius ſuffraganei. III. 3. 158.

Tharaſius e laico ad CPolitanum patriarchatum evectus. II. 5. 112. Eum *Oecumenicum patriarcham ſuum* adpellant Siculi & Calabri Antiſtites in Concilio Nicaeno II. III. 8. 179.

Theatina Sedes quando metropolis facta. III. 4. 163. Qui eius ſuffraganei. *ibid.*

Tranum ſedes olim epiſcopalis. III. 3. 154. ſeq. Quot ſub ſe loca habuit. III. 3. 153. Barenſi eccleſiae adiuncta eſt.

Google

eſt. *ibid.* Quando eccleſiaſtica metropolis evaſit. *ibid.* Quot eius ſuffraganei. *ibid.*

Troinenſis epiſcopus a Gregorio VII. conſecratus. II. 5. 114.

V

Venantio Patricio Panormitano ſcribit Gregorius M., Urbicum Abbatem merito electum in epiſcopum, ſed reluctantem cogendum non eſſe. I.4.43.

Venerio Vibonenſi epiſcopo Taurianenſis & Turritanae eccleſiae viſitationem demandat Gregorius M. I. 3.36.

Victor Neapolitanus Archiepiſcopus non ſub Gregorio I., ſed VI. vixit. I. 5.51.

Viſitatores a Metropolitanis mittebantur, ad canonicam novi epiſcopi electionem procurandam. I.1.23. Eos Romanus pontifex deputavit eccleſiis Campaniae paſtore orbatis. *ibid.* Lucaniae, Bruttiorum, aliarumque. I.4.47. & alibi.

Vitaliani P. diploma commenticium. I. I.60.

Vnio Carinenſis eccleſiae Regienſi facta a Gregorio M. I. 3. 40.

Vnio vel commendatio eccleſiarum non producit metropoliticam dignitatem. I.5.61. Quibus modis & cauſſis uniantur eccleſiae. *ibid.*

Vria epiſcopum, Brunduſium Archiepiſcopum accepit; ſicque turbae inter Vritanos & Brunduſinos a Gregorio XIV. diremtae. III. 3. 156.

Vrſo Archiepiſcopus Surrentinus Iohannem Stabienſem epiſcopum conſecravit. III. 8. 187.

S. Willibaldi vitae ſcriptor quando vixit. I.5.51. & 55.

Willielmi I. cum Hadriano IV. diſſenſiones, & pacta conventa. II. 5. 114. ſeq., & III. 8. 190. ſeq.

ERRATA		CORRIGE.
pag. 9.	Patillus	Pratillus
57.	diſpiſcio	diſpicio
102.	an. DCCCCLXXXIV.	DCCCCLXXXVI.
131.	victorem	Victorem
132.	in in annum	in annum
ib.	ſuppoſitititium	ſuppoſititium
142.	dominus	dominis
146.	Ignorus	Ignotus
161.	fussraganeum	ſuffraganeum
pag. 7. In Parerg.		
	Fxarchum	Exarchum
8.	quibuſdem	quaedam
ibid.	quae	quibus

Levioribus mendis, ſi quae forte offendes, humane Lector, ignoſce, eaque in Typographi incuriam confer.

Adm. Rev. U. J. D. D. Dominicus Cavallaro in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſs., revideat Autographum enunciati operis, cui ſe ſubſcribat ad finem revidendi ante publicationem, num Exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalis Reſcripti, & in ſcriptis referat. Dat. Neap. die 26. menſ. Januarii 1775.

MATTHAEUS ARCH. CARTH. C.M.

Legi opus, cui titulus: *Ad Petri de Marca Concordiam Sacerdotii & Imperii ac opuſcula Supplementa & Auctaria &c.* a Carmino Fimiano Anteceſſore doctiſſimo conſcriptum, quo Marca illuſtratur, ſuppletur, notatur: & quod magis eſt, vetus & nova eccleſiarum Neapolitanarum & Sicularum diſciplina enarratur. Eſt quidem Opus *de Concordia Sacerdotii & Imperii* veluti totius iuris publici eccleſiaſtici inſtructiſſimus theſaurus, ſummaque arte & peritia omnium canonum, & totius hiſtoriae eccleſiaſticae elaboratum; at Archiepiſcopus vere illuſtriſſimus illius auctor (quae humanae naturae miſera conditio eſt) in tanta rerum varietate ſaepe acutum non vidit; ſaepe ſibi conſtans non fuit, variaſque de una eademque re ſententias diverſis locis protulit; multa, monumentorum inopia, obſervare & illuſtrare non potuit; multa etiam aut omiſit, aut obiter pertractavit, quae tamen digna erant, ut fuſius dicerentur & illuſtrarentur. Et quod magis dolendum eſt, Archiepiſcopus illuſtriſſimus veterem eccleſiarum regni noſtri (quae olim inter eccleſias ſuburbicarias cenſebantur) diſciplinam ad examen revocans, non ſemper ex vero rem propoſuit. Finis nempe illuſtriſſimi viri erat iura & antiquitates eccleſiae Gallica-

Digitized by Google

nae illuſtrare & confirmare: in quem finem ius omne eccleſiaſticum & veterem hiſtoriam adhibere voluit, etſi non omnia ſemper pari felicitate & acumine expenderit. Optandum ergo erat, ut tantum Marcae Opus emendatius haberetur: in primis vero neceſſarium erat, ut antiquitates eccleſiarum Neapolitanarum & Sicularum illuſtrarentur, & novis monumentis & probationibus adſertae & inſtructae in publicum uſum prodirent. Id praeſtitit lucubrationibus & commentariis ſuis doctiſſimus noſter Anteceſſor: cui fini univerſam paene antiquitatem iuſſit inſervire, in primis vero verſat vetera monumenta, quae ad eccleſias ſuburbicarias ſpectant, in omnibus ferme Marcae eruditionem & acumen aemulatus. Ita procedit integrum Opus: nunc vero tantum exercuit prelum diatriba I. *de ortu & progreſſu metropoleon eccleſiarum in Regno Neapolitano & Siculo &c.* Tantum Opus typis committi, & in publicum evulgari, e re publica eſſe cenſeo. Neap. idib. Junii CIƆIƆCCLXXVI.

Dominicus Cavallarius.

Die 10. menſis Julii 1776. Neapoli.

Viſo reſcripto ſuae Regalis Maieſtatis ſub die 6. currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. U. J. D. D. Dominici Cavallaro de commiſſione Rev. Regii Cappellani Maioris, ordine praefatae Regalis Maieſtatis.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma praeſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rever. Reviſoris. Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione, affirmetur quod concordat, ſervata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica, hoc ſuum.

SALOMONIUS. VARGAS MACCIUCCA.
PATRITIUS. VIDIT FISCUS R. C.

Illuſtris Marchio Citus Praeſ. S. R. C. & ceteri Illuſtris Aulæ Praefecti tempore ſubſcriptionis impediti.

Reg.

Carulli. Athanaſius.

Admodum Rev. Dom. D. Dominicus Malarbi S. Theol. Profeſſor revideat & in ſcriptis referat. Neap. die 26. Junii 1775.

JOSEPH ROSSI DEP.

EXCELLENTISS. ET REVER. DOMINE.

Quanta quanta ſunt, quae doctiſſimus Petrus de Marca in praeclariſſimo opere de Concordia Sacerdotii & Imperii copioſe ſciteque conſignavit; tamen pleraque ei humanitus excidere, quae incautiores fallere poſſunt. Ea omnia modeſte & ſine acerbitate confutat Vir clariſſimus Carminus Fimianus in his Diatribis penitiore ſacrae eruditionis ſupellectile refertiſſimis. Adhaec elegantiſſimus Auctor quum ſparſim, tum praecipue in Auctariis id agit, ut rei Eccleſiaſticae Regni Neapolitani & Siculi, deterſa caligine, lucem adſpergat: quae tractatio quum ei feliciter ceſſerit, quantopere ſit noſtris Eccleſiis profutura, unuſquiſque per ſe intelliget. Jam vero nihil huic Operi ineſt, quod ſanctiſſimam Religionem, moreſve laedat; proinde illud poſſe cenſeo in publicam lucem emitti. Neapoli XII. Kal. Auguſti CIƆIƆCCLXXVI.

Humiliſſimus cliens
Dominicus Antonius Malarbius.

Attenta relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Die 24. Julii 1776.
JOSEPH ROSSI DEP.

1.
D 7.5
VA1 1532477

Digitized by Google

Digitized by Google

166.
c5.
19.

Google